



H. M. A. Cramer R. M. C.
A + b. Q. 72.

K 0000153378

F. A. 113

R 137368



UNED

10
William T. Piper

Cambridge 1884.

11.9

F.A. 113

P. 137368

IACOBI PERIZONII
ANT. F.
ANIMADVERSIONES
HISTORICAE

IN QUIBVS

QVAM PLVRIMA IN PRISCIS ROMANARVM RERVM
SED VTRIVSQUE LINGVAE AVCTORIBVS NOTANTVR
MVLTA ETIAM ILLUSTRANTVR ATQVE
EMENDANTVR

VARIA

DENIQVE ANTIQVORVM RITVVM ERVVNTVR
ET VBERIVS EXPLICANTVR.

QVAS

OB PRAESTANTIAM ET RARITATEM
TYPIS REPETENDAS CVRAVIT
THEOPHILVS CHRISTOPHORVS HARLES



ALTENBURGI

EX OFFICINA RICHTERIA. M. DCC. LXXI

V I R O

MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO
NICOLAO WEISSIO

MEDICINAE DOCTORI, PRAXEOS PATHOLOGIAE
ET CHYMIAE PROFESSORI P. O. CELEBER-
RIMO IN VNIVERSITATE LITTERARVM ALT-
DORFINA, EIVSQVE SENIORI ET P. T.
RECTORI,

SOCERO SVO VENERANDO

S. D. PL.

THEOPHILVS CHRISTOPHORVS HARLES
SERENISSIMO MARCHIONI ONOLDINO
A CONSILIIIS AVLAE, ET PROF. P. O.
ELOQVENTIAE AC POESEOS IN VNIVERSI-
TATE FRIDERICO-ALEXANDRINA.

Perizonium praeclara ingenii, erudi-
tionis diligentiaeque laude non in-
ter Batauos solum, sed apud omnes
quoque, qui litteris iustum statuerent
pretium, floruisse, eiusque nomen, quam-
diu erunt, qui veram aestiment eruditio-
nem, gratum fore ac iucundum, TIBI,
VIR MAGNIFICE, qui more pruden-
tissimorum Medicorum sublimiores Hy-
geae artes cum Musarum deliciis, litteris,
quae ab humanitate nomen habent, sua-
uissimo vinculo sapienter coniungere so-
les, haud ignotum erit. Neque enim

ex fordida eorum Medicastrorum turba es, qui antiquissimorum Medicorum doctrinae ignari, et in vtraque lingua plane hospites, nec ingenium lectione veterum nutritum atque expolitum, nec iudicium crebra meditatione, vsu ac litteris subactum adferunt, dum animum adpellunt ad scribendum, sed in curandis morbis aniculas imitantes, quiduis temere atque imprudenter audere, vrere et secare non sine insigni reipublicae detrimento consuescunt, et quorum oratio putida abhorret ab iucunditate ac legentium vtilitate. Qui a primis annis vtile miscere dulci didicisti, quod TIBI otium a negotiis munerisque officiis supererat, in legendis vtriusque linguae auctoribus bene consumpsisti. Modo Hippocratem, modo Celsum aliosque consuluisti. Quae illi ingenio vsuue suffulti tradiderunt posteris, cum praeceptis inuentisque recentiorum sedulo ac prudenter contulisti, nouisque insigniter auxisti experimentis ac doctrinis. His praesidiis instructus parasti TIBI viam ad Sacra Aesculapii et nominis famam atque immortalitatem. Hinc scripta T V A iis nitent orationis virtutibus, quae placeant prudentioribus et lectores atque admiratores alliciant. Ingenii felicitate adiutus, quae multis viderentur

derentur difficillima, facili opera, superatis impedimentis, emendasti et curasti. Quo factum est, ut a distitis terris confluerent ad TE homines, TVI nominis celebritate commoti, qui TVAM implorarent fidem, aliique infiniti, vehementissimo morbo laborantes, per litteras TVVM expeterent consilium. Atque multos, quum iam conclamatum esse videretur, e mortis feliciter eripuisti faucibus. Ea enim vis est litterarum elegantiorum, ut etiam in sublimioribus disciplinis animum emolliant, acuant iudicium, ingenium flectant efficiantque, ut reliqua, licet subtiliora et abstrusa, facilius sentiamus, celerius arripiamus, et perspiciamus solertius. Quae quum ita sint, quod has Perizonii animaduersiones, quamquam ad artem medicam haud pertinent, TVO nomini inscribam, a muneris TVI partibus et grauitate haud erit alienum. Grauiore tamen accesserunt causae, quae me mouerent, immo vero impellerent, TVO nomini, mihi carissimo, hunc ut consecrarem libellum. Superiore enim anno filia TVA, qua meliorem mihi optare non potui, TE digna, animi mei dimidio, domum ducta, quum TECUM arctissimo copularer vinculo, ab eoque tempore TE penitus intueri, ani-

mi nobilitatem atque integritatem et amoris abundantiam cognoscere liceret, sermonumque T V O R V M suauitate saepius delectarer, grati pique animi pignus quoddam dare, qui gratiis referendis impar sim, meum esse duxi.

Commoda vero hac oblata occasione vsus, T I B I aliisque, quae causae me ad has Perizonii animaduersiones in Germania superiore machinis exscribendas commouerint, paucis exponam, quo diutius T E C U M, quo quidem mihi nihil suauius contingere potest, confabuler. Perizonius quum in his commentariis multa loca valde deprauata et paene desperata aut ab aliis neglecta aut perperam tractata perita manu curaret, non ingenii libidine fastuque abreptus, sed omnibus solertiae doctrinaeque antiquae subsidiis adhibitis; multis in nominibus, historia et chronologia Romana vel auctorum oscitantia vel imperitia librariorum summa caligine obuolutis, quorum interpretatio animos doctorum mire torferat, lucem adfunderet; ritus quosdam Romanorum peruerse enarratos accuratius inuestigaret, ac in summa rerum abundantia presse ac frugaliter exponeret; multa denique, quae ad significationem verumque vsum haud paucorum vocabulorum perti-

pertinerent, folerter explicaret, et de omnibus rebus disputaret quam diligentissime; haud sane mirum est, hunc librum a viris doctis certatim laudatum, et, quum exemplaria in tabernis librariis deessent, nouam desideratam fuisse editionem. Suo in primis docuit Perizonius exemplo, qua cautione et cura monumenta antiquitatis tractare, qua luce, quae obscura aut sibi contraria videntur, ex intimis litterarum Graecarum et Romanarum sacris, non ex coniecturiosis, quae saepe vanae aut ineptae sunt, aut recentiorum opiniunculis illustrare suoque auctori reddere, quibus denique ingenii ac doctrinae praesidiis instructi esse deberent, in his litteris cum laude versaturi. Quare hic liber non modo tironibus, sed iis quoque, qui suas nugas criticas aut antiquarias aliquid esse inepte arbitrantur, quin iis, qui in hoc litterarum genere iam laudem quamdam consequuti sunt, lectu est dignissimus, vt, qua ratione vulnera sapienter curare, diuersas opiniones subtiliter periteque componere, aut erroris originem sagaciter rimari, paucis, qua via prudenter interpretari queant antiquitatis monumenta, mature recteque intelligant. Quem in finem ὁ πόντος *Ernesti* iam ante triginta an-

nos nouam huius opusculi parare constituit editionem. Ita vero in praefatione ad Clauem Ciceronianam (1739.) “dabimus, inquit, operam, vt separatim et hic libellus, (n. Corradi Quaestura,) et *Perizonii animaduersiones* prodeant, ad quas saepe in Indice historico prouocauimus, et harum litterarum studiosis valde necessarias putamus.” Atqui non sponte temereque, sed a viris doctis, quorum auctoritas apud me multum habet ponderis, admonitus, quum nouam suscepturus editionem meum consilium cum *Ernesti*, Viro summo, communicarem, Vir ille celeberrimus, pro ea, qua floret humanitate et litteras iuuandi ardore, me non solum confirmauit atque excitauit, sed etiam edocuit, fatis bibliopolae tristibus, cui exemplar machinis exscribendum tradiderat, factum esse, vt rem persequi non potuisset. Huius quoque consilio permotus nihil subieci quod esset instar sicilimenti, quamquam post Perizonii fata quaedam a viris doctis vberius aut aliter esse disputata probe noueram. Alio forsan tempore spicilegium quoddam commodius colligam, aut Fatis Consularibus, quos in vsum scholarum ad accuratam antiquae historiae intelligentiam quam maxime necessarios aliquando, si fata siue-

rint,

rint, in lucem editurus sum, a Perizonio omiſſa vel non plene tradita, intexta repetam. Huic tamen editioni vt augmentum et pretium maius conciliaretur, vitam Perizonii, a *Vriemoetio* (*) descriptam, adieci, quod multis haud ingratum arbitror. Indicem praeter ea vtrumque ad maiorem vtilitatem auxi. Errata vero typographica, quae primam obſederant editionem, vel a me vel a viro doctiſſimo M. *Lorenz*, Gymnaſii illuſtris Altenburgenſis Collega, qui operis praererat, ſunt ſublata, quae in altera hac editione, quae eſt hominum imbecillitas, commiſſa fuerunt indicaui; reliqua, quae oculorum aciem fugerant, L. B. ipſe facile emendabit.

Ita vero munere perfunctus vehementer opto, vt ſeuera illa redeat doctrina, quae maiores noſtros nobilitauit, et vnica

a 5

eſt

(*) In libro, cui haec eſt inſcriptio: *Emonis Lucii Vriemoet* S. Th. D. Ling. or. et antiq. hebr. Prof. P. Athenarum Friſiacarum libri duo, quorum alter praeter hiftoriam academiae, quae eſt Franequerae, elogia Sereniſſ. Ampl. Ephorum, alter cl. Profeſſorum a natalibus eius ad praefens aeuum vsque complectitur. Leouardiae 1758. in 4. a pagina 625-640. Exſtat quoque Perizonii vita in *Nicronii* Nachrichten von den Begebenheiten und Schriften der Gelehrten. Part. I. Halae 1749. p. 302.

est via ad verae sapientiae fontes, quamquam difficilior, multis impedita spinis, multo superanda labore; nec ludicra ista mollisque discendi tradendique litteras ratio, quae effeminat vires ingenii pretiumque artium et doctrinarum minuit magis, quam auget, nostros adolescentes tanquam sidus pestilens diutius adslet: qua perdita consuetudine a vera sobriaque disciplina ad amoena quidem, ut videntur, sed valde incerta lubricaque deuia aberrant. Persuasi sumus, fore ut antiquae sapientiae cultores ex sedula harum Animadversionum Lectione et imitatione thesauros colligant sibi, iudicium acuant, sanamque discant rationem interpretandi.

Tu autem, *Socer Venerande*, hoc animi mei TIBI dediti testimonium aequi bonique consulas velim: diutius fruiere aura vitae, animi tranquillitate, et quam ingenio, arte, scriptis adeptus es, laudis gloria, mihi que, quod facere soles, faue. Scribeb. Erlangae Ipsis Idib. Martii
c1o1oCCLXXI.

V I R O
E X C E L L E N T I S S I M O
I O H A N N I G E O R G I O
G R A E V I O

HISTORIAS ET LITERAS HUMANIORES IN
TRAIECTINA AD RHENVM ACADEMIA
PROFITENTI

S. P. D.

I A C O B V S P E R I Z O N I V S.

Dudum est, quod has Animaduersiones, vti iam in publicum exeunt, conscriptas, et penes me in scriniis fitas habui, non quod ipse iis augustas luminis auras inuiderem, sed quod noua suscepti muneris negotia ita me occupatum haectenus districtumque tenuerint, vt vix libuerit aliorum cogitationes intendere. Accedebat, quod vsu mihi deprehendere liquido satis videbar, nos in dies longius deflectere a prisca illa studiorum ratione, quae sedulo omnia pertentabat, et vnice semper, ad quantam maximam potest, contendebat eruditionem, neque ex protritit vel etiam iteratis paulo forte concinnius aliorum curis gloriam aucupabatur,

pabatur, aut impertiebatur. Non poterant tunc publica eruditorum mereri suffragia, ut neque aetatem ferunt, nisi qui vel obscuri aliquid noua luce perfudissent, vel impediti quid expediissent, vel ignotum antea seculis in medium protraxissent, vel etiam, quia liberales disciplinae maximam partem ex antiquis hauriuntur Scriptoribus, hi autem omnes longinquitate temporis, et incuria librariorum, multa passim adpersi sunt vitiorum labe, qui corruptos eruditionis atque ingenii ope emendassent pulcre aut illustrassent. Et hac maxime via processerunt illa famae commendatissima superioris seculi nomina, quae non a discipulis, quos reliquere in vno Orbis angulo, sed ab omnibus vbiuis gentium, in quibus suum adhuc doctrinae pretium vtcunque constat, et a remota iam posteritate laudibus in coelum feruntur, et sempiternae propagantur memoriae. Sed et hanc viam cum insisterent plerique, qui iuuentuti ad magna iturae suam eruditionem voce et stilo commodabant, neque nimis furerent cum insanientibus, tum sane exoriebatur identidem ex eorum auditoriis copiosa soboles, cui non modo ipsi recte suam lampada, si opus, traderent, verum etiam, quae

quae aulas Principum, curias Senatorum, Magistratum et Iudicum Sellas, Ecclesiasticorum denique cathedras splendide ornare ac instruere valeret; cuius contra, quae nunc vbiq̄ue sit penuria, dum cruda adhuc studia ita festinato in forum et concionem propelluntur, et publica patriae spes ac vota inconsultae ambitioni fere donantur, non est, vt pluribus edisseram, vtique apud Te, Vir Clarissime, qui vt vel praecipuus gloriam antiquam verae eruditionis obtines, ita et communem illam adolescentum perniciem ac pestem, per quam fiet, vt deteriores iam auis, mox daturi sint haud dubie progeniem etiam vitiosorem, sedulo ac studiose cauendam, omnibus pro virili inclamas. Certe ego, qui tua ex disciplina prodii, tuis etiam praeceptis et exemplis ita ab ineunte aetate sum formatus, vt semper mihi ac sollicite vitandam eam seu Charibdim seu Scyllam cane peius et angue censuerim, et nunc haud facile quicquam famae permittere sustineam, nisi quod vere de me et meo promserim. Huius generis has Animaduersiones repertum iri sane arbitror, licet fortean, his quidem moribus, non ita publici saporis nec ad gustum eorum, qui in studiis ita currunt,

vt

vt praeter casam, quod dicitur, maiorum tamen more factas, et mihi non sane anxie quaesitas, tanquam in id vnum incumbenti, sed inter legendum prisca aevi monumenta cum animi et iudicii qualiscunque attentione vltro natas. Repagula vero iis tandem laxare visum, vt viam munirent obseruationibus, et adspersis subinde castigationibus, quas Valerio Maximo in integrum, quam tum pote, restituendo destinaui. Ad Te autem, Vir Excellentissime, haec qualiacunque potissimum defero, non vna ductus ratione. Etenim si peritissimum harum rerum deligere velim seu Patronum seu Iudicem, quem obsecro prae Te eximium habere possim, qui reuerentiam vel praecipuus es et consultissimus nostrorum Sacrorum Antistes, atque eo nomine passim per ora hominum, magna cum tua laude, et tamen meritis neutiquam maiore, volitas? Vt adeo, si ea de re verba amplius facere heic vellem, incassum ea profecto effusus, et vere perditurus mihi viderer, tanquam qui mero meridie lucernam accendunt, et ita soli lumen inferre conantur. Quod si quam optime de me meritum circumspicere malim, cuius in amicitia et veneratione

memo-

memorem me et gratum publice pro meae facultatis copia exhibeam, tu enimvero is es, cui omnia summa debeo, et debeo lubentissime. Nam cui magis debeam, quam a quibus in humanitatem formatus, atque iis excultus sum artibus, queis ad vitæ dignitatem comparandam et sustinendam decore ornatur et instruimur? Ea vero gratia tuo olim ex ore feliciter pependi, vestrum in Athenaeum, præcipuum illum bonarum artium mercatum, qui a Te censetur profectus, Te ut doctore vterer. Et adhibuisti tunc eam mihi curam ac fidem, uti iam, tuæ disciplinae alumnus, operæ quondam tibi datae honestissimos simul et vberimos capiam fructus. Quid? quod et deinceps ea semper animi contentione meam egisti ubique causam, meisque dotibus, de quibus ex amoris erga me abundantia (sic interpretor) benigne sentiebas, in scenam tua suffragatione producendis ita incubuisti, ut si filii commodis aut honoribus fuisset consulendum, nihil profecto studiosius, nihil amabilius, denique nihil omnino supra facere potuisses. Haec si mihi non semper maneant alta penitus mente reposita, non hominem me agnoverim, nedum Humanitatis et Liberalium

Artium

Artium Professore, cuius personam publica tamen auctoritate gero. Bene autem habet, quod ei potissimum debeo, cui maxime debere velim, quippe qui beneficia sua nullis prorsus onerat molestiis, sed omni officiorum genere etiam insuper tuetur magnoque in dies cumulo augere studet. Quamobrem neque nunc obnixius Te rogare necessum duco, ut pro illa spectata mihi iam satis superque voluntate tua has quoque Animadversiones, quas tuo inprimis, limato illi et polito maxime iudicio submissas volui, benevole accipias. Quod ipsum tamen si facies, facies mihi rem oppido sane gratam. Vale, Vir Eximie, et rem literariam, quam longissimum in tempus superstes, bene porro gere. Franequerae in Frisiis postrid. Eidus Quinctileis CIO IC C LXXXIV.

VITA

JACOBY PERIZONIUS

V I T A
P E R I Z O N I I .

b

VITA
PERIZOMI.

IACOBVS PERIZONIUS

ELOQVENTIAE ET HISTOR. TAM SACRAE
 QVAM PROFANAE PROFESSOR.

1681.

Originem suam debet PERIZONIORVM
 gens Schuttordio, Comitatus Benthe-
 mienfis oppido. Nomen ei a praedio,
 ex praeiacente loco depresso palustri, Voor-
 broek dicto.

Proavus Nostri erat *Gerardus*, qui generis
 sui auctores habens viros eruditos, horum lau-
 dibus ipse quoque Iurisprudentiae gloriam ad-
 iecit. Huius ex filiis vnus, *Ioannes*, quum
 typographo cuidam Heruordienfi nuptiale ali-
 quando tradidisset carmen describendum typis,
 hic, loco nominis vulgati, convenientius illic
 sibi forte visum ex Graeco sumtum *Perizonii*
 supposuit. Inconcinne quidem; quia non a
 femoralibus, ad quae respexit, sed aliunde, vt
 dixi, nomen vernaculum petitum fuit. nec ta-
 men praeter sententiam multorum eius fami-
 liae, qui studiis dediti, more istius aevi, luben-
 tes adoptarunt. Reliquis plerisque, aut no-
 men pristinum seruantibus, aut et cum illo *Pe-
 rizonii* coniungentibus.

Auus Nostro, *Antonius*, Ioannis frater, qui
 Theologiae consecratus; primum Comiti Lip-
 piaco

piaco Ecclesiastes aulicus. deinceps Cappelae, Pago illius Comitatus. Vbi an. 1645 act. LXXVII mortuus. relictis, ex *Wibbena Tropicia*, honestissimi apud Steinfurtenfes ciuis filia vnica, liberis vndecim. Quorum natu maximus Henricus, Ecclesiastes Dethmoldiensis. Inter reliquos Christianus Perizonius, Medicinae Doctor et ab an. 1647. fere per quadriennium Professor Groninganus (a). Minimus natu.

Antonius Perizonius, Nostri Parens S. Theol. Doctor. Gymnasiarcha primum Damonensis in Omlandorum regione. Inde, exacto vix sexennio, ab an. 1655. S. Theologiae et Linguae Hebraeae professor Hamonenfis; primus omnium illius Gymnasii. vbi et in istis initiis Philosophiae extra ordinem docendae partes ipsi demandatae; similique modo munus sacri Ecclesiastae. Hinc vero an. 1661 ad Theologiae et Linguarum Orientalium Professionem translatus Dauentriam, vbi per annos vndecim, maxima cum laude optimaque fama nominis sui, vixit, ad annum vsque 1672. quod d. XXIII Octobr. mortuus. aetatis suae XLVI. Exstat huius de Ratione studii Theologici Tractatus, ad eius emendationem praecipue spectans. editus Dauentr. an. 1699. 8. Huic, ex coniuge sua *Balduina Wildriks*, octo ex liberis superstites fuere quatuor:

IACOBVS
(a) Effig. et Vitae Profess. Groning. p. 20. et seq.

IACOBVS noster PERIZONIUS.

CHRISTIANVS PERIZONIUS, ante reliquos fratres mortuus.

GERHARDVS PERIZONIUS. Ecclesiastes in Pago Hollandiae Groot-Ammers, deinceps ab an. 1715. ad 1742. Brielanus. Cuius exstat de plenaria fideiussione Filii Dei Liber Belgicus; cum Defensione Melch. Leideckero praecipue, nimis duro in nota controuersia in Fratres orthodoxos, opposita. Amst. 1710, 8. Et Vltrai. 1712 et 1713, 8.

ALEIDA PERIZONIA.

Natus Noster est dictis Parentibus Damonae, d. XXVI. Octobr. an. 1651.

Illis autem litteris, quibus aetas puerilis erudi solet, postquam esset abunde instructus; diuissus ad altiora, contulit se in disciplinam primum *Theophili Hogersii*, ac postmodum *Gisberti Cuperi*; quos illustris Dauentriensium schola Litterarum, Historiarum et Eloquentiae Professores tunc habebat. E quibus optime vt profecit, an: 1671 missus Traiectum Batauorum, ad *Io. Georg. Graeuium*. Cuius eximii Viri institutione summo cum emolumento suo dum fruitur, medio ex cursu domum retrahit atrocissima belli anno seq. in rempublicam nostram incumbens tempestas quam et ipse domi, occupata ab hostibus Dauentria, expertus est. Mortuo vero inter haec carissimo Parente, a

quo destinatus erat rerum diuinarum studio, cuiusque adeo et collegia priuata lectionesque publicas frequentauit, et sub praesidio Disputationem publice defendit, ipse dulcioribus sibi visis deliciis elegantiorum, historiarum, et antiquitatum inescatus, nata patriae an. 1674. respiratione, Leidam, adiit vbi gratissimus auditor fuit et amicissimus Theodoro Ryckio.

Inde anno 1675. exeunte (b) Dauentriam rediit, illic per aliquot annos sibi, et Musis suis adfidua industria deditus, vixit: Circumspiciens interea occasionem, qua posset emergere. Qua de re non minus, fauentissimi eius Nic. Heinsius et Io. Georg. Graeuus, se ostendebant sollicitos (c). Variisque frustra tentatis; vt Franequerae (d), Leidae (e) pro Hebraearum litterarum, in quibus non parum quoque semet

(b) Vide Epistolas ad Nic. Heinsium, Syll. Eurm. T. IV. p. 744. et seq. coll. praeced.

(c) Ibid. et pag. 503, 504. vbi Graeuus: de lac. Perizonio dies quoque noctesque cogito. Nam eius ingenium et eruditio, cuius insignia vidi specimina, et in annotationibus Liuii, quae recenti accedent editioni, et in multis epistolis ad me datis bonae frugis plenis, virum praeclarum promittunt; modo queat ex his tenebris et rebus angustis, quibus conflatur, emergere.

(d) Scripsit hac occasione pro ipso ad Vlr. Huberum Graeuus. Ibid.

(e) Ibid. pag. 797.

semet exercuerat, Professione; Groningae pro illa Linguae Graecae et Historiarum (f); imo et in ipso Gymnasio patrio, in quo, *Gisberto Cupero* ad munia reipublicae transeunte, Coetierium sibi praelatum an. 1681 moleste tulit (g); adfultit tandem ipso illo anno benignum fidus. primo quidem ad breue admodum tempus munus Conrectoris scholarum vrbs Delftae (b); sed mox praecipue magis honorificum et eruditione eius dignum, Professionis Historiarum, tam sacrae quam profanae, vt et eloquentiae (i) in Academia nostra.

b 4

Quod,

(f) Ibid. pag. 765.

(g) Ibid. pag. 825. et seq. e quibus liquet, obfuisse illic varia, quibus forte iuuenili imprudentia, et ipsi Cupero, a quo ob studia communia praecipue debuisset esse spes, et aliis, se minus gratum fecerat. (vide et pag. 819, 820.) Molestius quoque forte inter alia geminatas querelas, de non dissoluto ad ipsum anno 1679. vsque debito residui salarii paterni; imo negato Matri viduae promisso, in vocationis paternae tabulis, honorario annuo. Quae non aequissimo animo accepta, nocere sibi queritur in Epist. ad Heinsium, ibid. p. 785.

(b) Ita in Actis Ill. Del. Ord. mox laudandis. Et constat praeterea aliunde. Id quod nulla iusta, quantum scio, causa fuit dissimulandi; vt factum notat ampl. Huberus, Epist. ad Emonem Aldrichs, p. 2.

(i) Sic habet titulus, ex diplomate, exhibito Senatui Academico XVI. Ian. 1682.

Quod; commendante litteris suis Graeuio (*k*) et intercessore in primis in Frisia apud nobiliss. Curatores amplissimo Hubero, supr. Curiae tunc senatore, quem aliquoties de eo litteris suis ipse compellauerat, eiusque consilio apud ser. Principem et alios Proceres porro aliis (*l*) egregio iam specimine edita abhinc biennio; Triadis Dissertationum publico notus, feliciter obtinuit d. V. Nov. dicti anni (*m*) surrogatus in locum defuncti nuper *Michaelis Buschii*.

Capessiuit hanc prouinciam d. XIX. Ian. sequentis anni, Oratione habita de Ciceronis eruditione et industria (*n*). Ornauitque, et docendo adfidue, et disputandi quoque interdum exercitiis (*o*), tam egregie, vt, de quo et modeste olim gloriandi ansam fuisse Hubero eodem in munere constituto, supra, vidimus, „illud satis, teste cl. Schultingio, omnibus „constiterit, nullius vnquam Professoris in „illo studiorum genere (praecipue autem in „Historiae vniuersalis enarratione) auditoria, „siue

(*k*) Syll. Burm. T. IV. p. 729.

(*l*) Huberus, Epist. modo memorata, pag. 3, 4.

(*m*) Acta Del. ord. v. Nou. 1681.

(*n*) Edita mox Franequerae, exstat nunc inter Orationes XII. Leidae 1740. 8. editas.

(*o*) Edita iam mox primo ipsius anno Disp. de Descriptione Luc. II. 2. memorata. defensa publice ab Henrico Bernsau, cl. Collegae nostri parente.

„ siue priuata, siue publica, tanto studiosorum
 „ numero floruisse.”

Agnouerunt haec merita ipsius Ill. Proceres, aucto ei mox an. 1684. salario annuo, nomine institutionum Historiae sacrae; quae *Christiano Schotano* aliisque olim non absque singulari honorario publico fuerant (p).

Sed et crescentia magis magisque, aduertunt adeo non tantum Amstelaedamenses, vt apud eos essent aliquando, qui de ipso ad se alliciendo cogitarent (q); sed praecipue Curatores Academiae Leidenfis, vt quod primum an. 1690 mortuo *Theod. Ryckio*, frustra tentauerant; qua occasione nouum Nostro annui augmentum accessit (r); anno 1693 Professionem Historiarum, Eloquentiae et linguae Graecae apud se honorificis conditionibus, quantisque nunquam Humaniorum litterarum Professore vocatum antea affirmabant (s), offerrent. Quam, honorifice dimissus a Frisiiis (t) adgressus est d. VII. Iul. Oratione de Vsu Graecae Romanaeque Linguae, Eloquentiae, Hi-

b 5

storiae,

(p) Acta Ill. Del. Ord. XXV. Octobr. 1684.

(q) Mentio eius, in C. Val. Accincti ad primam Francii Epistolam Responsione, pag. 11.

(r) Acta Del. Ord. XVI. Maii 1690.

(s) Cit. modo scriptum adu. Francium, pag. 9.

(t) Acta Del. Ord. XXIX. Apr. 1693.

floriae, Antiquitatis, in grauioribus disciplinis (u).

Eadem hic, qua Franequerae, aut et maiori forte, floruit auditorii frequentia. praesertim rursus, quum Historiam exponeret vniuersalem; antiquiori etiam recentiore, et praecipue Batauam, addens. Cuius quoque publice docendae prouincia ipsi deinceps an. 1701 (x) demandata est, cum nouo stipendii additamento.

De fama eruditionis et meritorum insignium de republica litteraria, in re omnibus manifesta satis, nihil opus est addere. Laudatores et admiratores in Belgio non tantum, sed per omnes fere Europae eruditae regiones, nactus fere innumeros, quorum cum plurimis litterarum habuit commercia.

Litium tamen eruditarum, quarundam etiam inutilium, quod plurimis Viris doctis contigit, non fuit immunis. Nec esse potuisse, dicas, si verum est, quod ipse in Orat. fun. p. 37. 38 scribit Schultingius: “ita tulisse rationem ipsius, vt, si quispiam aliquid scripsisset, quod vel communi studiorum bono, vel suae existimationi aduersari putaret, id quodque sibi negotii datum esse crederet, vt calamum aduersus illum arriperet ac omnia vi-
ris

(u) Sic se habet inscriptio apud Schultingium, exstatque inter Orationes XII. Leidae editas.

(x) Soermans Acad. Reg. pag. 70.

„ris equisque ageret, quo, rem dilucide ac
 „distincte proponendo, argumentisque adfe-
 „rendis, ac omni modo vrgendis id efficeret,
 „ne quis sibi de manibus cum ipso collatis pos-
 „set gratulari.”

Hoc modo natam ipsi primam litem forte
 dixeris de Praetorio cum Ampliss. Hubero oc-
 casione Disputationis, de origine, significa-
 tione et vsu Praetoris et Praetorii, veroque
 sensu verborum Pauli, Phil. I. 13, m. Iun. an.
 1687 publice defensae. Qua in lite, quo iure
 in scripto adu. Francium et alias, Huberum
 primum adgressorem sibi dicere potuerit, qui
 non captata adeo quam sponte oblata, nec
 praeter speciem aliquam contentius habitae
 nouae sententiae nuper propositae Perizonii fa-
 cile transmittenda ansa, quod diuersum ab eo
 cum plerisque aliis sentire se dudum ostende-
 rat, examinata simul noua illa opinione, in
 Prael. ad Pand. modeste fatis, et absque vlllo
 sane conuicio, tuebatur; fatendum est, vix li-
 quere (y). Non incredibile vero, per lites
 alias, quae tunc collegas hic destinebant (z)
 prae-

(y) Confer dicta supra, pag. 455. et 457. Nec
 debuisset itaque et cl. Dukerus in Praef. no-
 uae editionis Orig. Babyl. et Aegypt. primae
 adgressionis in Perizonium inuidiam, absque
 vlla restrictione, in Huberum deriuare.

(z) Ibid. p. 454.

praecipuos exstitisse ad pugnam hanc, quae nimium acerbe (a) agitata, fomites. Legi potest de his, quantum plus satis est, in Disquisitione de Praetorio infra memoranda.

Alter a lis, quam aperte *Perizonius* ipse ampliff. *Hubero* iusto animosius mouisse visus est de CXX erroribus in huius Historiae Civilis primo Tomo notandis in edito scripto Franeg. 1693 8. de qua et visum supra. Cui quae reponenda censuerit *Huberus*, in Epist. ad *E. Aldrichs* Ictum et Gymnasiarcham *Embdanum*, in breui quasi tabella, vide apud *Clericum*, *Bibl. Vniu. T. XXIV*, p. 188 et seqq. Oppositus ei mox alius a *Perizonio* Libellus. Sed et nata hinc molesta actio iniuriarum apud *Supr. Frif. Curiam*; quae translato interea *Perizonio* *Leidam* male cessit (b).

Tertia ipsi poenitenda contentio fuit an. 1696. cum *Petro Francio*. Orta primum ex priuatis dicteriis vtriusque temere delatis; et reprehensione inter alia *Franciana* carminis cuiusdam
Graeci

(a) Dicit *Massonus*, in *Hist. Crit. de la Rep. des Lettres*, T. IX. p. 419. vtrumque *Perizonii* scriptum de Praetorio; violentet adgressum fuisse *Huberum* modeste vero defendisse *Perizonium*. Quod nimis a vero alienum esse, alii, credo iudicabunt.

(b) Aliqua de hac lite per errorem tradita ab *I. B. Menkenio*, refellit *cl. Dukerus* in modo memorata Praefatione, pag. *** 1. et seq.

Graeci Ioannis Iensii a Perizonio adprobati, aliisque continuata vero, partim carminibus contumeliosis, partim similis argumenti et stili epistolis aliisque scriptis amoebaeis, quae neutri ipsorum, amicorum antea, potuerunt honori esse.

Quarta lis, an. 1702 et 1703. cum Collega *Iacobo Gronouio*, adgresso singulari libro *Notam Perizonii ad Aelianum*, de verbo ἀπαύχουσαι et morte Iudae; et *Notitia*, quam vocant, ad varia eiusdem ad Aelianum aliorumque Auctorum loca. Sed, variis de hisce satis acerbe, ut fit, reciprocatis scriptis, colophonem tandem auctoritate sua imposuerunt contentioni Curatores Academiae (c).

Quinta porro, cum *Ludolpho Kustero*. Eaque duplex. Altera, an. 1713. de Aere graui; de quo hic in *Diatribae Anti-Gronouiana*. Noster postquam edidisset eodem anno suam eiusdem argumenti *Dissertationem*, opposuit ei *Kusterus Epistolam*, in qua *Praefatio*, quam V. C. I. P. nouissimae *Dissertationi* suae de Aere graui proposuit, refellitur. Lugd. Batav. 1713. 8. Altera, de Verbo *Cerno*. De quo dicta *Perizonii ad Sanctii Mineruam* postquam *Kusterus* in *Epist. ad ipsum Virum Cl. Libro de veru vsu Verborum Mediorum apud Graecos edito Paris. 1714. 8. adnexa*, ad examen reuocauerat,

(c) *Maffon*, *Hist. Crit. T. IX. pag. 421.*

rat, reposuit ei noster Responsionem, Notis quartae editionis Sanctii dicti anni, p. 773 - 795. insertam. Sexta denique lis cum *Ioanne Clerico*. Qui, quum in Artis Criticae P. III. Sectione ult. libere notasset, quae in Q. Curtio, tanquam Historico, desiderari posse videbantur; post reprehensionem, iam ante in Notis ad Aelianum, cui aliqua in Praef. ad Albino-uanum reposita, singulari scripto an. 1703. edito Perizonii impetum expertus, strenue ei, amore suo, nihil parcens honori aduersarii sui, aut aliorum minus recti genii Criticorum quorundam, fuisse respondit in *Bibl. Selecta T. III. p. 171. - 250.*

Ceterum, quemadmodum Noster inter primi ordinis Criticos et Philologos floruit laude sua, quam per Scripta, quae edidit aut ab aliis edenda reliquit, facile tuebitur apud posteros; sic eam semper studii sui tenuit rationem, ut solis emaculandis Auctoribus antiquis, et vera lectione constituenda vnice, non contentus, porro ad alia maioris momenti, siue in Historia et Antiquitate illustranda, siue in veramente Scriptorum indaganda atque exponenda, diffundere se, quantum ferebat res, non negligeret. multa quoque luce, aut data ita occasione, aut et alias ex professo, ipsis Sacris Literis allata. De quo maxime laudabili sane instituto, ita commendato prius multis adcuratori

tiori Grammatico et Critico studio, Schultingius, Or. p. 36. "Atque haec scientia rerum cognitioni coniuncta, vti omnino laudi est duccenda; ita e diuerso, si quis nihil vltcrius agat, quam vt in vocabulis, litterulis, distinctiunculis leues inuestiget magno conatu deuiationes, talique aliqua reperta et restituta, ampla se retulisse spolia, ac quasi Troiam aliquam expugnasse existimet, qualem morbum post Viri maximi Iusti Lipsii hinc discessum apud nos regnasse, animosque nonnullorum pestifero quasi sidere afflasse legimus, illum sane ego res sibi suas habere facillime patiar. Verum haec haec tenus." "quae ideo a me praeteriri „non debuerunt, quia is, quem laudandum „suscepi, talibus quoque artibus magnum et „memorable nomen adeptus est. At ille vbi- „uis in id intendit animum, vt ea, quae maio- „ris erant momenti, ipsius opera clariora ac „faciliora euaderent."

Idem, post enumerata praecipua Viri cl. Scripta, pag. 41. de genio et summa industria eius: "Atque haec Viri fuerunt opera. Ad „quae, si animum aduertamus, atque hoc „simul consideremus, id religiose ab ipso ob- „seruatum fuisse, ne quid chartae typisque „committeret, nisi quod prius maxima cum „cura examinasset, perpenderit, explorasset; „ac praeterea nobis repraesentemus, quantum „tempo-

„temporis Iuuentuti Academicae docendae in-
 „pendere debuerit; sic facillime apparebit,
 „vitam egisse satis laboriosam atque exercitam.”
 Quam ob causam vt aetatem agere coelibem
 semper maluisse creditus fuit, quam, nimium
 forte vxorius, aut curis familiae obrutus, a
 studiis suis abstrahi; sic iusto vehementiori con-
 tentione, qua adsidue in litteras suas incumbere-
 bat, corpori a natura debili ac tenero firmando
 nullo vinqum exercitii genere adhibito sensim
 languorem et debilitatem adtraxit. Quo fa-
 ctum, vt per supremum decennium cum variis
 morbi insultibus conflictato, iisque a superiori
 autumno multis modis auctis, adeo laberentur
 vires, vt in lethargum multos in dies excur-
 rentem incideret; et denique, exhausto omni
 vitali succo, non sine proditis indiciis animi
 Christiani ad mortem praeparati, exspiraret,
 d. VI. Aprilis an. 1715. Aetatis suae LXIV.
 Postquam apud Frisios annos XII. Leidae XXII.
 munere suo functus fuerat: Illic quoque
 an. 1689 hic 1707. Rectura Academiae (d).
 Franequerae item in collegium aliquando Pres-
 byteri ecclesiastici adlectus; cuius ipse memi-
 nit in Praef. Disquis: de Praetorio. eoque
 nomine an. 1691. Deputatus Synodi, vt aliunde
 constat.

Paren-

(d) Alb. Acad. Franeq. et Schult. or. p. 41.

Parentavit ei Oratione funebri Antonius Schultingius, ICTUS et Antecessor, plus semel iam supra laudatus. quique nobis, vti liquet, alios non fuisse fontes, praecipuus per omne hocce Elogium habendus est auctor. E quo, et Massonus in Histor. Critic. T. IX. et Eruditi Lipsienses, an. 1716. et F. G. Westhousius, in delineatione Orationibus XII. an. 1740. iunctim editis praefixa, et Niceronius denique, Memoir. T. I. cum reliquis, quos sequitur, sua maximam partem, sed admixtis improvide nonnullis parum veris (e), hausisse censendi sunt.

Testamento, quo heredem scripsit Fratrem unicum *Gerhardum Perizonium*, praeter alia legata, duo maxime constituit promovendo bono Reip. litterariae (f). Alterum, "XX. milium florenorum, e quorum reditu CCL. annui

(e) Sunt eiusmodi, quae in Ioh. Burch. Menkenio, de Charlataneria eruditorum, Niceronio et Massano, notat, iustisque ex documentis refellit cl. Dukerus in Praef. secundae editioni Orig. Babyl. et Aegypt. Perizonii addita; legenda illic. neque enim operae pretium est hic pluribus attingere.

(f) Schult. Or. p. 46 et 47. Apographum tabularum testamenti huius servatur, vti Leidae, sic in Academia quoque nostra; insertum, facta praelectione in Senatu, Codici Apographorum, d. XXIV. Sept. 1715.

„annui studioso alicui cedebant, ad VII. vsque
 „annos; cui studendi ordinem, rationem,
 „quantum parti cuiuslibet impenderet temporis,
 „aliaque diligenter et accurate praescripsit. reli-
 „qua in libros, maioris praecipui pretii, qui-
 „que a priuatis non facile comparantur, im-
 „pendi praecepit. Alterum, valoris sane in-
 „gentis, librorum calamo exaratorum, vel
 „annotationes manuscriptas habentium, ac qua-
 „rundam veterum editionum (g).”

SCRIPTA eius, praeter eristicorum non-
 nulla, quae cum tacta supra hic repetere opus
 non est, haec sunt:

*Dissertationum Trias; de constitutione diui-
 na Deutr. XXV. 5, de Lege Voconia, et
 de variis antiquorum Nummis. Dauentriae 1679. 8.*

*Dissertatio de Augustea orbis terrarum De-
 scriptione, et l. Lucae II. 2. Ventilata
 primum Franeg. vt visum supra. Addi-
 ta deinceps Disquisitioni de Praetorio,
 quibusdam accessionibus aucta. Franeg.
 1690. 8. iterumque edita postea.*

Differ-

(g) Indiculum librorum horum vide in Catal.
 Bibliothecae Leidenlis. edit 1716 pag. 492,
 494. Praefixis quoque XII Orationibus Pe-
 rizonianis an. 1740 editis. Seruantur in Bi-
 bliotheca illa singulari theca, cui praefixa effi-
 gies eius.

Dissertatio historica de duobus maxime insignibus Flori locis. disputata Franeg. 1684. 4.

Animadversiones Historicae. Amst. 1685. 8. Franc. Sanctii Minerva s. de causis L. Latinae Commentarius, cum Notis. Franeg. 1687. 8. Iterum, ibid. 1693, 8. Tertium, Amst. 1702. 8. Quartum, ibid. 1714. 8. Notis quam plurimum auctis. (Nou. edit. Amstel. 1754. 8.)

Dissertatio philol. de Origine, significatione et usu vocum Praetoris et Praetorii, veroque sensu verborum D. Paul. Phil. I. 13. disputata Franeg. m. Jun. 1687. 4.

Diff. philol. de Praetorio Caesarum eiusque Praefecto disputata ibid. m. Febr. 1688. 4.

Disquisitione de Praetorio, etc. cum ampl. Hubero Franeg. 1690. 8. Praeter repetitas praecedentes Dissertationes duas, et Vlr. Huberi Comment. tit. ff. de off. Praef. Praetorio, priori oppositum; exhibetur hic particulatim Huberi de Praetorio liber singularis, cum Perizonii ad singula eius Capita Responsonibus. Accedit Diff. de Descriptione orbis terrarum, modo memorata.

Diff. philol. de Censoribus populi Romani.
Lugd. Batav. 1697. 4.

*Cl. Aeliani Varia Historia, cum Notis, cum
aliorum, tum suis, Lugd. Batav. 1701.*
II. Vol. 8. Altera editio, emendatior,
curante et suas Adnotationes adiciente
Abr. Gronouio. *ibid.* 1731. 4.

*Dissertatio de Morte Iudae, et verbo Απ-
όρρηξεν in qua explicantur et concilian-
tur loca Math. XXVII, 5. et Act. I, 18,*
ac vindicantur, quae ad Aeliani Var.
Histor. Φ. 8. erant notata. Lugd. Batav.
1702, 8.

*Responsio ad nuperam Notitiam de variis
Aeliani aliorumque Auctorum Locis.*
Ibid. 1703. 8.

*Responsio II. ad Notitiam secundam de Lucae
Act. I. 18. et variis Aeliani aliorumque
Auctorum locis. Ibid.* 1703. 8. *Pertinent
haec tria scripta ad litem cum lac. Gro-
nouio, supra tactam.*

*Dissertatio de Historia Belli Troiani, quae
Dyctyos Cretensis nomen praefert, Graeca;
et eius interprete Latino, septimo. prae-
fixa editioni Dyctyos, et Daretis Phry-
gii, Amst.* 1702. 4.

Q. Cur-

Q. Curtius Rufus in integrum restitutus, et vindicatus per modum speciminis, ac variis accusationibus, et immodica ac acerba nimis crisi V. C. Ioannes Clerici, Lugd. Batav. 1703, 8. De hac lite item supra. Inserta pleraque huius Libri suis locis Curtii Snakenburgiani.

Rerum per Europam saeculo XVI. maxime gestarum Commentarii Historici. Ibid. 1710. 8.

Praefatio ad Petavii Ration. Temporum, ex edit. an. 1710. 8.

Origines Babylonicae et Aegyptiacae Tomis II. Ibid. 1711. 8. Editio secunda; cui Praefationem, et alia quaedam, quales sunt Notae nonnullae pro defensione Perizonii contra Guil. Iamesonum et Hadr. Relandum, ad Babylonica, et cl. Hieron. Alpheni Diff. de Annis Iudicum, Hebr. Aegyptiacis praefixa, addidit Car. Andr. Dukerus. Trai. ad Rhenum 1736. 8. II. Voll.

Dissertatio de Aere graui, vt et Responso ad Epistolas Andr. Morellii, de variis Familiarum Rom. Nummis, ex Ursino et aliis Lugd. Batav. 1713. 12.

Dissertationes duae de Rep. Romana. Quarum prior est de primis gentium antiquarum Regibus; altera, de Historia Romuli et Romanae Urbis origine. Exstant in sylloge Dissertationum antea dudum editarum, quae prodiit Lugd. Bat. 1740. 8. Quarum Dissertationum tres priores faciunt Triada illam, quam scriptum suum omnium primum esse Perizonius voluit, cui, ex editione Halense an. 1722. praefixa hic legitur Praefatiuncula Heineccii. Quarta est, de Augustea O. T. descriptione. Quinta, de Aere Graui, et Nummis consularibus ad Andr. Morellum. Sexta denique et septima, duae illae quas dixi. Quae vero vnde haustae sint, aut quo tempore prius editae, mihi non constat. neque vsquam in catalogis operum Nostri, apud Massonum, Niceronium, aut Lipsienses, mentionem earum inuenio.

Orationes addo, diuersis temporibus habitas, editasque. Et iunctim, numero duodenario, curante Guil. Westhouio, Gymnasiarcha Bommeliensi. Lugd. Batav. 1740. 8. Sunt autem hae: De Ciceronis eruditione et industria; inauguralis Franeq. 1682. De usu Graecae Romanaeque Linguae, inaug. Leidensis, 1693.

de

de Fide Historiarum, contra Pyrrhonis-
um Historicum. Lugd. Batav. 1702. De
doctrinae studiis nuper cultis, nunc vero
neglectis. Ibid. 1708. De Origine et Na-
tura Imperii, imprimis Regii. Franeg.
1689. De primis noui contra Gallos et
Hispanos Belli aestiuis, eorumque Victo-
riis. De Aethere Britannis et Batauis
militante anno 1708. De facta nuper
Pace 1697. Cohortatio ad faciendam Pa-
cem. Panegyricus cum Ser. Britann.
Rex Wilb. Arauf. et Regina Maria Stuar-
ta solenniter coronaretur. Franeg, 1689.
Funebis, Mariae Brittanorum Regi-
nae. 1695. Funebris de vita et morte cl.
Abrah. Grauii Franeg. 1683.

Sunt etiam quaedam posthuma, ex iis, quae
 moriens, aut amicis, Carolo Andreae Dukero
 in primis, et cognato suo Io. Cunrado Ruigio,
 aut Bibliothecae publicae Leidensi reliquit, in
 quibus,

Notae et Obseruationes perpetuae ad Vale-
rium Maximum, quibus, ex dicta biblio-
theca petitis, suam huius Auctoris edi-
tionem ornauit Abrahamus Torrenius.
Leidae 1726. 4.

Coniecturae ad multa Flori loca, quas ex schedis Perizonii subministratis a Io. Conr. Rungio suae Auctoris istius editioni inseruit cl. Dukerus; una cum nonnullis ad Ampelium ab eodem notatis. Lugd. Batav. 1722. 8. et 1744. II. Voll. 8.

Annotata ad Pomponium Melam. Et quidem, ad XVI. tantum capita Libri I. Exstant in Miscell. Observ. Criticis Amstelaedami editis; Vol. VII. pag. 417-460. Vol. VIII. pag. 97-140. et pag. 201-239. cum praefixa epistola cl. Dukeri ad Oruilium; qua rationem reddit, cur commendatam sibi a Perizonio, paucis antehabdomadibus, editionem eorum cum ipso Mela, non potuerit exsequi. Inde vero repetita inseruit haec alteri Auctoris huius editioni suae Abrahamus Gronovius. Lugd. Bat. 1748, 8.

Epistolae quoque Perizonii et Nic. Heinstii mutuae exstant in Sylloge Bur. T. IV. p. 734-829. in quibus multa interioris litterarum humaniorum.

Epistola item de iure Suppliciorum apud Iudaeos tempore Christi, ad I. Iob. XII. 31. inserta Musaeo Brem. Vol. II. P. I.

Epistolae duae; de testimonio Flauii Iosephi de Iesu Christo et Iacobo minore. Et, de Chronologia 450 annorum Iudicum Israeliticorum,

liticorum, de qua Actor. XIII. 20. ad Franc. Fabricium huius Christologiae Noachicae et Abrahamicae adiectae. Lugd. Bat. 1727, 4.

Epistola, de ritibus quibusdam Iurisiurandi praefixa Iusti Christoph. Dithmari Commentario ad Maim. constitutiones de Iurisiurando ibid. 1706. 4.

Annotationes denique in Suetonium, a quodam Chr. Phil. Koellnero editae; Vra-tislaviae 1725. 8. sed non nisi tironibus, quibus procul dubio quondam scholis domesticis inseruierant, alicui forte vsui futurae, modo adcuratius fuissent descriptae typis. cetera nullo modo dignae, quae Perizoniano nomine in publicum prodirent, vt merito notant Lipsienses, an. 1726 p. 217. Quorum ex Actis additur Perizonii Elogium et ex alio quodam scripto Germanico, inutilis commemoratio litis cum Francio, et scriptorum virulentorum illa occasione editorum.

IVDICIA eruditorum de Viro, adeo Scriptis suis aliisque meritis, omnibus noto, non est cur hic sollicite conquisita addam.

A R G V M E N T A
C A P I T V M.

CAPVT I.

Omnnes erroribus obnoxii, qui proinde comiter ferendi. Historici perlustrare solebant regiones illas, quarum Historiam erant scripturi. Errores, si qui forte erant commissi, etiam post editionem ex libris suis Veteres saepe tolli curabant. Exemplis id ex Cicerone probatur. Graecorum Historicorum fides crebro accusata. Plutarchi libellus *παραλλήλων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν* eius est notae, quia ex Graecis res Italicas tradit. Romanorum quoque Veteres ab ipsis Veteribus infumulati errorum. Vopiscus expositus. Linius 38. II. et Polyb. in Exc. Legg. notantur et illustrantur, qui per errorem T. Quinctio collegam dedere Cn. Domitium. Mureti lapsus. Consulium paria confusa. Sennii Capitonis hallucinatio, tum Ampelii, et Scholiastis Perfii. Dictator non creabatur a populo. Atilii cognomen *Serranorum* accepere non a *serendo* vt veteres censuere, nec a *Sarra* vt Ant. Augustinus, sed a *Sarano* oppido Italiae. Eorum primus non fuit M. Reguli a Poenis capti Filius, sed alius ei aetate aequalis C. Atilius. Silius Italicus cognomina posterioris aetatis poetica licentia adhibuit ad res belli Punic memorandas.

morandas. Atiliorum series. Cicero pro Sextio emendatur et expl. *Calata comitia*. Polybii alius error notatur. Idem emendatur. Consules a Graecis appellantur etiam *σπαρτηγοί*. Fabius Maximus cognomen hoc auitum suo merito tanquam nouum accepit. Scipio Afric. prior etiam *Magnus* appellatus. In his defensus Polybius contra Sigonium, Valesium, et Spanhemium. Polyaeus notatur.

CAPVT II.

Licius biennii Consules in suis Annalibus omisit. Tribunus mil. conf. pot. addit duos, qui eo anno ab aliis Censores fuisse rectius traduntur. Eiusdem vulgata lectio vindicatur. M. Furius Camillus primus et solus sui temporis habuit hoc cognomen. Septies apud Liuium Tribunus mil. memoratur. Tribuni mil. octo quibusdam annis ex nonnullorum sententia vere fuerunt, quod male negatum a Ruperto. Pomponius Ictus emendatur. Fasti Capitolini notantur. C. Seruilius Dictator et M. Seruilius Geminus fratres fuerunt, et vterque *Gemini* cognomen habuit. Sallustius, Plutarchus et Dionysius Halic. notantur. Appiani duplex error et ex eo Ioh. Vorstii. Africanus posterior a prioris filio adoptatus. Appianus emendatur. Ex eo arguitur

tur Velleius. Tib. Canutius non fuit Tribu-
 nus pl. tempore proscriptionis, nec in ea
 periit, sed Saluius Trib. Asconius Ped. no-
 tatur et emendatur. Dolabellae accusati al-
 ter a Scauro, alter a Caesare, diuerso euentu.
 Iudicium in arbitrio non erat poena reorum,
 sed tantum damnatio ex Lege, qua accusa-
 bantur rei. P. Rutilius innocens ab Equiti-
 bus damnatus, Legatus, non Quaestor fuit
 Mucii. Pomponii ICTi hallucinationes. Va-
 lerii Max. et Plinii error. Tuberonum nulli
 libera Rep. fuerunt Consules. Ammianus
 Marc. explicatur. *Hoc cognomentum* pro hu-
 iusce rei, vel hinc formatum. Phaedrus e-
 mendatur. Hyginus vindicatur. Lilius corri-
 gitur. Valerius Max. asseritur et explicatur.
Cognomen et *cognomentum* proprie non inue-
 teratum iam familiae nomen, sed nouam
ἐπικλήσιον denotat. Q. Labienus non *Parthi-*
cus simpliciter est cognominatus, sed *Parthi-*
ci Imperatoris titulum suis nominibus addidit.
 Pomponius IC. explicatur. P. Sempr. Sophus.
 Sex. Aelius Pactus. cogn. Catus. Flori lapsus
 aliquot, vt et Iustini, ab ipso suo Trogo
 per incuriam recedentis. Galli in Asia pri-
 mum superati sunt non a Rege Bithyniae, nec
 ab Eumene, cuius nominis nullus Bithyniae
 Rex fuit, sed ab Attalo Rege Pergami.
 Frontinus emendatur et notatur. Hanniba-
 les

les diuerfos confundit, vt Valerius Max. Fabios; et contra vnius Zenonis duo facta pro duorum hominum diuerforum rebus obtrudit. Ioh. Vorstii error. Metelli Scipionis foedus error in suis maioribus. Papirii patricii. Eorum princeps ille, qui leges regias composuit. Cicero notatur. Pomponis Ictus tentatur.

CAPVT III.

C. Carbo a Damafippo occifus. Error Reinesij. Carbonum familia. Valerius Max. notatur, Velleius et Cicero illustrantur. C. Carbo frater patruelis Cn. Carbonis ter Confulis. Sigonii peccatum. Florus illustratur. M. Marius Gratidianus adoptatus a C. Marii maioris fratre, et ita frater patruelis C. Marii minoris. Appianus, Plinius et Fausti Cuspin. notantur. C. Marius minor non fuit adoptius maioris filius, sed naturalis ex Iulia Caesaris amita. P. Clodius tres habuit sorores germanas. Cicero, Plutarchus, et Varro explicantur et conciliantur, iste etiam emendatur. *Fratres et Sorores* vocantur etiam patrueles, non item apud Graecos ἀδελφός et ἀδελφή. And. Schotti hallucinatio. *Tertia, Quarta*, &c. mulierum nomina habebant naturam verorum praenominum, et mulieribus imponebantur etiam sine respectu ordinis, aequae

aeque ac Viris *Quintus, Sextus, Decimus*. Nomen commune seu gentis seu familiae saepe vni ex fratribus vel sororibus praecipue tribuitur. Augusti soror, Marcello et dein Antonio nupta, fuit Octavia minor, et eadem, qua ipse, matre nata. Notatus ea in re error Plutarchi, Ant. Augustini, Lipsii, aliorumque, sed imprimis Tristani. M. Lepidi Triumviri frater proscriptus fuit L. Paulus, Consul ante bellum ciu. Caesaris non autem Paulus Lepidus. Dio explicatur, et confictus ex eo Consul ab Onufrio, exploditur. Adoptare non solebant alios, qui ipsi filium haberent. Nomen suum in prouecta aetate mutantes saepe tamen a Scriptoribus priore adhuc nomine appellantur. *Paulus* pro praenomine vsurpatum. Cognominis per adoptionem in praenomen mutati exemplum nullum. Cognomen vltimum solet a Scriptoribus Tulliani aevi praeponi vel priori cognomini, vel nomini gentilitio, si praenomen omittitur. Germanici Caesaris vtra nomina. M. Antonii liberi. Velleius vindicatus. Seneca expositus, et Suetonius. L. Paulus proscriptus ab Augusto, concedente fratre. Cicero explicatur, vt et Dio, qui tamen etiam erroris arguitur. Fratres diuersis cognominibus appellati. Ratio nominum in gente Aemilia. Cognomina iam dudum oblitterata

repeti

repeti in suis gentibus Augusteo aeuo coeperunt. Paulus Fab. Maximus, et Q. Fab. Max. Africanus fratres, et vnde *Pauli* et *Africani* nomina habeant. Suetonius defenditur. Antonius filios alterum *Antullum*, alterum *Iulum* vocauit a paterni et materni generis progenitoribus. *Antullus* nomen est diminutivae formae, ab *Antone* formatum. Nummi Aemiliae et Scriboniae gentis explicantur. *Concordia* Dea ad Fratrum concordiam denotandam adhibita. Raetuardi error. *Nullo patre nati.* Ancus Marcus ab auo materno semper describitur. Liuius notabili loco emendatur.

CAPVT IV.

Scriptores saepe aliquid suo loco praetereunt, quod tamen postea per occasionem tanquam iam ante traditum verbo memorant. Multis id exemplis ex Liuiio probatur. Vrbes caedem ab iisdem hostibus diuersis temporibus captae. Prouinciaram permutationes deprehensae ex ipsa Historia, sed non expressae a Liuiio. Emendatus ille Auctor illustri loco. Res eadem, quasi nondum tradita, iisdem verbis alio loco iterata. Liuius, Appianus, tum Epitome Liuii et Cicero correcti. Caecilius Bassus fuit Pompeianarum partium.

CAPVT V.

Literarum vsus antiquis temporibus rarissimus. Clavis in pariete templorum fixis publice olim annos numerare solebant: eaque res etiam deinceps in vsu mansit apud rusticos. Petronius vindicatus et expositus. Communia etiam omnium Scriptorum errata in Historiis aliquando occurrunt. In antiquissimis Historiis multa fabulis et miraculis similia, quae neque ipsi Veteres credidere. Florus vindicatus. Fabiorum ad Cremeram caesorum vera haud dubie historia. Fuerunt 306. numero, sed hi non omnes patricii Fabii, verum maxima pars clientes eorum. Festus explicatus. Patriciorum exiguus numerus Tarquinio Sup. regnante. Multitudo saepe accipit nomen ducis sui. Tribus vrbis Roma a familiis denominatae. Cicero emendatur et illustratur. Fabii ex nullo municipio fuere orti, sed ex ipso illo loco, vbi condita Vrbs Roma. Fuluii fuere Tusculani, non Tiburtes origine. Cicero denuo expositus. Fuluii et Fabii nomina saepe inter se permutata. Valerii Probi Notae, tum Ampelius et Plutarchus emendati.

CAPVT VI.

Cantica apud antiquissimos populos vsum Historiarum praebuere, apud Hebraeos, Graecos,

Graecos, Hispanos, Gallos, Germanos, Romanos. Funebribus laudationibus multum debet Historia Rom. Saepe tamen etiam per illas adulterata est. Historicorum fides in rebus suae familiae et patriae suspecta. Florus et Orosius defensi et notati. Valerii Antiatii Historici aetas et fides. Scriptores saepe adulantur Illustribus Viris, et praecipue Vel-leius Paterculus. L. Aemilius Paulus non ter, sed bis tantum triumphauit. Nummi gentis Aemiliae explicantur. Tropaea in iis signum victoriae, non triumphii. Fasti Capitolini diligentissime notatos habent singulorum triumphos. Supplicationes non semper sequebatur Triumphus. Supplicationes vix negatae, negatae tamen etiam aliis, quam Albutio. Cicero notatus. Triumphus saepissime negabatur; vnde mos triumphandi in monte Albano. Triumphantes debebant olim rem gessisse imperio non extraordinario, sed accepto in Magistratu: tum suis auspiciis, et in sua prouincia: porro ita, vt nullam antea in eodem bello magnam cladem fuerit passus; denique debellasse; prouinciam pacasse; et fines imperii protulisse. Valerii Max. error. Liuius emendatur. *Prorogare* de duratione temporis dicitur, non extensione loci. Facilius tandem fuit Senatus in Triumpho concedendo; sufficiebat tunc 5000 hostium vno proelio occidisse.

L
disse. Hinc factum, vt in desuetudinem venerit triumphus in monte Albano, vt et Onatio. Negatus tamen et tunc aliquando triumphus; Nec agebatur de bello ciuili. Interueniebant saepe etiam causae, per quas peragi non posset.

CAPVT VII.

Spolia victis hostibus solebant detrahi, et hinc spoliare hostem, designat saepe eius caedem. A victoribus solebant ostentari, circumferri, vel certis locis figi. Scutum in proelio perdidisse, aut in fuga abiiecisse turpissimum fuit apud omnes populos. Spolia, seu arma, vel Scuta victores post proelium legere solebant, vel, si vota alicui Deo, in cumulum coniecta incendere. Tropaea quoque iis ornabant, tum triumphos, aedes sacras, porticus, denique et priuatorum domus. Mitebant ea etiam ad Amicos et Socios. Diis vero consecrata, si tractu temporis essent consumpta, non licebat ea renouare. *Opima spolia* non ab opere, sed ope dicta. *Opis* in singulari significat abundantiam omnium rerum, et maxime terrae fructuum, dein etiam diuitias et potentiam, sicuti *opes* in plurali etiam auxilium notat. *Opimus* pro luculento et amplo. *Opima* absol. pro opimis spoliis, *Feretrius Iupiter* a feretro appellatur. Minucius F. tentatur. *Opima spolia* laxiore sensu ali-

aliquando etiam pro luculentis quibuslibet ponuntur. Florus explicatur. Spolia proprie opima tria tantum a Romanis capta. Spolia op. secundum vulgarem sententiam non alia sunt, quam quae Dux Rom. Duci hostium detraxerit. Varro contra statuit esse etiam ea, quae manipularis duci hostium detraxerit. Liuii de his verba examinantur. Numa Lex de spoliis diuersis generibus loquitur. Error Virgilii et aliorum, qui de trinis a Romulo, Cossio, et Marcello captis eam interpretantur. Plutarchus explicatur et emendatur. Valerius Max. notatur. Magister Equitum non suo auspicio gerit rem, sed Dictatoris. *Auspicium* tribuitur aliquando etiam iis, qui reuera id non habuere. *Ducis* vocabulo non semper intelligitur summus Dux aut Imperator: Florus tentatur. Spolia opima debebant acie instructa capi, et prima omnium. Cur Manlius Torquatus, Valerius Corvinus, P. Scipio, et M. Crassus opima non tulerint. *Dicere* saepe ἐλλειπτικῶς omittitur. Liuius expositus. Aelianus vindicatus. *Audire aliquem aliquid*. Tacitus tentatus. *Si* pro *an* positum. Liuius tentatus. Verbalia in *io* saepe significant ius et potestatem. Liuius emendatur. Virgilius explicatur. *Alter ab undecimo*. *Vnus et alter* de paucis diuersi numeri. Numerationi Veteres saepissime includebant duo extrema. Plu-

tarchi error, vt et Valerii Max. ac Victoris. Rutgerfii fententia de infcriptione fpoliorum Cofli examinatur. *Coful* dicebant antiquiffimi, non *Conful*: Hinc nota eius vocabuli eft *Cos*. Notae discrepabant aliquando ab ipsis vocabulis. C. olim habuit fonum $\tau\epsilon\upsilon$ G. *Gaius* et *Gnaeus* fcribi et legi debent, licet notentur per C. et *Cn*. Feflus exponitur. G. litera inventa a Sp. Caruilio liberto. Cognomina in arctiore fpatio plene fcribebantur, gentilitia vero concife. *Nigri* cognomen in gente Caecilia non ex Nummis modo, fed et ex fcriptis Veterum probari potefl, contra quam tradunt Patinus et Spanhemius. Tituli imaginum antiquiffimis temporibus vel nulli vel breuiffimi erant, plerique a pofleris demum additi: id quod et de Cofli fpoliorum infcriptione videtur flatuendum. *Confulis* vocabulum in titulis non femper designat annum, in quo res iftic memorata gefla efl, fed honorem Viri, qui eam geflit. *Dare* et *dedicare* in donariis differunt. *Confules* et *Praetores* faepe vocantur, qui Confules et Praetores iam fuerunt. Infcriptio Graeca explicatur. Seldeni in ea lapfus. Nummus Lepidi illuftratur. Valerius Max. notatur. Plutarchus expofitus. *Patris patriae* titulum quando acceperit Augufus. Fragmentum Kalendarii Veteris explicatur. Ruperti error. Frontinus notabili loco emendatur. *Perficum bellum*.

CAPVT VIII.

Diuersa tradunt aliquando Scriptores de eadem re, et a se ipsis dissident. Festus notatus et emendatus. *Suburrana* et *succusana* tribus promiscue scribitur, et vtriusque vocabuli eadem origo. Plutarchus emendatur. *Ate-lomarus* nomen Gallicum. Prodigia eadem diuersis annis saepe nunciata. Obsequens saepius emendatus. *Videri* de omnibus sensibus dicitur. Plutarchus et Appianus conuicti. Hic etiam correctus. *Tillius* Cimber, non *Tullius*, nec *Atilius*. Trifiani in eo error. Praenomina in antiquis priuatorum hominum nummis semper expressa. *Cimber* non modo *Tillii*, sed et *Anni* cognomen. Appianus et Liuius in confundendis cornibus aciei vel lapsi vel emendandi. Idem Liuius saepius notatus, aliquando et adiutus leui correctione. Quis *Primus* quid fecerit, annotari diligenter solebat. *Velleius* tentatur. De Q. Pleminii morte diuersae Veterum sententiae. Vorstius erroris arguitur. Valerius Max. arguitur et defenditur. L. Manlius *Imperiosi* cognomen accepit, vt eius filius *Torquati*, quae confusa a Veteribus et recentibus. Liuii vulgata lectio asseritur, ipse arguitur.

CAPVT IX.

Peruersae ipsorum Veterum citationes, Macrobius Varronem laudans vt et Plinius Virgilium, Cicero Homerum, Pomponius IC.

Ciceronem, et Plutarchus Liuium aliosque notantur. Nepos defenditur contra Valesium. Alius pro alio Auctor perperam a variis citatus. Grammatici saepe ex Auctoribus fragmenta citant non integri sensus, quae proinde coniecturis tentare periculosum est. Insignis Gothofredi error in exponendo Festo. *Nasiterna* non a *nasis ternis* compositum, sed simpl. a *nasutus* formatum. Epitomae saepe recedunt perperam a suis Auctoribus. Sic Sulpicius Seuerus, sic Tribonianus, sic Iustinus, sic imprimis etiam Epitome Liuiana. Plutarchus Liuium perperam expressisseprehenditur. Lipsius notatur. Appianus Parthica sua ex Plutarcho sumisit. Vterque explicatur, et illustratur. Caesellius Vindex, et Verrius Flaccus in interpretando Ennio turpiter lapsi. Liuius notabili in loco Polybii, quem sequitur, mentem neutiquam percepisse probatur. Corn. Nepos notatur. *Fratri* et *sororis* vocabula, quia ambiguae apud Latinos significationis, saepe Veteres ipsos in errorem induxerunt. Probatur id ex Dione. Cicero et Valerius Max. tentantur. Hyginus notatur, illustratur, emendatur, et defenditur contra Reinesium. Catullus explicatur aduersus Turnebum. Scylla Nisi etiam in piscem mutata traditur. Onufrii Commentarius in *Fastos*, et *de Nominibus* ex Sigonio descriptus. Eius insignis in describendo hallucinatio.

tio. Pighius inconsulte inuectus in Pomponium ICTum, eius rei nomine, quam in Pomponio Laeto legerat. Schefferi mira et insignis hallucinatio. Obsequens emendatur. Baronii error, vt et Maimburgii. Adelfigius Desiderii vltimi Longobardorum Regis F. avunculus fuit Grimoaldi, non hic illius. Anna Othonis II. vxor, filia fuit Romani Pueri, non Romani Argyri.

CAPVT X.

Discrepantiae inter Hebraeum et Graecum S. Scripturae codicem ex vitio et culpa librariorum primum ortae. Deus non magis adfuisse credendus librariis, quam Interpretibus. Mendae iam olim fuerunt frequentes in S. Scripturae exemplaribus. Critici studii utilitas et necessitas. Modus tamen in eo saepe exceditur. Mendis non caruere antiquissimi Auctorum codices. Ipsi Veteres de eo queruntur: Sacrae Leges non sunt solae, quae in Sacro Monte de Tribunis pl. creandis latae, sed omnes sanctione munitae. Asc. Pedianus notatur, illustratur, et emendatur. Gellius assertus et correctus: Crisim exercuerunt etiam antiqui Scriptores. Etiam ex ingenio et coniectura. Probatum illustri exemplo Liuii, qui et illustratur, atque emendatur, *Caepiones* et *Scipiones* saepius a librariis confusi. Appianus corrigitur. Ampelius notatur. Flo-

rus tentatur, et Cicero. Priscianus, et Fa-
 florum Siculorum Auctor notantur. Nonius vi-
 tiosa Sallustii Scriptura deceptus, vt et Lam-
 pridius Herodiani, et Zonaras ac Xiphili-
 nus Dionis, cuius insignis locus in disquisitio-
 nem vocatur. Augustus an *Caepias* appellatus.
ἀδελφός et *ἀδελφιδής* saepe a librariis promiscue
 posita, causam erroris dedere ipsis Scriptoribus.
 Plutarchus emendatus, Hyginus et Iustinus
 notati. *Moesia* et *Mysia*, *Rhoemetalces* et *Rhy-
 metalces*. *Oe* in pronunciando mutatum tandem
 in *Y*. Dio illustratus. Florus, quia conciso stylo
 scripsit, multis glossematis inquinatus, et heic
 purgatus. *Commissum bellum*. Discrepans vnus
 voculae vel nominis Scriptura ab ipsius Auctori-
 bus memorata. Frontinus emendatur. Praeno-
 men saepe in libris coaluit cum sequenti nomine,
 in primis eo, quod incipit a vocali. Scioli, qui
 emendare Auctores perperam sunt conati, fue-
 re etiam antiquissimis temporibus. Veterum id
 testimonio, et duobus praecipue probatur ex-
 emplis. Sallustio vetus lectio restituitur. Gel-
 lius illustratus, et Grammatici, cuius meminit,
 proterua audacia clarissime confutata. *Duoet-
 vicesimus*. Plutarchus et Polyaeus correcti. Li-
 vius a se ipse diuersus in annis post Urbem a
 Gallis captam, et Cammilli mortem. Nonius et
 varia apud eum fragmenta emendantur.



IACOBI PERIZONII
ANIMADVERSIONVM
HISTORICARVM

C A P V T I.

Nemo est hominum, eorum imprimis, qui vitam non ignauo otio aut indecoro et inerti transeunt silentio, sed rebus gerendis vim animi et corporis applicant, nemo est, inquam, qui non aliquando apertum praebeat Fortunae latus. Et proinde quantacunque *Principem* suum prudentia instruat Machiauellus, non tamen omnibus suis praeceptis perfecit vnquam, quo minus Fortuna humano generi, cuius ipse arbitrio eam satis aperte subiicere (cap. 25.) conatur, dominari, et Princeps consiliis eius etiam callidissime vtens, Fortunae tamen incurfibus, inconstantiae, ac malignitati, obnoxius esse reperiatur, licet ceteroquin etiam illa prouido saepe consilio et peruigili animi adtentione cohiberi, immo in ordinem

A

dinem

dinem aliquando cogi videatur. Sed tamen nimia profecto foret illa in nobis homuncionibus arrogantia, si vim huius Fortunae ac potestatem, quae supra nos posita Dei nutu humanas actiones regit, prorsus agnoscere nollemus, aut nostris eam artibus et consiliis arceri omnino, atque eludi posse existimaremus, quum quamuis ingenio sagacissimi, ac rerum usu inueterati, tamen neque aliorum, aequalium nobis, hominum dolos ac fraudes vitare semper possimus, neque semper et ubique peruigilem, atque ad omnes casus in specula positum habere animum; immo saepissime a nobismet ipsi, nostrisque adfectibus a recto itinere etiam inuiti vel imprudentes abripiamur, ac in omnis generis peccata et errores praecipitemur. In communi hominum vita, ut ait Plautus,

*Qui cauet, ne decipiatur, vix cauet, cum etiam
cauet,*

Etiam cum cauisset ratus, saepe is cautor captus est.

In re gerenda seu publica seu priuata quoties praua cuiusque modi libidine a recte consulendo transuersi rapimur? quoties ipsi nos errasse opinione nostra deceptos deprehendimus, partim imprudentia futuri, partim etiam ignorantia vel obliuione praeteritorum? In hominem non cadit, animum, qui curis non minus quam corpus laboribus fatigatur, et,

Ad cogitandum melior ut redeat tibi,

alternam requiem laxamentumque requirit, variis cogitationibus occupatum iam et exercitum, ad subita et noua semper aequae paratum, intentum, alacrem habere: omnia maxima, minima iusta pariter lance pensitare, omnes denique rei praecipuae
accessio-

accessiones, repente animo obuenientes, vel etiam vltro arreptas, qua oportebat diligentia et cura semper considerare.

Documentum huius rei non leue dant etiam illi, qui scriptis ingenii ac doctrinae monumentis aeternitatem cogitant. Nam quis illorum vnquam tantam vbique adhibuit prudentiam, cui non videas aliquando etiam obrepisse somnum, praesertim opere in longo, vbi id *fas esse* largitur Horatius, humani ingenii probe gnarus. Etiam *bonus dormitat* Homerus.

*Verum vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.*

Certe inhumani sunt, qui nostrae, et suae ipsorum conditionis immemores, scriptori bene de re literaria merito vnus aut alterius errati veniam dare nesciunt, quin acerbe eum ac proterue ea causa exagitent et publice traducant, quamuis interim multo grauiora ac foediora saepe committant ipsi, dum aliis tam ferociter insultant. Inepti sunt, ne quid amplius dicam, et illi, qui quamuis studiorum suorum foetus nulla prorsus cura elaborent, sed inconsulto potius imperu fidenter in publicum effundant, eamque sibi laudem ducant maximam, si gloriari queant, se quicquid eius est quod edunt, temporis angustiis exclusos, festinanter nec satis considerare in chartam conuicere, vt quod *in solum venire* dicitur, compulsos esse; tamen omnem etiam leuissimi erroris speciem summo semper studio a se amoliuntur, nec vnquam ad ingenuam eius agnitionem, licet manifeste deprehensi, adigi possunt, immo vero iniquissimo ferunt animo, si quis, etiam modeste et

comiter, errantes in viam reducere, et falsa ipsos ac eorum lectores opinione liberare conetur. Homines parum profecto prouidos futuri, dum non intelligunt fore, vt post mortem suam multo acrius, et saepe etiam acerbius, quam commeruerant, redarguantur ab iis, qui ex alienis peccatis sibi laudem et gloriam comparare student, sublato tunc penitus non modo omni inimicitiarum metu, sed et auctoritatis, quae viuos ornabat ac tuebatur reuerentia. Male denique faciunt et hi, qui, si quem Veterum commentariis suis publice illustrandum suscipiunt, quo maius suo labori atque operi ex Auctoris istius dignitate pretium ab aliis statuatur, ita in eo versantur tanquam si id sibi negotii praecipue credant datum, vt omnia illius errata, quasi his casibus minime subiecti aut humana conditione maioris, quocumque modo velent, dissimulent, et prorsus tollant, atque id quidem agunt modo alienissimis et longissime quaesitis interpretationibus sententiam eius obscurando atque adulterando, modo verba violentissimis coniecturis audacissime contra Codd. auctoritatem torquendo et interpolando.

Hoc in genere omnem excessit modum Steph. Vinandus Pighius purgando et illustrando Valerio Maximo suo, non raro in priscis rebus caespitante, et incuriae sane manifesto. Quamobrem quum saepius mihi, qui eundem Auctorem emaculandum sumpsi, pro membranarum consensu cum Pighio et simul quodammodo cum Valerio viderem esse depugnandum, ne tamen iniquior ego praeter ceteros in Valerium nostrum esse, auctoritatemue illius plus aequo deminutum ire existimarer, consilium cepi Historicis has Animadversiones prius emittendi, vt ostenderem etiam ple-

rosque

rosque alios illius temporis rerum Romanarum scriptores, iusta ac vera hominum opinione singularis fidei, curae, diligentiae, ingenii et iudicii nomine celebratissimos, tamen vel memoriae vitio, vel animi quadam incuria humani aliquando quid passos, et naeuulis istiusmodi hic illic occurrentibus liquido probasse, in scribendo se, aequae ac alios, potuisse falli, adeoque nihil esse humanarum rerum, quod non humanis erroribus appareat obnoxium, nullumue communis humani ingenii imbecillitatis signum in attentos aliorum oculos ingerat. Non vagabor ad hoc demonstrandum per omnes omnis generis scriptores. Non excutiam nunc Poetas, non Historiam Augustam, nec etiam res vetustas Graecorum aut Asiaticorum ad Romana nihil pertinentes, saepiuscule ad partes vocabo. Nam ita sentio, varietatem istam diuersissima singulis pene capitibus saltuatim tractantium facere potissimum ad ostentandam omnigenam eruditionem, lectorum vero animos magis impedire et turbare, quam iuuare, aut docere. Quotus enim quisque nunc est, qui pariter tam multas et varias superiorum seculorum Historias memoria et mente comprehenderit, qui, quod oporteret, vt iuuetur et delectetur, omnia illa sciat, intelligat, deque omnibus iudicare possit vel ausit, si ab iis discesseris, qui se totos his studiis dedere. De ceteris itaque historiis separatim alias forte agam, nunc me continebo maxime in Romanis ad Augusti vsque tempora, tum quia haec maximam partem sunt peruulgatae prorsus, et omnibus pene, etiam qui nondum aere lauantur, notae, tum quia earum scriptores tam Graeca quam Latina lingua plurimorum in manibus versantur, fide, ingenio, cura, et doctrina maxime

consentur, et ad Valerium nostrum, ut argumento operum, ita aetate plerique propius accedunt.

Nihil tamen nec praecipue huius illorumque, nec communiter omnium Veterum auctoritati per me derogatum volo, ut quibus semper suus honos et suum pretium constabit apud me integrum et incolume. Quin profiteor ultro, plerosque Veterum et maxime Romanorum istius aevi longe maiore, quam nos vulgo, cura ac diligentia in rebus memoriae prodendis versatos. Quo facit, quod Historiam Isidorus Etymol. 1. 40. graece dictam tradit ἀπό τῆς ἰστορίας, a videre, vel a cognoscere, quoniam, ut ait, apud Veteres nemo conscribebat historiam, nisi is, qui intersuisset, et ea, quae scribenda essent, vidisset. Sed et si qui res ante gestas, quibus ipsi per aetatem interesse non potuerant literis consignare decreuissent, tantae tamen curae sibi id negotii plerique habuerunt, ut in loca, ubi quidque perpetratum, ubi bella, obsidia, praelia contigissent, prius proficiscerentur, et explorato eorum situ, certius ita de rebus singulis iudicaret, ac posteris referrent. Significat id Plautus in Menaech. 2. 1. ubi seruus, apud Dominum, qui fratrem amissum ubique gentium quaeritabat, conquestus, frustra iam omnes terras, omnia maria a se adita et perlustrata, ait tandem:

*Quin nos hinc domum redimus, nisi si historiam
scripturi sumus.*

Apertum ex his, eos, qui tunc ad historiam scribendam animum adiungebant, antequam eam aggrederentur, fecisse id quod Dominum suum, fratrem quaerendo, fecisse narrat seruus, h. e. terras et maria ante circumiuisse, non operae, non sumptibus parcentes. Atque id de se aperte testatur

tur Polybius lib. 3. *multa pericula laboresque in peregrinatione Africae, Hispaniae, item Galliae, et maris externi, qua has regiones alluit, exantlasse, vt verius historiam conscriberet, et antiquorum ignorantiam harum orbis partium corrigeret, et illos quoque tractus Graecis hominibus aperiret. Qua cura diligentiaque, quis non videt, quanto post se interuallo reliquerint nostrae aetatis Historicos?*

Sed et vbi iam manum scribendo admouissent, elaboratum tanta cum cura opus, premebant tamen plerumque domi in aliquod tempus, singula accuratius iterum pensiculantes, vel etiam amicis ante examinandum dabant, et ex eorum deinceps consilio corrigebant: immo saepe, etiam, quum iam edidissent, quia olim libri non, vt nunc, formis spongiae non obnoxiiis describebantur, sed stylo, qui versus scripta poterat inducere, admissos forte errores vel per se postea, vel aliorum admonitu cognitos emendabant. Cui rei utroque modo argumento sit ipse Cicero. Nam cum in *Oratore*, quod Aristophanis erat, Eupoli tribuisset, vitium illud, per se, vt opinor, aliter edoctus, corrigi in vulgatis iam exemplaribus curauit, scribens ad Atticum XII. 6. *Mibi quidem gratum, quod Oratorem nostrum legis, et erit gratius, si non modo in libris tuis, sed et in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli.* Ab aliis vero Orationem quam pro Ligario dixerat, iamque publicauerat, emendandam esse, eradendo *L. Corfidii* nomine, didicit, idque confestim per eundem Atticum fieri voluit XIII. 44. *Brutus mihi T. Ligarii verbis nunciauis, quod appelleretur L. Corfidius in oratione Ligariana, erratum esse mecum, sed, vt aiunt, μνημονίων ἀμάρτημα.* Sciebam Cor-

fidium pernecessarium Ligariorum, sed eum video ante esse mortuum. Da igitur, quaeso negotium Pharnaci, Antaeo, Saluo, (librariis Attici) ut id nomen ex omnibus libris tollatur. Annotat hic Manutius, factum id esse; nam in oratione Ligariana *Corfidium* nusquam appellari. Quod equidem miror. Nam etiam nunc ista in orat. cap. vlt. inter necessarios Ligarii, quos adesse illi Orator pro opinione sua commemorat, *L. Corfidius* quoque nominatur. Sed videtur Manutius quidem pro eo legisse *L. Cornificius*, quod quaedam edd. perperam praeferunt, oratio vero isthaec statim fuisse nimis diuulgata, quam ut facile postea pleraque exemplaria isto nomine ex voluntate Ciceronis potuerint exonerari. Addi his meretur caput 6. lib. XV. Noct. Att. A. Gellii, ubi ille Ciceronis in libro secundo de Gloria manifestum errorem arguit, quem, ut ait, cognoscere possit, non modo aliquis eruditorum, sed qui tantum legerit *Ομήρου* τὸ Η. quum Cicero Aiacem ex Homero scribat, cum Hectore pugnaturum, de sepultura sua fuisse sollicitum, si forte vinceretur; apud Homerum vero non Ajax sed Hector de ea cum suis agat. *Quamobrem, pergit, non tam id mirabamur errasse in ea re M. Tullium, quam non esse animaduersum hoc postea, correctumque vel ab ipso, vel a Tirone, liberto eius, diligentissimo homine, et librorum Patroni sui studiosissimo.* Patet hinc utique etiam post mortem scriptorum manifestis in erroribus emendatos aliquando fuisse libros, vel saltem emendari potuisse, quum nobis nunc nulla ratio supersit corrigendi erroris, nisi iterata editione. Patet vero et illud, etiam certissima ἀμφοτέρωθεν a Veteribus, et quidem horum praestantissimis ac doctissimis non modo in scribendo nimis

memo-

memoriae suae confisis, fuisse admitta, verum etiam post editionem in eorum scriptis relicta.

Observarunt hoc et monuerunt per occasionem dudum quoque Viri praeclari, Sabellicus ad Livium, Budaeus in Comm. de Assé, atque alii. Immo a Paulo Manutio in Notis ad Cicer. 1. ad Attic. *librum de mendosa historia* promitti video, quo nihil aliud erat acturus, quam quod ego nunc aggredior. Quod, ne quis nobis vertat vitio, etiam ipsi veteres saepe fecerunt, incusantes alios sui vel superioris temporis scriptores erroris, securitatis, credulitatis, immo vanitatis aliquando et mendacii. De Graecis quis ignorat illud Satyrici? *quantum Graecia mendax audet in Historia.* Cum quo facit Quintilianus Inst. Orat. II. 4. *Graecis historiis plerumque Poeticae similis est licentia.* Quin apud Herodotum patrem Historiae et apud Theopompum innumerabiles esse fabulas scribere non veretur Cicero de Leg. I. 1. Curtius IX. 5. Clitarchum et Timagenem Historicos Ptolemaeo Lagi F. rem gloriae potius quam dedecori ducendam adscribentes, ex ipsius Ptolemaei scriptis, qui gloriae suae non refragaturus utique, illud ipsum tamen diserte negauerat, arguens exclamat tandem: *Tanta componentium vetusta rerum monumenta securitas, vel, par huic vitium, credulitas.* Quapropter et eiusdem libri cap. 1. se aliquando *plura transcribere, quam credere* testatur. Quod si quis nihilominus iniuriam fieri Graecis putet, legi sane ab eo velim Plutarchi libellum *περὶ παραδόξων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν.* Ita enim cognoscet clarissime, si modo rerum a Romanis gestarum non est omnino ignarus, quid Graecis quibusdam, ex quibus Plutarchus Italica omnia istius libelli excerpfit, in rebus praesertim exoticis sit tribuendum.

Iam vero ipsos quoque Romanos suae Urbis de rebus reprehendi passim a Liuijo videas, atque adeo vt aliquando testetur nihil se ex vano haustum velle, *Quo nimis inclinent ferme scribentium animi.* Inprimis Valerium Antiatem coarguere solet, cui hoc epiphonema proinde adiungit XXVI, 49. *Adeo nullus mentiendi modus est.* Et vbi C. Seruilius Consul cum Annibale conflixisset memorat, (XXX. 19.) obscuram esse eius pugnae famam addit, Valerium tamen Antiatem quinque millia hostium caesa dicere, *quae tanta res est, subiicit, vt aut impudenter ficta sit, scil. ab Antiate, aut negligenter praetermissa, nempe ab aliis.* Verum ipsum quoque Liuium, vt eiusdem cul-pae adfinem, quamuis candorem illius commendat Quintilianus, notari tamen vna cum aliis a Vopisco in Aureliano cap. 2. obseruauit. Nam cum coram illo Praefectus Urbis Trebellius Pollionem quamuis eum in Aureoli, vnus e XXX. Tyrannis, vita iactanter satis professum videam, *se fidelitatem historicam, prae ceteris custodiendam putauisse, ideoque id, quod ad eloquentiam pertinet, nihil curare; rem enim proposuisse deferre, non verba, tamen et ipsum hunc quum Praefectus V. accusasset, quod multa incuriose, multa breuiter (malim leniter, h. e. temere, et minus vere, ac fideliter; nam in seqq. tantum de sublesta historicorum fide agitur, et Pollio eius solius cul-pae cum aliis societate defenditur) prodidisset, se contra dixisse, ait, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, et prodidisse, in quo Liuius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus conuincerentur.* Sed haud dubie acrior est haec Censura, quam pro merito, in grauissimos Histo-

ricos,

ricos, quos haud facile mendacii quis conuincet; nisi forte, quod arbitror, in familiari sermone Vopiscus per iocularem quandam rei amplificationem *mentitos* dixerit, quos quocumque modo, non omnino voluntate sua aut consulto, sed in curia quoque imprudentia ac memoriae vitio falsi quid historiis suis nonnunquam adpersisse senserit. Hoc illis, utpote hominibus, a quibus nihil humani, haud magis, quam ab aliis, fuit alienum, accidisse potuit et haud dubie aliquando accidit secure nimis et incuriose pro comperto, ut fit, afirmando, quod vel fallax memoria, vel incerta coniectura iis suggererat, aut ab aliis quoquo modo traditum acceptumque temere crediderant.

Clarissimo hanc afirmandi leuitatem exemplo, non in illis tamen, sed in aliis antiquioribus declarat Dionysius Halic. VII. 1. Tradit ibi An. V. C. 261. T. Geganio, P. Minucio Coss. urgente fame missos esse ad coemendum frumentum legatos ad *Gelonem Dinomenis F.* Siciliae tunc temporis tyrannum, et reprehendit Licinium, Gellium, multosque alios Romanos scriptores, qui temere, ut quidque animo primum occurreret, pronunciantes, scripserint illos ad *Dionysium* maiorem fuisse missos, quum iste 85. demum annis post, tyrannidem inuasisset. Verum hoc esse etiam Gellius, sed alius a superiore Noët. Att. XVII. 21. docere nos potest. *Tribunis militaribus Consulari Imperio Remp. Romae regentibus ad annum fere V. C. 347. triginta illi tyranni praepositi sunt a Lacedaemoniis, Atheniensibus, et in Sicilia Dionysius superior tyrannidem tenuit.* Inter annum 261. et 347. ipsi 85. anni plane intersunt. Recte igitur Halicarnassensis culpam hanc in negligentiam illius potissimum confert, qui primus id de Dionysio adfirmarit, quem-

quemque omnes deinceps, re non considerata, fuerint secuti, eumque existimat, *hoc tantum in priscis Annalibus inuenisse. Istis Coss. Legatos, ad coemendum frumentum in Siciliam missos, atque inde quod tyrannus dono iis dederat, aduexisse, (quomodo sane Livijs II. 34. neque legatis neque tyranno nominatis, missos tantum, illis Coss. legatos quaesitum quoque in Sicilia frumentum scribit) neque amplius in id inquisiuisse, quis tunc Siciliae tyrannus fuerit, sed inconsiderate et prout animo forte occurrebat, posuisse Dionysium.* Veram hanc Graeci huius et iustam de Romanis illis esse sententiam quis dubitet, et porro hoc tam claro documento non agnoscat etiam in Veteribus incuriae et oscitantiae cuiusdam non leuia aliquando reperiri exempla, adeoque non male consulere nobilissimae rerum Romanarum Historiae, qui nullis praeiudicijs occupati aut absterriti in vetusta quoque Literarum monumenta inquirere, et deprehensis forte erroribus, ac in medium prolatis, ipsam Historiam emendare atque illustrare audeant.

Certe Polybius III. 9. postquam Fabium, Senatorem Rom. et antiquissimum ac magnae auctoritatis Historicum de causis belli Hannibalici refutasset, acriter invehitur in eos, qui magnis nominibus et titulis librorum nimium tribuentes, res in ipsis traditas non satis considerent, *ad narrantem potius, quam illa quae narrantur, animum aduertant, et quicquid ab eo dictum est, pro fide digno protinus arripiant.* Quo animo et cap. 58. quum plerosque antiquorum quod ad situm extremarum orbis partium in multis errasse dixisset, subiungit: *nequaquam sane praetermitti errores illorum debent, sed confutare illos oportet, neque id obiter, aut carptim, verum ex professo; confutare autem sic, non*

*vt auctores incuses, aut in eos inueharis, sed laudes
 potius et quae fuerint ab illis ignorata, corrigas, ita-
 que apud te cogites, etiam illos, si ad hanc aetatem
 peruenissent, multa quae scripsérant, fuisse emenda-
 turos et mutatuos.* Verba, quae, quamuis com-
 plura, hic tamen ex eius versione referenda cen-
 sūi, quod satis digne laudari, aut nimis saepe in-
 culcari nobis non posse arbitrarer, atque omni-
 bus, sed maxime nunc mihi in exemplum propo-
 sita, et huic meo instituto accommodata velim.
 Et ignoscent idcirco mihi Polybiani manes, si nunc
 auctoritatem illius secutus, exponere non refor-
 midem, in quo eum Auctorem ceteroqui omnium
 suae gentis grauissimum ac diligentissimum, me-
 moriae culpa, lapsū reor: leui illa quidem quan-
 tum ad ipsum, sed qua tamen Historiae ordo ac
 veritas vehementer labefactatur, et ipse etiam Li-
 uius, verba illius, vt solet, Latino sermone expri-
 mens, fideique eius plus satis hoc quidem in loco
 tribuens, naeuulo ab interpretibus deinde aucto,
 adspargitur. Etenim suspectum mihi semper fuit,
 quod apud Liuium XXXVIII. 11. in legibus Pacis
 a Senatu Rom. Aetolis concessae et confirmatae
 legebam: *Quae vrbes, qui agri, qui homines Aeto-
 lorum iuris aliquando fuerunt, qui eorum L. Quin-
 tio, Cn. Domitio Consulibus, postue eos Coss. armis
 subacti, aut voluntate in ditionem Populi R. venerunt
 ne quem eorum Aetoli recepisse velint.* Atqui illo-
 rum in Consulatu nihil omnino rerum in Graecia
 a Romanis contra Aetolos gestum est, nullae pror-
 fus vrbes, nulli agri, nulli homines, qui Aetolorum
 iuris fuerant, subacti, aut voluntate sua in Romano-
 rum potestatem ac societatem venerunt. Ipsi Con-
 sules in Italia contra Ligures et Boios pugnarunt,
 quiescentibus adhuc Aetolis, et aduentum Regis
 Antio-

Antiochi expectantibus, ut ex Liuii lib. XXXV. constat. Quorsum ergo ab his potissimum Consulibus temporis initium duceretur, aut illi potissimum nominarentur? Nominari utique debebant illi, quorum in Magistratu res, de qua agitur, geri coepta, vel saltem aliquid eius gestum esset. Deinde paulo ante cap. 9. M. Fulvium Cos. qui primus multis precibus cum ipsorum Aetolorum, tum Rhodiorum atque Atheniensium, quos illi precatores sibi parauerant, fatigatus tandem in pacem iis legibus, quae deinceps a Senatu confirmatae, cap. 11. repetuntur, cum Aetolis consensit, haec ipsa ita extulisse videbam: *Urbem ne quam formulae sui iuris facerent, quae post id tempus, quo T. Quintius traiecisset in Graeciam, aut vi capta ab Romanis esset, aut voluntate in amicitiam venisset.* Haec enim ad Aetolos pertinere, illorumque nomen istis in superioribus excidisse, in illis meis Observationibus ad Liuium, quas nuper cum longe Clariss. Viro Jac. Gronouio communicavi, docui ex Polybio, et probavi Viris Doctissimis. At vero T. Quintius sexto anno ante L. Quintium et Cn. Domitium Coss. in Graeciam transit, et ille sane primus varias vrbes, quae Aetolorum iuris aliquando fuerant, sed tunc a Philippo tenebantur, partim vi, partim voluntate earum Romanis adiunxit, quas deinde Aetoli, ut sibi restituerentur, summa ope et studio semper contenderunt. Minime vero existimandum est, conditiones pacis a Fulvio Aetolis datas Senatui Romae vlla parte mitigasse, quippe quem Liuius tradit animos praeoccupatos habuisse criminationibus Philippi Regis, et auersas a precibus Aetolorum, nec, nisi iis diu ante iactatis, intercessione Rhodiorum et Atheniensium adduci potuisse, ut pacem tandem confirmaret, sed grauioribus

ribus adhuc illigatam conditionibus, ut ex collatione earum cuius patebit. Neque vilo etiam modo verisimile est, Senatum, qui tam difficulter pacem a Consule iam impetratam confirmabat, hostibus infensissimis, sed tunc iam debellatis atque ad incitas redactis concessisse, quod antea iisdem sociis, et in bello contra Philipum tum maxime gesto optime meritis, ac florentibus negauerat, quodque tunc iterum ipse Consul. Vrbes dico Thessaliae Pharsalum, Echinum, Leucadem, et ceteras, quae Aetolorum iuris aliquando fuerant, sed quas T. Quintius a Philippo receptas iis restituere noluerat, et propter quas illi non reditas tam graue bellum tamque infesto, quam quisquam ante alias, animo Romanis concitauerant, tum per se, tum per Antiochum in Graeciam ea causa euocatum, quas denique in hac Pacis istius conditione praecipue intellectas putem. Prorsus enim sentio Senatum minime recessisse hic a Fuluii sententia, nec restituisse Aetolis illas vrbes, toties antea negatas; quod sane fecisset, si tanto feriolem praefixisset huic conditioni annum, quippe ante quem dudum illae Romanis iam fuerant adiunctae; sed id voluisse et Fulvium et Senatum, ne Aetoli quicquam eorum repeterent, quae quocumque modo in ditionem Pop. R. venerant, ex quo primum in Graeciam traiecit iste Consul, qui primus in ea varias vrbes in potestatem P. R. redegit, inque iis etiam, quae quondam ad Aetolorum rempubl. pertinerant.

Nam solenne est in legibus et foederibus, in decretis et SCtis, repetere tempus ab ipso initio, vel eo anno, quo primum quicquam eius rei, de qua agitur gestum est, certe neutiquam ab eo, quo nihil. Iam vero Quintio et Cn. Domitio Coss.

nihil

nihil omnino, vt diximus, Romanis in Graecia accessit, sed T. Quintii ductu factum est inirium occupandarum vrbiũ, quae Aetolici antea fuerant concilii, deque iis maxime semper inter Aetolos et Romanos fuit actum. Videlicet XXXIII. 13. 34. et XXXIV. 23. Sic Censores C. Cl. Pulcher, et Ti. Semp. Gracchus bello Macedonico, quod cum Perse gestum est, cum audiuissent multos ex Macedonicis legionibus ab exercitu incertis comitatibus abesse, *edixerunt* (Liu. XLIII. 14.) *de militibus P. Aelio, C. Popillio Consulibus, postue eos Consules in Macedoniam scriptis, vt etc.* Consules illi fuerunt proximo ante initum bellum anno, quo primum milites in Macedoniam scribi coeperunt. Similiter Cofani cum postularent, vt sibi colonorum numerus augetetur; Senatus mille adferibi iussit, vt ait Liuius XXXIII. 24. dum ne quis in iis esset, *qui post P. Cornelium et Ti. Sempronium Coss. hostis fuisset.* Ita enim illic ex antiquis edd. quae *L. Cornelium et T. Sempronium* exhibebant, legendum ostendi, non, vt edebatur, *M. Cornelium et Ti. Sempronium*, qui nunquam simul fuerunt Consules, nec, vt voluerat Glareanus, *M. Cornelium et P. Sempronium*, qui extremo demum Punici belli tempore fuerunt, quo iam Hannibal in vltimum Italiae angulum erat depulsus, adeo vt proximo statim anno eam plane reliquerit, et in Africam fuerit reuersus. At P. Corn. Scipio, et Ti. Sempr. Longus initio gesti in Italia istius belli Consulatum tenuerunt, ex quo tempore victis iam Romanis plerique sociorum se cum hostibus P. R. coniunxerant, ideoque cauere voluit Senatus, ne quisquam eorum qui proximo bello tam difficili et periculoso fidem fefellissent, atque in hostium fuissent partibus, coloniae Ro-

manae adscriberetur, et colonorum iure vteretur, atque ita pro edito ad posteros perfidiae ac defectionis exemplo beneficium reportaret.

Sed et hoc loco (XXXVIII. 11.) si vetusta itidem consulimus exemplaria, occurrit, nobis non *Lucius* Quintius, sed *Titus* Glareanus iterum primus, vt ex eius Notis patet, dedit Liuiio *Lucium*, quia is, non *Titus*, in Consulatu collega Cn. Domitii fuerit. At non ita temere *Titi* nomen hic delendum, sed rem altius fuisse inquirendam ex allatis superius rationibus et praecipue ex cap. 9. constare, ni fallor, debebat vel poterat. Certe ego vix dubitem scripsisse Liuium, id quod praefertunt antiquae edd. *T. Quintio*, et voluisse idem, quod cap. 9. breuius dixerat. Quod vero illi collegam dedit Cn. Domitium, in eo sequitur ἀμάρτημα μνημονικόν Polybii, quem his in rebus memoriae prodendis sine vlla pene variatione, quod ad rem ipsam, more suo transtulit. Is vero in Excerpt. Legat. cap. 28. similiter prorsus Aetolos primum cum Fulvio Consule pacem pepigisse refert, in qua illud cautum fuerit; ne quam urbem in sua Ciuitate et Rep. habere vellent, aut postea adsciscere earum, quae post *T. Quintii transitum in Grasciam* captae fuerint a Romanis, vel vltro cum iis amicitiam fecerint. πόλιν μηδεμίαν ἔχειν ἐν τῇ συμπολιτείᾳ, μηδέ τινας μετὰ ταῦτα προσλαβέσθαι τέτων, ὅσαι μετὰ τὴν Τίτη Κοιντίᾳ διάβατιν ἐάλωσαν ὑπὸ Ρωμαίων, ἢ φίλιαν ἐποιήσαντο πρὸς Ρωμαίους. Quae omnia Liuius in caput nonum contulit. At paulo post in ead. Legat. quando narratur, Senatam pacem a Fulvio Aetolis concessam intercessione Rhodiorum atque Atheniensium tandem confirmasse, haec leguntur in vulgatis edd. ὅσαι χώρας, καὶ πόλεις, καὶ ἀνδρας; (οἷς ἔτοι ἐχρῶντο ἐπὶ Τίτη Κοιντίᾳ,

αὐτῶν

B

καὶ

καὶ Γναίῳ Δομίτιῳ στρατηγῶν) ἢ ὕστερον ἐάλωσαν, ἢ εἰς Φιλίαν ἤλθον Ρωμαίοις, τῶν τῶν πόλεων, καὶ τῶν ἐν ταύταις μηδένα προσλαβέτωσαν Λιτωλοί. Quae utcumque sint corrupta, seruant tamen nobis mentionem *Titi Quintii*, eique addunt Collegam Cn. Domitium, plane vt ante Glareanum vulgabatur apud Liuium cap. 11. qui ibi et in caeteris adeo accurate Polybiana ista Latino sermone reddidit, vt Casaubonus in illis vertendis Parauini verba huc transtulerit. Quo magis miror virum doctiss. Fulu. Vrsinum ineptissima parentheseos distinctione longe alium Polybio dedisse sensum. Sed existimauit et ille, Cn. Domitio reddendum hoc quoque in loco suum Collegam Lucium Quintium. Quia vero minime ignorabat, nihil rerum illis Consulibus in Graecia gestum, nullas vrbes captas etc. scripsit in Notis hoc modo: οἱς ἔτοι ἐχρῶντο ἐπὶ Λεονίῳ Κοιντίῳ, Κ. Γ. Δ. στρατηγῶν, eaque inter se coniuncta a seqq. per parentheseos signa separauit, quasi voluisset Polybius: *Qui agri, vrbes, homines, qui Aetolorum iuris erant L. Quintio, Cn. Domitio Consulibus, vel capti sunt post eos Consules, vel ad amicitiam Romanorum venerunt.* Verum ea si illi mens fuisset, quia in pacis legibus clare semper, expedite, proprie et plene loquuntur veteres, tempori per Consules designato, non continenter subiecisset illa, ἢ ὕστερον, sed haud dubie aliter verba, vt minus essent ambigua, ordinasset, et in primis τὸ ὕστερον vel omisisset prorsus, vt poterat isto verborum sensu, vel alio saltem posuisset loco. Deinde manifestissimum est ex Liuii versione, aliter omnino haec accipienda et distinguenda, minimeque Consulium mentionem a seqq. esse separandam. Neque vero ex Liuiο tantum, sed et superioribus ipsius Polybii verbis, quibus

quibus exposuit pacta Aetolorum cum Consule Fulvio. Ex quibus omnibus resingendus hic locus hunc in modum: Ὅσαι χώραι, καὶ πόλεις καὶ ἄνδρες, οἷς ἄντοι ἐχρῶντο, ἐπὶ Τίτῳ Κουντίῳ, καὶ Γνωσίῳ Δομιτίῳ στρατηγῶν, ἢ ὕπερον, εἰλώσαν, ἢ εἰς Φιλίῳν ἤλθον ῥωμαίοις. H. e. vt recte Casaubonus, quamuis in Graeco Vrsinianam parenthesin reliquerit, pleraque ex Livio reddidit: *Qui agri, quae vrbes, qui homines, Aetolorum iuris aliquando fuerunt; qui eorum T. Quintio, et Cn. Domitio Coss. postue eos Consules, armis subacti, aut voluntate in ditio-nem P. R. venerunt.* Liberemus itaque in poste-rum hanc insignem Historiam pacis post acerrimum bellum Aetolis redditae notabili mendo partim ipso-rum Auctorum, partim Editorum culpa in eam illato, neque existimemus hostibus ab irritato maiorem in modum Senatu ideoque pacem non modo difficulter confirmante, sed et in nonnullis aggrauante restitutas vrbes Thessaliam, quas ante sociis, non male certe tunc meritis negandas grauibus de causis censuerat. Videtur autem Polybius, quod ante generalius et vulgarius dixerat, post T. Quintii transitum, hic vbi pacis confirma-tionem a Senatu tandem impetratam refert, or-natius et accuratius voluisse exponere, ac solen-ni Romanorum, qui in publicis Actis tempus per Consules semper designant, more annum, quo T. Quintius in Graeciam traiecit, per ipso-rum Consulum istius anni mentionem significare, sed dum id facit, ex memoria T. Quintio Flaminino, qui cum Sex. Aelio, nono abhinc anno, Consul fuerat, collegam dedisse Cn. Domitium, haud dubie, quod is animo eius magis obuersaretur, quia tribus solummodo annis ante cum Quintio item Flaminino, verum Lucio, Titi fratre, non Tito ipso

ipso consulatum gesserat. Hunc ipsius errorem Liuius non animaduersum in suos libros inter alia transtulit, quippe qui Polybium cum omnium Romanarum rerum, *tum praecipue in Graecia gestarum minime incertum*, vt ipse de eo alibi loquitur, *auctorem* in his bellis maxime sequi solebat, nec in tam vasto Historiarum opere de singulis nominibus, quae apud alios inueniebat, in consilium ire poterat, neque omnia Consulum paria tot seculorum tam fideliter memoria comprehendere, vt, si quid in iis aliorum diligentia defecisset, id continuo ipse deprehenderet. Quod si quis nihilominus existimet, istum errorem, qui tam facile caueri ab iis potuisset, modo Fastos consuluissent, vel ad ea, quae ipsi ante tradiderant respexissent, cadere non potuisse in diligentiam Veterum, velim consideret ille, quam facile item vitari potuisset quod supra Gellium in Cicerone, et Dionysium in aliis Historicis reprehendisse scripsimus, quaeque cap. VIII. adferemus manifesta contradictionum exempla.

Sed et nunc simile prorsus, si quis desideret, in nostris hominibus dabo incuriae exemplum. Doctiss. ille Muretus ad Pomponium de Orig. iuris, quum ageret de nobilissimo Icto, C. Ateio Capitone, Consulem eum fuisse dicit cum Germanico Caesare. Atqui Germanicus collega in Consulatu fuit nunquam vllius Ateii, sed C. Fonteii Capitonis an. V. C. 764. Et Ictus ille C. Ateius Capito Consul fuit susceptus an. 758. cum C. Vibio Postumo. Decepit ergo in his Mureti quoque vel memoriam similitudo nominum *C. Ateii Capitonis* et *C. Fonteii Capitonis*, vel diligentiam, solum cognomen, quod idem vtrique fuit, in Fastis festinante oculo quaesitum. Et tamen vt Liuius Polybium in T.

Quin-

Quintio, alienum ei tribuendo Collegam secutus est, ita in Ateio Muretum Forsterus in Hist. iur. Ciu. II. 56. Neque adeo dissimile est, quod alius adhuc Capito gentis Sinniae non ignobilis item scriptor, quem *Doctissimum Virum* Gellius vocat, in suis admisit Commentariis. Consensu quodam traditur ab omnibus, Ti. Gracchum, illum clarissimorum Gracchorum patrem, clarissimum et ipsum duobus Consulatus, et celebri censura, Sardiniam prorsus subegisse in primo suo Consulatu, quo Collegam habuit C. Claudium Pulchrum, et porro amplissimum ex ea deportasse triumphum, in quo tantam captiuorum multitudinem duxerit, ut ex longa eorum venditione proverbum fuerit natum, *Sardi venales, alius alio nequior*. Sinnius vero, ut ex Festo scimus V. *Sardi*, collegam illi adiungit ingenti *ἀντιστοχία* P. Valerium Faltonem, qui quidem Consul itidem fuit cum Ti. Graccho, sed longe alio, alterius, ut reor, proauo, certe ut iam obseruarunt eruditi plus LX. annis ante. Nec video quid virum deceperit, nisi idem vtriusque Gracchi nomen. Zonaras quidem Poenos isto Gracchi et Faltonis anno cessisse eam insulam Romanis tradit, sed tamen citra ullam pugnam. Et praeterea hunc ipsum Faltonis collegam cum Liguribus pugnasse memorat, eosque praelio superasse, quod et sequentis anni Consules fecerunt, triumpho insuper de iis acto, quem nullum neque de Sardis neque de vllis aliis Gracchum istum duxisse ex Fastis Triumphalibus, qui illis in temporibus sunt integri, constat.

Porro sicuti Polybius duos diuerforum annorum Consules in vnum annum tanquam Collegas contulit, eaque re duos fratres confudisse videtur, ita foediora multo lapsu L. Ampelius capite de

Secessionibus plebis, duorum diuersissimorum hominum, patricii et plebei nomina tanquam vnus coniunxit, et ex duobus inter se Adfinibus quidem, sed contrariarum tamen partium, vnum fecit. *Quarta Secessio*, ait, *in foro propter Magistratus, vt Plebei Consules fierent, quam Sulpicius Stolo conceitauit.* Vides, Lector, loqui illum aperte de vno homine: nim. Stolone, qui per X. annos Tribunus pl. fuit, inque eo Magistratu inter alia tulit, vt alter Consul ex plebe crearetur. (Liu. l. VI.) Quo tandem perlato, ipse tertius factus est e plebe Consul. Adpellatus autem fuit non *Sulpitius Stolo*, sed *C. Licinius Stolo*. Verum Ampelius, quia in historiis, vbi de Stolone agebatur, multa item legerat de Sulpicio, vt cuius in domo primum data est occasio horum tumultuum per quos, opera Stolonis et Sextii excitatos, Resp. quinque annis sine vlllo curuli Magistratu fuit, qui item adfinis erat Stolonis, (Nam *Fabius Ambustus*, vt ait Florus, ex cuius quatuor extremis libri primi capp. Ampelius hausit has quatuor Secessiones, quamuis non omnes eo nomine adpellari recte possint, vt iam obseruatum a Ruperto ad Pompon. §. 8. *duarum pater, alteram Sulpicio patricii sanguinis dederat, alteram plebeio Stolori*) de illo, inquam, Sulpicio, quia multa item legerat, duos hos Fabii generos Sulpicium et Stolonem vix credibili olcitantia confudit, et Stolonem Tribunum plebis, Patricii et Adfinis sui gentilitio nomine ornauit.

Eodem modo, vnum eundemque putauit Quintium Cincinnatum, et Atilium Serranum, quia vtrique agrum suis manibus colenti delatos esse summos honores meminerat. Vnde Appul. in Apologia: *Romanorum etiam maioribus Quintiis et Serranis Consulatus et Dictaturae in agris offerebantur.*

bantur. Tradit idem de utroque Valer. Max. IV. 4. Ampelius vero, ubi Clarissimos Romanorum Duces nominat, scribit: *Quintius Cincinnatus, idem Serranus, cui aranti Dictatura delata est.* Vult Quintium Cincinnatum etiam Serranum, ut varia saepe habuerunt Veteres Romani cognomina, fuisse dictum. Cuius erroris ne de eo dubitetur, socium illi damus Scholiasten Persii. Is ad illa Satyrae I. *Sulcoque ferens dentalia Quinti etc.* hunc in modum nugatur: *O Quinti Atili Serrane, cum te ante boues dictatura licitor induit, et tua vxor trepida domum aratrum tulit.* Alter sensus est, adueniente ad se licitore cum insignibus Dictatoris, *Quintius Atilius Serranus iussit uxori, ut has a licitore vestes acciperet, et sibi ad locum, in quo arabat, afferret.* *Quintius autem Cincinnatus cum suum agrum exararet, et sereret, Dictatura ei a Populo R. vel decreto Senatus delata est, qui contra Samnites progressus, victor exstitit, qui a serendo (Excidisse hic putem etiam) Serranus appellatus est, ut Virgil. Vel te sulco Serrane serentem.* Vide quaeso quam posteriores hi multis parasangis superentur doctrina et industria ab antiquioribus illis. Nam quis vnquam tam foede omnia miscuit. Distinguere nesciunt Quintium Cincinnatum, et Atilium Serranum duorum plane seculorum intervallo a se inuicem seiunctos.

Peccat etiam Scholiastes inciticia moris Romani, quum Dictaturam Quintio a Populo delatam suspicatur. Nullae enim populi ea in re erant partes. Senatus decernebat ut Reip. imponeretur Dictator, cuius dicendi ius et potestas solis erat Consulibus, seu alteri eorum. Atque inde Coelius Antipater annotandum duxit, *Fabium Cunctatorem primum a populo creatum Dictatorem.* Sed

et hunc et alios, qui eum Dictatorem vocent, etiam in eo erroris arguit Liuius XXII. 31. quod is a populo non Dictator, sed qui pro Dictatore esset, creatus sit quia Consul tunc aberat. *Omniū prope Annales Fabium Dictatorem aduersus Annibalem rem gessisse tradunt. Coelius etiam eum primum a populo creatum Dictatorem scribit. Sed et Coelium et ceteros fugit vni* (h. e. foli. Vnus autem et solus tunc erat consul, altero, Flaminio, ad Thrasymenum iam occiso) *Consuli Cn. Seruilio, qui tum procul in Gallia Prouincia aberat ius fuisse dicendi Dictatoris, quam moram quia expectare territa iam clade ciuitas non poterat, eo decursum esse, vt a populo crearetur qui pro Dictatore esset. Res inde gestas, gloriamque insignem Ducis, et augentes titulum imaginis posteros, vt, qui pro Dictatore, (scil. erat,) Dictator crederetur* (ita haec vltima legenda ex vestigiis scripturae optimorum codd. et explicanda putem) *facile obtinuisse. Emendandus ergo et Festus V. Optima, vbi Man. Valerium primum Magistrum a populo creatum scribit, legendumque videtur Magistrum populi, nisi forte et ipse Festus hac in re errauerit. Certe enim siue is Valerius primus fuerit Dictator, siue Lartius, vt verisimilius tradunt alii, primus ille aequae ac reliqui creatus et dictus est a Consule. Nam, si qua fides Dionys. Hal. V. 11. populus non modo consensit, vt pro Consulibus Remp. semestri spatio teneret Dictator, sed et Senatui permisit, vt ipse, quem vellet, eligeret, Senatus vero alterutri Consulum. Atque ita, vt ibidem diserte Dionys. Dictator non a populo more patrio habebat Magistratum, sed ab vno viro erat creatus. Praeterea male Scholiastes Dictatorem Cincinnatum cum Samnitibus pugnasse tradit. Nam cum Aequis duce Graccho*
Cluilio

Cluilio Minucium Consulem obsidentibus pugnavit, eosque victos sub iugum misit, quod probatione non indiget.

Serranum vero quum idem a *serendo* appellatum cenfer, in eo non discedit a veterum sententia. Nam et alludit eo Virgilius, et aperte idem tradit Plinius N. H. XXXVIII. 3. Sed tamen repugnat metri ratio, et quod in antiquissimis nummis istius familiae homines non *Serrani*, sed *Sarani* appellantur. Aliam itaque nobis Etymologiam nominis dedit Anton. Augustinus, tum in Dialogis, tum in Familiis. Existimat M. Reguli filium, primum *Sarranum* dictum, q. Punicum, quia pater eius a Poenis, qui *Sarra*, id est, Tyro oriundi, captus et necatus fuerit. At isthaec Etymologia, quamvis cum applausu accepta a Doctis, incertissima nititur coniectura, et quae mihi certe a verisimilitudine videtur prorsus aliena: nempe Clarissimi istius Reguli filium fuisse illum non minus clarum hominem, qui primus *Serrani* cognomine dicitur ornatus, quod non praetermisissent veteres, qui de illius cognominis origine egerunt. Silius Italicus quidem Reguli filium *Serranum* vocat, sed poetica licentia neutiquam historica fide. Satis enim apparet vndique, omni id studio egisse eum, ut illustrissima Familiarum Romanarum nomina quamplurima carminibus suis intexeret, licet belli istius Punici tempore Romae nunquam audita: veluti *Bibuli*, *Galbae*, *Milonis*, *Maecenatis*, *Corbulonis* etc. quae per clarissimos Viros postea nobilitata, ex vltimis Reip. immo et Neronianae dominationis temporibus petiit. Ab eodem illius instituto, non errore aliquo, profectum puto. Quod Valerium *Flaccum*, qui legatus a Romanis ad Annibalem Saguntum obsidentem missus fuit, *Publi-*

colam longe celebriore nomine, sed tunc in ista familia iam abolito, maluit vocare initio libri II. Ita plane et Reguli filium, cum eodem quo patrem nomine appellare nollet, et tamen fere non nisi cognominibus vteretur, aliud aequè illustre cognomen ex eadem Atilia gente ad illum proprie nominandum poetica licentia adhibuit. Probabiliter forte collegit Sigonius, primum isto cognomine insignitum fuisse Consulem anni 496. C. Atiium Regulum. Hunc vero Marci a Poenis postea capti filium fuisse contra omnem temporum rationem statuit Augustinus, quamvis adstipulantem habeat Lipsium ad Plinii Paneg. cap. 58. Nos in gratiam nobilissimae familiae seriem eius et successionem demonstrabimus, simul ut Augustini euertamus coniecturas, et nostram sententiam de primo *Serrano* et eius nominis origine exponamus.

A. Atilius Regulus Consul. A. V. C. 418.

Liu. VIII. 16.

M. Atilius Regulus.

L. Atilius Regulus,
Trib. pl. A. V. C.
443. Liu. IX. 30.

M. Atilius M. F.

M. N. Regulus,
Cof. an. 459.

M. Atilius Regulus,

Triumphavit de
Etruscis. Liu. X.
32. . . . 37.M. Atilius M. F. L.
N. Regulus, Cof.
an. 486. Triumpha-
vit de Sallentinois.M. Atilius, A. F. C. N.
Calatinus, Cof. an.
495. Triumphavit an.
seq. de Poenis ex Si-
cilia. Fasti, Cof. II.
an. 498. Dictator
an. 504.C. Atilius M. F.
M. N. Regulus.

Cof. an. 496.

Triumphavit de
Poenis. V. Fastos.Fasti. Cof. II. sed
suffectus an. 497.
captus a Poenis
duce Xanthippo
Liu. Epist. 18. Val.
Max. Florus etc.Hic *Serrani* co-
gnomen ex sen-
tentia Sigonii
accepit. Cof. II.
an. 503.

M. Atilius C. Atilius

M. F. M. M. F. M.

N. Regu- N. Regu-

lus Cof. lus Cof.

an. 526. an. 528.

Cof. II.

sed suffe-

ctus an.

536. Cen-

sor an.

539.

C. Atilius A. F. A.
N. Bulbus Cof. an.
508. Cof. II. an. 518.A. Atilius Calatinus
gener Q. Fabii Ver-
tucossi, reus prodi-
tionis oppidi Sorani,
auctoritate foci ab-
solutus est. Val.
Max. VIII. 1.C. Atilius Ser-
ranus Praetor.

an. 535. Liu.

XXI. 26. et 62.

Consulatus in

ann. 537. pa-

titur repulsam

Liu. XXII. 35.

C. Atilius Serranus

Aedilis Cur. an. 559.

Megalesia primus fe-
cit, et Senatoria locain Ludis a plebe secre-
vit Liu. XXXIV. 54.

Val. Max. II. 4. Praetor

an. 569. L. XXXIX. 23.

A. Atilius C. F.

C. N. Serranus

Praetor an. 561.

Liu. XXXV. 10.

Praetor II. an.

580. Liu. XLI.

28. Cof. an.

583. Fasti.

M. Atilius Serranus

III. Vir Coloniae

Cremonensis Placen-

tinaeque supplen-

dae ann. 563. Liu.

XXXVII. 46.

Sex. Atilius Serranus Cof. an. 614.

C. Atilius Serranus Cof. an. 644.

Sex. Atilius Serranus Gauianus Trib. pl. an. 696.

Ciceronis inimicus.

Vide-

Videmus hic duplicem Regulorum seriem, inque altera seruatum *Reguli* cognomen, in altera substitutum nouum *Serrani*. Eas prorsus confudit Augustinus, vt Serranos a Regulo Poenorum captiuo oriundos crederemus, et ita ipsius de nominis istius origine sententiam acciperemus. Ceterum facile ac dilucide satis refelli ea potest. Filium Reguli de quo agitur, fecimus M. Regulum bis Consulem et Censorem, non ex coniectura nostra, sed ex auctoritate Valerii Maximi, qui lib. II. c. 9. de illo ipso Censore; *M. Atilius Regulus Censor perfidiam notabat, cuius Pater per summos cruciatus exspirare, quam fallere Carthaginenses satius esse duxerat.* Nemo historiae gnarus ex his non videt, Patrem Censoris fuisse Regulum a Poenis captum, qui ad certa sibi supplicia ac dirissimos cruciatus Carthaginem redire maluit, quam datam fidem fallere. Iam vtrum verisimilius, fratrem Censoris huius fuisse eum, qui secundo anno post ipsum Consulem Consul fuit, quae mea est sententia, an vero hunc fuisse censoris illius filium, fratrem vero eum, qui 30. anno ante primum Consularis illius et Censorii Consulatum in illo iam fuit Magistratu, quod vtrumque ponit Augustinus, C. Atilium Regulum et Serranum Consulem an. 496. filium statuens M. Reguli a Poenis an. 498. capti, et fratrem M. Reguli Cos. an. 526. et 536. sed praeterquam quod ab hac genealogia singulorum aetas abhorreat, certum pene dicere ausim, non habuisse Regulum tam grandem natu filium. Certe Horatius Od. III. 5. Regulo iam capto vxorem et non nisi *paruos gnatos*, nullum Consulare, tribuit. Maius est, quod ex Valerio Max., Liuiio, Seneca, Frontino, et Ammiano scimus, Regulum, cum ei post secundum

Confu-

Consulatum, prorogatum in Africa esset imperium, et eodem tempore intellexisset, villicum suum in agello septem iugerum, quem habebat, esse mortuum, et mercenarium aufugisse, petiisse a Senatu, ut successor sibi mitteretur, *ne desitutus*, ut ait Frontinus, *rebus obitu serui*, vel, *deserto agro*, ut Valerius, *non esset, unde vxor ac liberi sui alerentur*, Senatum vero, qui Regulo prouinciam relinquere nolebat, agrum illius colendum locasse, et alimentâ coniugi eius ac liberis praeuissie. Haec omnia quamuis a tot Auctoribus commemorata, vel falsa sunt, vel Regulus non habuit tam grandem natu, immo Consularem et triumphalem filium, sed eius potius aetatis, qui post 28. et 30. annos demum ad Consulatum adspirare potuerunt. Filio enim tam magno natu, cui Resp. iam fuisset feliciter commissa, qui Consul de Poenis triumphasset, recte etiam agellum tam exiguum pater colendum et alendam familiam committere potuisset et pro patria in eum potestate commisisset haud dubie, vel si forte in exercitu apud se habuisset, remisisset potius eum domum, quam ipse sibi a Senatu et populo mandatam prorogato imperio, rempubl. prouinciamque deserere postulasset. Paulo itaque rectius, quod ad habitam vtriusque aetatis rationem Zonaras Reguli fratrem putat Gaium illum, quem Augustinus illius filium dicit. Sed tamen et ipsum in ea re lapsam arguunt Consulares Fasti, ex quibus apparet neque patruales fuisse, nedum germanos fratres, quum Gaius auum habuerit *Marcum*, Regulus vero *Lucium*, eum ipsum forte, quem ex Liuiio adtulimus Tribunum pl.

Concidunt per haec, ni fallor, Augustinianae coniecturae de *Serrano* Reguli illustris filio, et
simul

simul de cognominis istius etymo, quandoquidem, quos certius, ut opinor, Reguli istius fuisse filios docuimus, neque Verrius in Fastis, neque Livius aut quisquam alius *Sarrani* vel *Serrani* nomine ornent, quamvis eo ipso iam tempore a Livio, et paulo post a Consularibus quoque Fastis, *Serrani*, sed ab aliis orti, non Marcis, sed Gaiis, nominentur. Et probabiliter, ut dixi, collegisse videtur Sigonius in Fastis ad an. V. C. 496. Gaium illum, quem maiorem natu fuisse, quam ut Reguli esset filius, probare sumus annixi, primum accepisse *Serrani* cognomen. Nam praeterquam quod Cassiodorus eum ita appellat, ex Cicerone, Valerio M. et Plinio docet ille insuper Atilio Serrano in agro opus rusticum facienti Consulare fastigium, et deinde victis hostibus triumphum obtigisse, quae in hunc vel patrem eius ex omnibus Atilius potissimum conveniunt. Adde quod statim post eum cognomen hoc maxime inualuit, in hominibus, qui quo minus ab eo censeantur, progeniti, nihil obstat.

Opponi tamen possit, quod sunt, qui Serranum Dictatorem faciunt, non illi quidem valde antiqui, sed qui tamen antiquos legisse potuerunt. Servius ad Virgil. Aen. VI. *Atilius quidam Senator fuit, qui cum agrum coleret, evocatus propter virtutem meruit Dictaturam.* Claudianus de quarto Consul. Honorii:

Sordida Serranus flexit Dictator aratra.

Nisi ergo et hi confuderint, quod arbitror historias Atilii Serrani, et longe antiquioris Quintii Cincinnati, cui aranti in agro Dictaturam veteres delatam produnt, necessario A. Atilius Calatinus, qui vnus inter Atilios Dictator, et praeterea Vir

lumi

Confu-

Consularis ac Triumphalis fuit, erit iste adeo quaesitus *Serranus*, et *Serranorum* progenitor.

Et videtur etiam Cicero velle, *Serranos* ex Galatino Atilio ortos, quum de Sex. Atilio Serrano, inimico suo, loquitur obscurissimo illo loco in orat. pro Sextio c. 33. *Alter vero non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gavi Oleii horreo calatis granis in Calatinos Atilios insitus.* Valde in his haesitant Viri summi Turnebus et Gruterus. Nec enim nauci sunt, quae coniectant hic *ex deserto Calavii Ofilii horreo*, ille *ex deserto Gaudio, Atilii horreo, calatis granis*, h. e. vt ab eo explicatur, euocatis et collectis furto frugibus ex deserto loco, seu vico, in quo Atilii cuiusdam fuerit horreum. Certum mihi est, patrem naturalem, istius Serrani fuisse Gadium quendam. Nam cap. seq. *Atilius Gaudianus* vocatur, et in Epist. Planci ad Cicer. Famil. X. 17. *Sextus Gaudianus*, vt recte ibi legit Manutius. Quae pulchre conueniunt cum *Gaudio* in hoc loco mentione. Sed *Oleii* nomen suspectum et mihi est, qui non modo in *Gaudio*, sed nec in vlla Urbis Romanae gente id legisse memini. *Ocellas* et *Ocellas* noui, *Olenos* item, *Olelum* nullum. Sed quantum ex corruptissima Msptorum lectione, a Grutero allata, quae est vel *gravi leliore a calatis granis*, vel *gavi laetior ea calatis gaviis*, vel *gavi oleii ore a calathis granis*, quantum inde, inquam, colligo, euenit hoc in loco, quod saepissime alibi, vt proprium nomen primis tantum literis scriptum, deinde cum sequenti vocabulo coaluerit, et ita corruptioni causam dederit. Verum esse putem: *ex deserto Gavi Caepionis horreo calatis granis etc.* vt pater illius fuerit *Gavius Caepio*. De priore nomine nullum debet esse dubium. Posterius videtur scriptum concise, primum *Caepi.* vel *cepion.* et deinde cum sequenti

sequenti vocabulo coniunctum, et ita tandem quia saepe in MSS. adspirationes omittuntur, factum *le-tiorca*, quaeque alia verborum monstra hoc loco in membranis occurrunt, ex *Caepi.* horreo. Fuerunt certe illis temporibus *Gauii Caepiones*, ex quibus quispiam etiam Luciliae genti adoptandum dedit filium. Cicero enim ad Attic. V. 20. nominat *Sex. Lucilium T. Gauii Caepionis locupletis et splendidi hominis filium*, Tribunum mil. apud M. Bibulum Procos. Syriae. Neque vero minor in eo est porro difficultas, quid sibi velint illa *calatis granis*. Et idcirco eruditiss. Turnebus maluerat prius *calatis Gaviis*, postea in alia fuit sententia, quam paulo ante exposui, sed quam et ipsam nemini, ut opinor, probabit. Ego non dubito alludi ad *calata comitia*, quibus adoptio vel proprie arrogatio fiebat. Nam, ut ait Gellius V. 19. *Arrogationes non temere nec inexplorate committuntur, nam comitia, arbitris etiam Pontificibus, praebentur, (sc. arrogationibus) quae curiata appellantur.* Atque hinc apud Tacitum Hist. I. 15. Galba ad Pisonem: *si te priuatus, lege curiata, apud Pontifices, ut moris est, adoptarem.* Appianus quoque adoptiones τῶν ὑπατόρων, quas Icti proprie arrogationes vocant, fieri κατὰ νόμον Κριάτεον (Dio lib. XLV. Graeco vocabulo appellat νόμον τὸν Φρουριατικὸν) scribit ἐμφυλ. γ. cap. 586. Comitiam autem illa, quae siue curiata, siue centuriata arbitris Pontificibus, seu apud Pontifices, seu pro collegio Pontificum habentur, *calata comitia* proprie esse et dici, et *curiata* quidem istius generis comitia *per licitorem curiatim calari*, id est, conuocari docet ex Labeone vel Laelio Felice Gellius XV. 27. Pro eo igitur, quod ex more Romano *calatis comitiis* curiatim adoptantur, qui sui iam iuris nec amplius

in

in patria sunt potestate, Serranum hunc Cicero *calatis granis* (acerbo plane ioco ex inopinatum genere, et aliud quam expectabatur ex praemissis, inferentium nempe *granis*, cum post *ro calatis* expectaretur *comitiis*) adoptatum dicit, ut significaret, eum inter grana et in horreo patris sui Gaii Caepionis, quamvis deserto et parum copioso educatum, et ex illo horreo per hanc adoptionem in Atiliam gentem, repente insitum, minime tamen esse, vel moribus aut ingenio referre nobilem illum Atilium Serranum, qui ab aratro et ex agro summa cum dignitate olim ad Consulatum fuerat vocatus. Haec vera est difficillimi huius loci sententia. Quod vero in *Calatinos Atilios* nouum hunc et adoptiuum *Serranum* insitum dicit, videri posset, si quam in his allusionibus liceret reponere fidem historicam, eo velle innuere, Serranos a celeberrimo illo Dictatore A. Atilio Calatino fuisse ortos. Sed ut dicam, quod sentio, quoniam in quaque gente antiquissimorum illustrium hominum vera progenies Ciceronis tempore plerumque iam plane erat incerta, omnes autem videri volebant ab illis orti, atque ideo celebria illorum cognomina, ad nullam proprie familiam in sua gente amplius pertinentia, censebantur omnium cuiusque gentis familiarum, vel totius gentis quasi communia ornamenta, idcirco hoc loco Cicero ex antiquis Atiliorum cognominibus, et tunc iam abolitis, quodcumque vellet, arripere potuit, et hoc potissimum *Calatini*, quod reuera etiam erat clarissimum, arripuit, tantum ut aliquanto diutius in ioco isto de *calatis granis* immoraretur, et simul indignitatem rei, quod homo iste tam sordido et ignobili loco ortus, in nobilissimam gentem, quae non modo Serranos, sed et Calatinos protulisset,

C x x x x x esset

esset adscitus, obiter et quasi aliud agendo amplificaret. Nullo ergo argumento recte hinc concludi potest, ex Ciceronis sententia *Serranos* a *Calatino* fuisse ortos, et Claudianum ac Seruium qui *Serranum Dictatorem* dicunt, errasse puto ac *Serrani Cincinnatique* historias confudisse, aequae ac *Ampelius*, et *Scholiastes ille Persii*.

Sed et incertum denique arbitror, quis omnino fuerit ille *Atilius*, qui agrum conferens *Consulari praetexta* fuit ornatus, immo et qui primus *Serrani* accepit cognomen. Certe in *Fastis Consularibus*, ubi omnia hominum cognomina exprimi solent, neque *Calatino*, neque eius filio *Bulbo*; neque *C. Regulo Cos. an. 496.* illud adiungitur, quamvis de eorum *Auctore*, *Verrio Flacco* certum sit, fuisse id minime omisurum, si vel apud antiquiores legisset, vel vilo modo habuisset exploratum, cuiquam ex illis tam illustri de causa fuisse datum. Forte tamen *Liuius* in *secunda librorum Decade*, quae periit, et in qua de omnibus his viris egisse debuit, cuiquam ex iis, et forte *C. Regulo* potissimum id assignauit, quoniam *Cassiodorus*, qui *Liuium* sequitur, illum *Serrani* cognomine primum appellat, et *Liuius* in *tertia Decade* primo statim libro *Praetorem*, qui *Consulis istius* forte vel filius, vel nepos fuit, *C. Atilium Serranum* nominat, nihil profus adiciens de cognomine, quasi tunc non nouo, sed iam a maioribus accepto.

Sed quicumque *Serranorum*, seu (vt primitus, quod in eruendo etymo praecipue spectandum, appellabantur) *Saranorum* primus fuerit, non ille a *Serendo* cognomen hoc accepit, cui deriuationi et *Ορδογγραφία* et *Προσώδια* repugnat, neque vt supra docui, a *Sarra* pro *Tyro*, sed haud dubie ab anti-
quo

quo Umbriae oppido *Sarrano*, vnde *Saranates* populi, inter eos, qui in isto tractu interiore, memorati a Plinio, III. 14. Notum est autem antiquos illos a multis Italiae oppidis, variis de causis, seu quod in iis habitarent, aut nati essent, aut per maiores suos inde orti, seu quod memorabile aliquid in iis circaue vel ipsi vel patres eorum gessissent, cognomina sumsisse. Ita a diuersis vrribus et regionibus *Collatini*, *Medullini*, *Priuernatis*, *Fidenatis*, *Siculi*, *Caleni*, *Fundani*, et eadem forma ab Altino *Altini*, Aquino *Aquini*, Tarquiniis *Tarquini* ducta sunt nomina. Et ne longe abeam in hac ipsa Atilia gente *Calatinus*, non a *calando*, vt voluit Ant. Augustinus, sed ab oppido *Calatia* est cognominatus. His adeo adnumerandus et ille, qui primus *Sarani*, ab illo oppido, quacunque de causa, accepit cognomen. Posterius vero eius vltimis Reip. temporibus, cum tandem *Serrani*, pro vilitate vulgo in omnibus linguis pronunciandi mutatione, dici coepissent, et forte aliquem ex Atiliis olim ex agro in urbem ad gerendum Consulatam fuisse accitum in antiquis suae gentis ἱστοριῶν reperissent, ab eo homine se ortos, et hanc cognominis sui, quasi a *serendo* formati, causam esse vel ipsi crediderunt, vel certe aliis voluerunt persuadere, more et nunc et olim vilitate, quo plerique nobiles generis, familiae, et nominis sui originem ab antiquissimo et clarissimo repetunt auctore, vel egregio quodam facto illustriorem reddere student, putantes, si credulas forte inueniant aures, idem sibi priuatim iuris esse, quod omni populo in *consecrandis originibus suis, et ad Deos auctores referendis*, quo ita *humana diuinis miscendo primordia suae vrbis augustiora faciat, licere* censet Liuius in praefatione Historiarum.

Atilia haec gens, ne temere profus ad eam deuertisse videamur, ad Polybium nos denique reducet, cuius aliud nihilo minoris incuriae documentum certissimum nunc proferemus. Tradit lib. III. creatis iam Coff. L. Aem. Paulo et C. Ter. Varrone, prorogatum tamen esse imperium prioris anni Consulibus Cn. Seruilio Caepioni, et M. Atilio Regulo, qui Reguli a Poenis capti filius, eosque mediam aciem in proelio Cannensi tenuisse, immo vtrumque in eo proelio cecidisse; postremum hoc cap. 116. ita extulit: Πάντες ἐν οἷς καὶ Μάρκος καὶ Γνάιος ἔπεσον οἱ τὸ πρότερον ἔτος ὑπῆσαν γεγονότες ἄνδρες ἀγαθοὶ, καὶ τῆς Ρώμης ἄξιοι γενόμενοι κατὰ τὸν κίνδυνον. De Marco falsissimum est. Nam is anno secundo post id proelium Censor fuit, vt ex Fastis, Liuio, Valerio M. constat. Immo Liuus diferte prorogatum quidem ei imperium scribit lib. XXII. c. 34. et 40. sed deinde ab aduenientibus in castra nouis Consulibus ipsum aetatem excusantem Romam remissum adeoque proelio Cannensi non interfuisse. Dicam quid Polybium in errorem induxerit. Solent plerumque Historici vno tantum nomine vti ad designandos homines postquam semel, vbi primum eorum facienda est mentio, plenius eos nominarunt. Illo autem seculo nondum adeo frequentatis cognominibus maxime eam in rem adhibuerunt praenomen, vt vel ex ipso Polybio clarissime patet, quia hoc erat vere proprium cuiusque hominis nomen, secundum, quod gentilitium dicitur, non vnus erat hominis singulare, sed totius gentis commune. Iam vero in Cannensi hoc proelio cecidit reuera praeter Cn. Seruiliū, Μάρκος τις, ὁ τὸ πρότερον ἔτος ἐστρατηγηκώς. Nempe Marcus Minucius, qui priore anno Magister Equitum, sed pari cum Dictatore

tore

tore potestate, *exercitui praefuerat*. Liu. XXII. 49. *Inter eos (qui ceciderunt) Cn. Seruilius et M. Minucium numerant, qui Magister Eq. priore anno, Consul aliquot annis ante fuerat.* Id cum Polybius vel apud alios legisset, vel in suis etiam Aduersariis, re non altius inquisita et fallente memoria accepit de prioris anni Consule, M. Atilio. Nam quoniam Consules praecipue apud Romanos fuerunt στρατηγοὶ exercituum Ductores, quamuis non soli, ille plerumque promiscue vsurpat στρατηγὸς et ὑπατος, ἐστρατηγηκὼς et ὑπατος γεγονὼς, atque adeo saepissime illis vocabulis Consules designat, veluti cap. 114. de his ipsis prioris anni Consulibus, Μάρκος καὶ Γνάϊος, οἱ τῷ πρότερον ἔτα στρατηγῶντες. Et quod iam superius alia occasione attuli, ἐπὶ Τίτῳ Κοϊντίῳ καὶ Γνάϊῳ Δομίτιῳ στρατηγῶν. Atque ita Plutarchus quoque in Graechis de P. Popillo: ἔτος γὰρ στρατηγῶν τῶν Τιβερίου Φίλων ἐξεκλήρουξε: *Ille enim Consulatum gerens Tiberii Gracchi amicos in exilium expulerat.* De Consulatu hoc accipiendum, praeterquam quod ex omni historia constat, aperte docet Velleius, qui eum et Rutilium *Consules asperime in Ti. Gracchi amicos saeuisse* ait. Immo et coniunctim dicebant στρατηγὸς ὑπατος, plane vt Latini *Praetor Maximus*, quo vim imperii significari et eum qui maximi sit imperii, h. e. in ordinario imperio Consulem, in extraordinario Dictatorem designari ex Festo scimus Plutarch. in Apophth. Πόπλιος Λικίνιος ὑπατος στρατηγὸς ἠττηθεὶς ὑπὸ Περσέως τῷ Μακεδόνων βασιλεῦς ἱππομαχίᾳ Consulem hunc fuisse et cum Perseo pugnasse nemo ignorat. Idem in T. Flaminino, quum Philippo victo Graecis libertas et immunitas a Romanis reddita praeconis voce pronunciaretur: ὅτι Ρωμαίων ἡ σύγκλητος, καὶ Τίτος Κοϊντίος στρατηγὸς ὑπατος etc. *Emen-*

dandus ergo hac in voce, quod obiter monere debui, Polybius in Exc. Legat. 97. vbi Rex Bithyniae Prusias, debellato iam a Romanis et capto Macedonum Rege, Romam venisse dicitur *συγγεγρασόμενος τῇ συγκλήτῃ καὶ τοῖς στρατιώταις ἐπὶ τοῖς γεγενοῖσι*, *gratulaturus Senatui et Militibus de rebus gestis*. At quis vnquam militum in hoc negotio rationem haberi in ipsa Vrbe, eosque cum Senatu pariter coniungi legit? Nullus ego dubito scripsisse Polybium *στρατηγούς* h. e. *Senatui et Consulibus*, seu *Magistratibus*. Quod ad corruptionem, eadem sed contrario modo occurrere visa est Tanaquillo Fabro, Viro doctissimo apud Aelian. Var. VII. 19. vbi pro *στρατηγός* legendum pronunciat *στρατιώταις*. Ista igitur Polybiani erroris causa, eaque deceptus ex duobus Marcis, qui superiore anno exercitus ductauerant, verum in diuerso Magistratu, et diuerso etiam tempore, pro Magistro Equitum, quem et ipsum vt solet, primo *Μάρκον Μινάκιον*, dein semper *Μάρκον* solummodo vocarat, Consulem Atilium in strage Cannensi periisse, re non satis explorata putauit. Atque ita in tam claris hominibus, et quod magis est notandum, quorum liberis aetate aequalis esse potuit, cum fuerit lapsus, nemini, puto, mirum adeo accidet, si etiam de nobilissimo illo Dictatore Fabio Verrucosso scripsisse quid dicatur, quod veritati parum videtur consentaneum Viris Eruditis.

Etenim Fabios sua adhuc aetate *Maximos* cognominari scribit Histor. III. 87. propter res ab illo Dictatore feliciter gestas. At Sigonius in Fastos an. 520. *Maximi cognomen Fabius ab auo accepit, non ipse primus inuenit contra quam sensit Polybius*. Et sane cognomen hoc in Fabiam gentem illatum ab istius Dictatoris auo, seu vt Plutarchus pro auo, Fabio

Fabio Rulliano, qui id acceperit quod censor forensem humillimorum hominum turbam in quatuor urbanas tribus descripserat, vno ore tradunt Linius, Valerius, Plutarchus, Victor, quamuis in causa dati cognominis aliquantum dissentiant. Atque hinc ceteri omnes, interque eos Verrius in Fastis, Rullianum hunc isto cognomine primum pariter ornant. Immo Linius diserte satis negat in Verrucosso nouum fuisse, his verbis XXX. 26. *Vir certe fuit dignus tanto (Maximi) cognomine, vel si nouum ab eo inciperet.* Quorum sententia est; dignus fuit tanto cognomine, non modo quod haberet, sicut habuit, a maioribus acceptum, sed etiam dignus eo fuit, si maxime, quod non contigit, ab eo demum inciperet, et posterius hoc tam gloriosum suae gentis cognomen illi acceptum referrent. Sed quum cogito summam Polybio, cum Romae egit, intercessisse familiaritatem cum Fabio Maximo L. Pauli filio, Fabii Verrucossi adoptiuo nepote, ex quo et ceteris eius gentis hominibus facile auctorem et causam nominis, quod gerebant, indagare et cognoscere potuit, malim eum hac quidem parte commoda expositione tueri, quam ignorantiae, aut oscitantiae incusare. Negari nequit primum inter Fabios Rullianum tulisse *Maximi* cognomen. Verum id statim post illum oblitteratum quodammodo fuit, certe in communi sermone et vulgari vsu, quoniam ex eo progeniti aliis nouis et sibi propriis cognominibus vulgo fuerunt appellati, quamuis in Fastis eorum Auctor sui potissimum seculi, quod multis et praecipue praeclaris cognominibus gaudebat, morem secutus, illud quoque *Maximi* cognomen nouis his addiderit vel potius tanquam inueteratum et a maioribus acceptum, vt solet, praemiserit, etiam in

Verrucosso. Quum ergo Rulliani filius suo proprio cognomine vocaretur *Gurges*, Nepos vero, de quo agimus, primum *Ouicula*, a morum clementia, ut Victor, seu διὰ τὴν πραύτητα καὶ βραδύτητα τῆς ἡθῆς ut Plutarchus, deinde a Verruca, quam in labris habebat, *Verrucossus*, adeoque *Maximi* cognomen in desuetudinem iam abiisset, ita factum est, ut tandem, postquam collapsam rem Romanam cunctando restituisset, Fabius hic Verrucossus, denuo *Maximus*, auito quidem cognomine, sed tunc, iterum quasi nouo, a populo fuerit appellatus, abiectis prioribus, quibus antea eum vulgo appellauerant. Quapropter etiam hoc solum ad posteros eius transit, et constanter deinceps in familia eius haesit, atque adeo non quidem omnino nouum ab illo incepit, sed tamen nisi iterum in eo propter res praeclare gestas, quod et Polyaeus voluit, ut ex eius verbis paulo post adferendis colligas, fuisset repetitum, posteriores Fabii id forte non amplius habuissent.

Succurremus nunc etiam, quoniam id proxime egimus, Polybio non minus per Annotationes doctissimorum hominum laboranti in eo, quod scripsit de altero Punici istius belli summo Duce, qui vnus Fabianam gloriam tanto etiam superasse censendus est, quanto amplius habetur hostem vincere et debellare, quam eius impetus obseruando et proelium detrectando eludere tantum ac frangere. De *Scipione Africano* me loqui nemo non videt, quem ille *Magnum* proprio cognomine appellatum fuisse significat; Πιπλῆς τῆς Μεγάλου κληθέντος in Excerptis e lib. XVIII. Vbi incomparabilis ille Valesius: *Africanus Maior cognominatur apud Ciceronem aliosque ad differentiam Minoris; sed Africanum Magni cognomen habuisse, nemo, ut opinor,*

opinor, dixit. Eadem repetit Rupertus ad Pompon. de O. I. §. 37. Nuper etiam Vir summus in Dissertationibus pulcherrimis de Praest. Nusmism. pag. 529. Magni cognomen priori Africano vnquam adhaesisse negabat et Polybium non illud voluisse, censebat, sed idem quod ceteros, qui eum *πρεσβύτερον* vocent, vocabulo appellatiuo, et tantum, vt a posteriore Africano distingueretur, addito. Liceat mihi a tantis nominibus dissentire. Nec enim, quod illi putant, solus hic incedit Polybius. Audi Ampelium, vbi illustres Scipiones enumerat: *Scipio Magnus Africanus, qui vicit Hannibalem.* Sed quoniam nec locus, nec Auctor iste, si solus sit, tantis viris opponi meretur, addo Plutarch. in Apophth. Γνώσις Δημήτριος, ὃν Σκιπίων ὁ Μέγας ἀνθ' ἑαυτῆ τῷ ἀδελφῷ Λουκίῳ παρακατίσθησεν ἐν τῇ πρὸς Αντίοχον πολέμῳ. Vides etiam hunc vocare Scipionem tanquam vero et proprio cognomine *Magnum*, quod et facit minimum ter in Catonis Cenforis vita, quae loca, ne longior sim, exscribere non libet. Nam nihil hanc in rem expressius potest dari Polyaei verbis Strateg. I. VIII. Φάβιος ἐπεκλήθη Μέγιστος, Σκηπίων Μέγας, ἐζηλοτύπεα τῆς δόξης ὁ Σκηπίων τὸν Φάβιον, ὡσε καὶ ἤρετο, τί δήποτε σὺ μὲν διατηρήσας μόνον τὰ στρατόπεδα κληίστη Μέγιστος, ἐγὼ δὲ Μέγας, ὁ συμβαλὼν, καὶ κατὰ τόμα νικήσας Αννίβαν. *Fabius appellatus fuit Maximus, Scipio Magnus, inuidebat autem Fabii gloriae Scipio, vt etiam rogarer aliquando, quamobrem tu seruatis tantum exercitibus vocaris Maximus, ego vero Magnus, qui congressus aperto Marte vici Hannibalem.* Manifestum utique hinc Scipionem quum viueret, cognominatum esse *Magnum*, eodem prorsus modo, quo Fabius *Maximus*: neque id posterioris tantum Africani, qui tunc nondum natus, sed ceterorum

Scipionum, immo Romanorum omnium respectu propter praecipuam rerum gestarum magnitudinem. Et hinc Polybius non dicit Αφρικανῶ, sed Ποπλίῃ τῆ Μεγάλῃ κληθέντος, vt et altero loco, quem addo, in Exc. Peiresk. ex lib. XXXI. Σκηπίωνος τῆ Μεγάλῃ προσαγορευθέντος. Dabantur autem illustribus Viris plura saepe cognomina, quae non omnia semper retinebant, aut ad posteros propagabant. Vt repetam Fabium Maximum, neque ille semper, et idcirco neque in Fastis, *Ovicula* est appellatus, neque hoc, aut etiam *Verrucosus* cognomen ad filios nominum ceteroquin heredes transmittit, sed solum *Maximi*, quod praeclarior et illustrior priora oblitterata fecit. Sic et in Scipione euenisse arbitror. Nempe *Magni* cognomen abolitum paulatim, postquam *Africanus* coepit appellari, aut ipsum praetulisse potius hoc, quippe quo *declarabat tertiam orbis partem se subegisse*, vt ait Cicero pro Rosc. Am. prae altero, quo dicebatur *Magnus*, quum inter ciues eius essent, qui *Maximi* vocarentur. Crediderim autem prius *Magnum*, forte quum Hispaniam penam a Romanis desperatam, sua virtute iis restituit, et Carthaginenses saepius victos ex ea penitus expulit, postea vero, victo iam ipso Hannibale ac triumphata Africa, *Africanum* fuisse a populo appellatum; et ita, quum hoc vtpote recentius et gloriosius priori in vulgari sermone successisset, et praeualuisset, factum denique, vt illud et nunc rarius apud scriptores occurrat, et iam olim, viuentem adhuc Scipione, et deinceps, minus fuerit vsitatum pro proprio illius cognomine; idque adeo vt neque ille intelligi semper debeat, vbicumque hoc *Magni* vocabulum Scipioni cuiquam a veteribus additum legitur. Exemplo sit hoc Lucilii
apud

apud Gellium IV. 17. *Scipiadae magno improbus obiiciebat Afellus.* Haec enim de minore Africano, L. Pauli F. qui Censor Afello huic Claudio equum ademit, et ideo postea ab ipso Tribuno pl. in concione saepius exagitatus fuit et accusatus, esse intelligenda ex historia et ipso Gellio satis constat, atque adeo *no Magnus* hic non proprium est cognomen, sed commune Epitheton praeclaris viris adiungi solitum, tantoque facilius posteriori Africano adiunctum, quia is reuera erat Vir Magnus, et quia in hac familia abolitum iam dudum et obliteratum erat istud proprium prioris Africani cognomen, nullamque idcirco posteriori tunc Epitheti vice additum parere amplius poterat ambiguitatem.

Polyaenus vero, ut nec eum sine nota praetermittam, quamvis haud dubie tale aliquid de Scipione et Fabio in antiquioribus Historicis legerit, in eo tamen errat, quod Scipionem ita cum Fabio locutum scribit, postquam ipse iam ipsum Hannibalem directa acie congressus vicisset, quandoquidem Fabius anno ante, quam illud accidit, diem suum obierat. De quo praeter Plutarchum videndus Liu. XXX. 26.

C A P V T I I.

L. Calpurnium Pisonem Frugi, Virum Consularem et Censorium, magni praeterea nominis Historicum, notat Lilius IX. 47. quod biennium, quo Claudius Volumniusque, et Cornelius cum Marcio Consules fuerunt, praeterierit, addito, *memoriane fugerit in Annalibus digerendis,*

an consulto binos Consules, falsos ratus transcenderit, incertum esse. Verum idem prorsus in ipsius quoque Historiis a diligenti Lectore animaduertitur. Biennii enim et ille Consules Q. Sulpicium, Sp. Lartium, et C. Iulium, P. Pinarium, qui apud alios occurrunt anno V. C. 263. et 264. plane omisit. Nam accesserim ego Sigonio potius, ipsius id Liuii vel culpa vel consilio factum censenti in Chronologia Liuiana, quam Pighio, qui eos, in super habitis, vt apparet, Sigonii rationibus, in Liuium lib. II. c. 35. et 37. immittere, tanquam si librariorum oscitantia exciderint, in Annalibus suis conatur, nulla licet membranarum auctoritate adiutus. Ceterum secundum quem, hac in re forsitan humani quid euenisse Patauino agnoscentem, nostram sententiam dedimus, ab eodem plane dissentimus, quum manifestam eiusdem Auctoris hallucinationem omni modo eius scriptis, partim interpretando, partim mutando vulgata, eripere studuit, et eo quidem successu, vt auctoritati eius, quae in his quidem rebus, quibus inquirendis ille praecipue se dederat, magnum, vti merebatur, apud posteros habuit pondus, omnes deinceps editiones obtemperauerint. Quo diligentius res nobis erit agenda, praeterquam quod versabimur in referendis honoribus Viri Clarissimi, qui ipsam Urbem Romam ab hostibus captam et incendiis foedatam, profligatis illis atque ad interuersionem caesis, liberauit ac restituit. Fuit is M. Furius Camillus, quem Liuius ex Sigonii sententia sexies, ex mea septies, quamuis perperam, Tribunum mil. Conf. pot. facit. Summa controuersiae haeret in primo Tribunatu, initio libri V. vbi Auctor Romanos auxisse Tribunorum numerum, et octo, quot nunquam antea, creasse dicit, atque horum

horum ultimos memorat *M. Furium Camillum*, et *M. Postulium Albinum*. Quid vero Sigonius? Acriter fatis inuehitur in eos, qui hunc Camillum cum eo, qui postea Dictator Gallos vrbe expulit, eundem putent, nec dubitandum censeat, hoc anno Tribunum, ex Liuii sententia fuisse alium *M. Camillum*, et minus strenuum, quippe qui nihil rerum in illo Magistratu gesserit: quasi quenquam alium ex illis octo a rebus eo anno gestis commendet Liuius, aut strenuus ille Camillus in penultimo Tribunatu non item nihil omnino gessisse legatur. Ego vero non dubito strenuum illum a Liuiio intelligi. Etenim nullum in Furia gente Camillum reperio praeter hunc vel ex hoc ortos. *Fufos, Medullinos, Pacilos Furios* habemus, *Camillum* alium ante hunc vel cum hoc nullum, ut nihil dubitem, cognomen hoc ei tunc soli vere proprium fuisse, et ab eo primo in ista gente suam traxisse originem. Atque hinc de eius filio *L. Furio Camillo*, qui Consul magno proelio et ipse Gallos vicit Liuius VII. 25. *Redierantque res ad Camillum, cui vnico Consuli vel ob aliam dignationem haud subiiciendam Dictaturae, vel ob omen faustum ad Gallicum tumultum cognominis, Dictatorem arrogari, haud satis decorum visum est Patribus.* Nollem haec coniecturis tentari a Viro summo, rogante, *An Furius minus faustum praebeat omen aduersus Gallos, quam Camillus.* Sane vero mea sententia, quia qui Gallos antea vicerat et deleuerat, solus proprio et peculiari cognomine appellabatur *Camillus*, *Furii* nomen cum multis aliis habebat commune. Et ideo Claudianus quoque in Consulatu Prob. et Olyb. v. 149. *Gallisque genus ferale Camillos.* Immo qui infimulabantur parem illi gloriam affectare, non *Furii*, sed *Camilli* appellatione

ab inuidis fuerunt insigniti. M. Minucius Magister Eq. de Dictatore suo, Q. Fabio apud Liuium XXII. 14. *Nouus hic Camillus.* Denique ipse Liuius vix vsquam, nisi vbi Magistratus omnibus, vt solet, nominibus exponit, eum appellat aliter, quam simpliciter *Camillum*, etiam in Orationibus, in quibus ceteroqui rarissime, pene dixerim nunquam, illis temporibus cognomina vsurpat: scilicet, quia isto sibi peculiari cognomine solo satis superque poterat cognosci. Magno, ni fallor, haec omnia sunt indicio, neminem tunc alium fuisse Camillum, certe sine manifesta Historiarum auctoritate non temere debere statui. Praeterea solus est Liuius, qui hoc anno octo memorat Tribunos. Ceteri sex tantum; neque in iis Camillum, aut Postumium Albinum agnoscunt. Verum pro eo in Capitolinis quidem Fastis duo illis subiiciuntur Censores, quorum posterior est *M. Postumius Albinus*, qui Liuius vltimus est octo Tribunorum. Alterum, qui in illis Fastorum fragmentis intercidit, fuisse Camillum, eum, qui postea Dictator Urbem seruauit, ipse Sigonius in Fastis fateri cogitur. Quae ergo dementia est alium nobis hic fingere Camillum, cum manifestum sit, duos illos Censores proxime post sex huius anni Tribunos, in Fastis memoratos; Liuium incuria quadam, tanquam septimum et octauum sex illis adiecisse, atque adeo, qui ab aliis Censores fuisse dicuntur, esse eos ipsos qui iisdem nominibus et eodem ordine a Liuius postremi suorum octo Tribunorum nominantur, atque ita porro illum celebrem Camillum ex Liuii sententia etiam hoc anno, et denique septies non sexies fuisse Tribunum conf. pot. His accedit quod Liuius V. 10. *M. Furium Camillum iterum* Tribunum fuisse dicit. Verum hoc, quod
 da
 vel

vel maxime ab ista opinione reuocare debuisset Sigonium, ille adulterare contra codicum fidem nihil est reueritus, eiecta prorsus vocula *iterum*, quae, sicuti nunc sane ex illius sententia in edd. desideratur, ita in ante vulgatis suum obtinebat locum, nec mouenda eo erat. Hinc porro iam liquet, vbi Sigonius Camillum II. V. et VI. Tribunum iussit scribi, reponendum esse III. VI. et VII. etiam si alicubi membranae refragentur, in quibus facilius multo numeros, vnitatem neglecta, leuiter corruptos reperias, quam vbi nulli fuerant, alieno loco insertos, vt, si vera diceret Sigonius, factum fuisset V. 10.

Et forte in constituendo hoc Camilli primo Tribunatu, referendisque an. V. C. 352. octo Tribunis non tam errauerit ipse per se et sua maxime culpa Liuius, quam alios errantes fuerit secutus. Nam fuisse aliquando octo Tribunos vndecunque id hauserit Liuius, certe credidit, et vulgaris etiam fuit opinio. Quapropter non hoc modo libro identidem de octo loquitur, sed et VI. 37. inducit Tribunos pl. plus LX. annis post exposulantes: *Duobusne in locis sua voluntate impertituros (patricios) plebi honorem, qui octona loca Tribunis militum creandis occupare soliti sint?* Diod. Siculus quoque lib. XV. anno Mundi 3601. Romanos ait designasse *ἀντὶ τῶν ὑπάτων χιλιάρχας ὀκτώ: octo Tribunos pro Consulibus.* Et Imp. Claudius in aerea tabula de ciuitate Gallis danda apud Gruter. pag. 502. **TRIBVNOS. MILITVM. CONSVLARI. IMPERIO. QVI. SENI. ET. SAEPE. OCTONI. CREARENTVR.** Idem dixisse Pomponium de Or. I. §. 25. cum Budaeo, Corasio, Cuiacio, et Mureto sentio, legentibus d. l. *Hi constituti sunt vario numero. Interdum enim VI. fuerunt,*

fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores. Scribitur vulgo: *Interdum enim viginti fuerunt.* Quod cum de Tribunis his manifesto falsum sit, propius vulgatam accedere mihi videntur, qui ex viginti faciunt VI. h. e. *seni*, quam IV. quaterni, vt maluit post illos Rupertus, Auctores requirens quos sequi potuerit Pomponius, plures aliquando *senis* fuisse, statuentes. Cui proinde has de octo Tribunis auctoritates nos opponimus, etiam si nunc in Fastis quidem nusquam tot occurrant.

Iam sicuti in superioribus Liuiio et Sigonio tabulas obduximus Capitolinas, ita nunc e contrariis Liuium et eius antiquas edd. tuebimur contra eundem Sigonium et easdem tabulas. Extremis belli Annibalici temporibus fuerunt Viri Amplissimi C. et M. Seruili Gemini, alter alteri in Consulatu succedentes, et simul in alterius Consulatu alter Magister Eq. alter Dictator, et quidem vltimus e Republica, et volente Rep. dictus. Fratres fuisse vix dubitem. Nam vtrumque Fasti hoc loco integri C. *Filium*, P. *Nepotem* dicunt. Sed, quod iure mireris, iidem in C. Seruilio et Consule et Dictatore cognomen omittunt, haud alias sane in cognominibus etiam, si plura sint, ordine recensendis maligni. Sigonius ergo etiam in Liuiio, suffragantibus alicubi quibusdam codd. quos Veteres vocat, de quibus tamen alii tacent, non vno loco aut libro, sed quinque minimum (Vid. XXIX, 38. XXX, 1. et 39. XXXIX, 46. et XL. 42.) expungendum eius cognomen censet. Mihi in alia omnia eundem videtur, et facit id mecum Pighius. Nam frater, vt dixi, C. Seruilius fuisse videtur Marci, qui sine controuersia *Gemini* cognomen habuit. Et errat haud dubie Sigonius, quum hos etiam familiis distinguit, et Gaium Plebeium, Marcum Patri-

Patricium, ex Patriciis, *Geminis Seruiliis* ortum putat. Fuerunt sane antea inter Patricios Gemini Seruili, sed potuerunt hi postea, vt multi alii, per causam consequendorum plebeiorum Magistratum, et facilioris etiam ad ceteros honores viae, ad plebeios transiisse, vel certe hi et illi quamuis eiusdem nominis et cognominis diuersi fuerunt generis et familiae. Nam sic quoque plebeios et patricios iisdem temporibus reperias Attilios Longos, Genucios Augurinos, et Minucios Augurinos. Vtuncque sit, certe M. Seruilius aequae inter plebeios referendus est ac Gaius. Nam aequae habuit patricium in Consulatu Collegam, T. Claudium Neronem. Non licuisse autem tunc temporis duos simul patricios creare Consules ipse Sigonius non ignorauit. Denique nullo modo Liuius ipse Gaius suum cognomen auferri patitur. Nam primo Cassiodorus quoque, qui, vt constat, Consulum nomina ex Liuiis exscripsit, *C. Seruilius Geminus* in Chronico vocat. Accedit Liuianorum codicum fides pluribus in locis, quorum si tamen quidam alicubi cognomen in Gaius omiserint, quid tum? Non semper et vbique addi illud necesse est. Etiam M. Seruilio, teste Gronouio, adimunt XXX, 26. Menardus et Puteanus, qui omnium certissimus. Sed quid moror? Vnum ceteris addam et Sigonio opponam locum, nec tentatum ab illo, nec animaduersum ab aliis, qui tamen manifesto et cetera a Sigonio tentata tuetur, et vexari ipse nullis potest coniecturis. Liu. XXXI. 4. inter Decemuiros agris per veteranos diuidendis nominat Liuius *C. et M. Seruilios*, addito, *Geminis ambobus cognomen erat*. Quomodo haec suae sententiae accommodabit Sigonius? Omnia vel deleat necesse est, vel seruet

deinceps apud Liuium incoluere C. Seruilio Viro honoratissimo suum cognomen, quod illi tot aliis, sed clarissime hoc loco asseritur. Cur Capitolinorum Faetorum Auctor fratribus alteri cognomina duo addiderit, alteri nullum, excogitare nequeo, nisi, si in eo, vt fuit et ipse homo, humana ἀβλεψία fuerit lapsus.

Idem dicendum mihi videtur de illo, qui fertur *Romana primus in Historia*, Cripso Sallustio, quum in B. Catil. in orat. Catonis ex superioribus seculis repetit factum Torquati, qui filium, quod iniussu suo in hostem pugnauerat, summo adfecit supplicio. Qua in re commemoranda bis, a ceterorum consensu, vt obseruauit, iam Castillioneus discedit. *Apud maiores nostros*, inquit, *A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnauerat, necari iussit.* Atqui Cicero, Liuius, Valerius, Florus, Gellius, Orosius, Victor, omnes bello Latino id accidisse memorant, et Faetorum Triumphalium Auctor hoc eum anno de *Latinis, Campanis, Sidicinis, Auruncisque* triumphasse prodit. Nam quod apud Plutarchum *Parall. 12.* legimus bellum hoc gessisse Romanos πρὸς Σαυίτας, manifestus is est error, quum non *contra Samnitas*, sed pro illis sit susceptum contra Latinos. Vide *Liui. ib. VIII.* Verum error hic non Plutarchi est, sed Aristidis Milesii, cuius, vt et ceterorum ex quibus Parallela ista collegit Plutarchus, in rebus Romanis et Italicis nulla est habenda ratio. *Dionysium tamen Halic. VIII. 13.* vbi is de Sp. Cassio agit, eiusdem sententiae vel culpae socium hac in re habet Sallustius. Quid ergo? Duos hos tot aliis opponere licebit, eorumque auctoritate hanc quoque historiam, et hoc bellum tam nobile, tam sine vlla haesitatione et tam
prolixè

prolixè ab aliis expòsitum in incerta referemus, an potius et Sallustium et Dionysium memoriae vitio, quum non anquisite aut sollicitè, sed obiter, et aliud vterque agendo in hac re referenda versarentur, esse lapsos? Mihi sane ita videtur, et haec fuisse istius peccati causa, quod meminerant hunc ipsum Manlium, celebrem ex bello Gallico reportasse gloriam, quippe in quo Tribunus mil. victo et interfecto singulari certamine prouocatori Gallo torquem detraxit, et ex eo factò *Torquati* cognomen sibi et posteris peperit. Hoc itaque bellum, per quod maxima laude ille ab omnibus ornabatur, et cuius gesti praecipua pars fuerat, ad eius Consulatum per errorem transtulisse videntur. Certe enim Sallustius etiam in eo lapsus est, quod *Aulum* hunc vocat, quum omnium sine exceptione consensu *Titus* fuerit.

At quanto grauius ac foedius impegit Appianus in longe notissimo ac clarissimo Reip. R. viro, P. Scipione Aemiliano, Carthaginis et Numantiae nobilissimarum vrbiùm domitore. Eum enim in Syriacis tradit Africani prioris fuisse natura ex filia nepotem, sed adoptione filium, et esse eum ipsum, qui ab Antiocho captus et patri restitutus fuerit. In quibus nihil veri, nihil non turpissimo ac triplici errore inquinatum. Prior Africanus vxorem habuit Tertiam Aemiliam Aemiliani amitam, et ex ea duas tantum filias, quarum alteram Nasicae, alteram Graccho collocauit. Aemilianus matrem habuit non vllam Corneliam Scipionis, sed Papiariam Massonis F. Adoptatus autem est a prioris Africani filio, perque istam adoptionem illius Africani factus est nepos. Nunquam porro hic ab Antiocho fuit captus, sed alter filiorum prioris Africani. Verum, haec a Viris doctissimis Camerte ad Flo-

rum, Vineto ad Eutropium, Stephano ad Appianum, Bongarfio ad Iustinum, Boeclero ad Velleium, aliisque iam animaduersa ex Plutarcho, Liuiio, Floro, et Velleio, sed quibus addendus omnino Polybius in Excerpt. e lib. XVIII. et XXXI. testis omni exceptione maior, quippe Aemiliano σύγγενος et familiaris, non ego haec, inquam, toties iam animaduersa hic iterum repetiissem, nisi nuper Ioh. Vorstius isto tamen Appiani loco adhuc deceptus, ex eo ad Val. Max. III. 7. 2. opinionem absurdissimam de adoptionibus iuuentuti obtrusisset. Dicit Valerius, quum de Africano priore egisset, *auiti spiritus* successorem fuisse Aemilianum. Hic ille, quum primum posuisset, priorem Africanum adoptasse filium L. Pauli, Africanum posteriorem, huius tamen illum fuisse et dici auum ex verbis Valerii fateri cogitur. At quo pacto? Non quod, vt sentiebat Appianus, posterior Africanus ex prioris filia fuisset natus, quod, etiam si falsum, nihil tamen absurdi continet, sed *qui adoptabant*, inquit, *eorum quos adoptabant, auis, quique adoptabantur, eorum a quibus adoptabantur, nepotes dicebantur*. Vide obsecro, mi Lector, ad quam falsa nec a veritate modo, sed et a verisimilitudine abhorrentia, recepto vno errore progredi soleant in rerum antiquarum lectione non satis exercitati. Addo nunc aliud Appiani peccatum e Lib. I. Bell. Ciu. extr. vbi ait, Spartacum fugitiuorum ducem, desperatis omnibus in certamen cum Crasso descendisse, quum intellexisset, *Lucillum a victoria Mithridatica redeuntem* appulisse iam Brundisium. Nam falsum id esse et ratio temporis euincit, quoniam L. Lucullus ille qui cum Mithridate bellauit, eumque vicit, demum quatuor vel quinque annis post e prouincia rediit succedente ei

Pom-

Pompeio, qui hoc anno ex Hispania tantum quod reuertebatur, et postea etiam prius quam Luculli vices exciperet, contra piratas fuit missus. Sed rediisse videtur hoc tempore Lucullus, non Lucius a victoria Mithridatica, verum Marcus Lucii frater, Thracum victor, e Macedonia, in quam prouinciam, anno post Lucium consulatu functus fuerat missus. Tradit enim Plutarchus, scripsisse Crassum Senatui, vt Lucillum ex Thracia, et Pompeium ex Hispania arcesserent, ad suppetias sibi ferendas contra fugitiuos, verum postea poenitentia ductum, antequam hi ad se peruenirent, profligandis illis ac debellandis studiosius incubuisse.

Appiano nunc etiam vtemur ad coarguendum alterius Auctoris in rebus sui pene temporis commissum errorem. Velleius is est Paterculus, qui lib. II. c. 64. *Haec sunt tempora quibus M. Tullius continuis actionibus aeternas Antonii memoriae inussit notas, sed hic fulgentissimo et coelesti ore: at Tribunus Canutius continua rabie lacerabat Antonium. Vtrique vindicta libertatis morte stetit, sed Tribuni sanguine commissa proscription, Ciceronis, veluti satiato Antonio, poena finita. Tempora illa, si ex proxime praecedentibus, vt oportet, interpreteris, sunt, quibus D. Brutus obsidione premebatur ab Antonio, Hirtius et Pansa Consules ad Mutinam ceciderant, Antonius a Mutina depulsus ad Lepidum profugerat, et denique eius vt et Pollionis ac Planci exercitibus erectus et confirmatus D. Brutum iam interfecerat. Haec enim praecesserunt, et sequitur statim post allata modo verba coniunctio Antonii, Lepidi, et Octauiani, qui Triumuirorum nomine Urbem et Remp. inuaserunt, et proscriptione optimorum ciuium vastarunt. At ego quidem nego, quum illa iam facta essent, vel fierent,*

Canutium continua orationum rabie lacerasse Antonium, nego illo anno, Hirtio et Pansa Coss. fuisse Tribunum, nego eius sanguine commissam vel coeptam proscriptorum caedem, nego denique in illa proscriptione periisse. Tribunus pl. fuerat superiore Antonio et Dolabella Coss. quo Caesar a coniuratis est interfectus. Nam ab eo Antonius consul a. d. VI. Non. Octob. in concionem, ut a Tribuno, productus turpissime discesserat, Cicero ad Famil. XII. 3. Et *honestissimis concionibus et saepe et iure vexatus*, eum vicissim non solum templo, verum etiam aditu Capitolii, ubi Senatum habebat, prohibuerat. Philipp. III. 9. Ab eo Caesari Octaviano ab Antonio, Consule adhuc, dissidenti, ac cum populo agendi facultatem petenti concio pro potestate ac iure Magistratus tribunicii data, Dio. I. XLV. Neque tamen Caesari huic fuerat antea amicus, sed tunc quoniam is ab Antonio repulsus, ad bonos et imprimis Ciceronem se contulerat, ei contra Antonium fauebat, et quum vterque cum exercitu ad urbem veniret, Caesari occurrerat, intellectaque eius sententia, palam in concione pronunciauerat, aduentare Caesarem inimico in Antonium animo, ac decere eos, qui Antonium tyrannidis affectatae infimularent, Caesari se adiungere, nullum quippe alium in praesentia exercitum habentes. Tradit haec Appianus Εμφυλ. III. n. 553. sed turpiter quod ad historiae sententiam corruptus: *Κανέτιος ὁ δήμαρχος, ἐχθρὸς ὢν Ἀντωνίῳ καὶ παρ' αὐτῷ Καίσαρι φίλος, ὑπήντα τῷ Καίσαρι.* Vertitur: *Canutius Tribunus pl. inimicus Antonio, Caesari vero amicus, huic obuiam profectus.* Quia Graeca vitii sunt manifesta, idcirco regiae editionis Curator legi iussit αὐτὸ, idque receperunt deinceps alii. At tu, ut omnia

omnia recte se habeant, et veritati congruant, exigua prorsus mutatione potius lege: *Καίπερ ἔτι Κρίστων φίλος, quamvis neque Caesaris esset amicus.* Omnes enim, qui cum *τυραννοκτόνοις* Bruto et Cassio, h. e. qui cum Rep. sentiebant, alieno erant a Caesare animo, veriti, ne quando is patris sui adoptiui necem vlcisceretur. Quod et fecit postea, quum ab Rep. iterum descivit, et cum Antonio ac Lepido Triumviratum inuasit, proscriptionis et interfectis crudelissime Viris optimis atque amplissimis ciuibus. Quapropter tandem etiam hunc ipsum Canutium, non tamen proscriptionis factae, nedum Tribunatus illius anno, sed quatuor annis post, capta Perusia inter multos alios Senatores et Equites ad aram D. Caesaris occidi curavit, testante disertim Dione lib. XLVIII. *Et Senatores alii, et Ti.* (leg. enim in Graeco *Τιβέριος*, non *Τίρος*) *Canutius, qui quondam Tribunus pl. concionem Octavianio Caesari dederat, mactati sunt.* Dionis fidem confirmat Appianus *Εμφ.* V. n. 700. nisi quod Octavianum crimine caedis in bene merito olim homine factae liberare studet, et culpam in milites confert, qui tumultuantes, si credimus, Canutii, C. Flauii, Clodii Bithynici atque aliorum necem, tanquam praecipuorum Caesaris hostium depoposcerint. Animaduertis Lector, quam falso eius Tribuni sanguine commissam dicatur proscriptionis. Et tamen verum est, Tribuni sanguine commissam, sed alterius, id quod decepit haud dubie Velleium. Saluius is fuit, qui Tribunus pl. Hirtio et Pansa Coss. quia, cum primum, ne Antonius hostis a Senatu iudicaretur, intercessisset, postea in omnibus cum Cicerone contra Antonium steterat, primus omnium suo sanguine, Triumvirorum fauorem imbut, capite truncatus in conuiuium, quod

audito illorum in Urbem aduentu, necessariis suis parauerat. Discimus id ex Appiano *Euſt.* IV. n. 598. *Coepit malum casu ab iis, qui in Magistratibus erant, et primus interfectus est Tribunus pl. Saluius.* Vbi pluribus de infanda eius nece, quanquam sacrosancto Magistratu praediti, agitur.

Asconius quoque Pedianus grauiter cespitauit, confundens duos, qui eodem tempore vixerunt Dolabellas, accusatos alterum a Scauro, alterum a Caesare, inque iis identidem commemorandis varie fluctuans ipse, et quantum in se est, incertum dimittens Lectorem, vt videre licet Manutium in Notis ad Diuinationem. Omnia clarissime vt pateant, ita habeto. Duo fuerunt Dolabellae iisdem plane nominibus. Alter ex Praetura praefuit Ciliciae, cui Legatus et pro Quaestore fuit C. Verres. Accusauit eum Scaurus, et damnauit, testimonio vsus etiam ipsius Verris, cui proinde flagitium illud saepe exprobrat Cicero. Huic Dolabellae Ciliciam fuisse prouinciam et legatum Verrem constat ex Cic. in Verr. I. 17. Accusatum a M. Scauro, et condemnatum ex cap. 31. et in primis 38. Alter, Consul fuit cum M. Tullio Decula an. V. C. 672. et Macedoniam habuit prouinciam atque ex ea triumphauit. Cic. in Pison. c. 19. Hunc accusauit C. Caesar adolescens anno aetatis, vt vult Auctor de causis corr. eloq. *vno et vicesimo*; quamuis etiam hoc ex Suetonio conuellat et erroris arguat Casaubonus ad Suet. Caes. in c. 4. sed absolutus is est, defendentibus C. Cotta et Q. Hortensio Cic. in Bruto c. 92. De Cotta illius patrono contra Caesarem etiam Val. Max. VIII. 9. 3. vbi tamen male *L. Cotta* vocatur. Fuit enim C. Aurelius Cotta Consul A. V. C. 678. Absolutum hunc

Plutar-

Plutarchus quoque, et Suetonius, tum Velleius II. 4. produnt. Iam vero vt haec misceat Asconius, videamus. Primum in Diuin. *pueros nobiles*, quos in accusationibus ab Hortensio adhuc elusos dicit Cicero cap. 7. interpretatus primo Ap. Claudium, qui cum accusaret Ter. Varro- nem, victus ab Hortensio fuerit, subiungit: *Significat et Caesarem, item adolescentem, in Dolabella reo ex Sicilia*, (i. Cilicia, vt iam monuit Pighius) *qui quidem damnatus non est, quantum oportuit, per Hortensii gratiam. Nam si non damnatus est Dolabella, quomodo postea dicit Tullius: iam iam, Dolabella, neque me tui, neque tuorum liberum, quos tu miseros in egestate reliquisti, miseret? Significare potest, sane etiam Scaurum, qui alterum Dolabellam Consularem triumphalemque accusauit, et potuit eidem Hortensius resistere.* Vides accusationem eius, qui Ciliciam administrauerat, Caesari perperam tribui, eumque agnosci quidem damnatum, sed quoniam designabantur a Cicerone ii tantum Accusatores, quibus ab Hortensio elusis rei euaserint, fingit eum fuisse quidem damnatum, sed non, quantum oportuerit. In antiquiss. ed. Veneta anni 1477. *qui quidem damnatus est, quantum oportuit.* Hotmannus immisit negatiuam, et exp. *Damnatum quidem esse, sed non tanti, quantum oportuit, in quo tamen Latini sermonis regulam nutare censet.* Putem alio ponendam loco negationis uoculam, legendumque *q. q. damn. sed non quantum oportuit.* Neque in hac locutione violatur quicquam Grammaticae Syntaxeos. Sensus enim est, damnatum quidem, sed non in tantum, in quantum damnari eum oportuit, non tam graui poena quam oportuit. Nam cum tanti vel tantae summae damna-

tus qui dicitur, significatur summa, quae est in ipso crimine et accusatione, qua aestimata est lis vel causa ab accusatore aut iudice: at cum in tantum, in quadruplum, in opus, in metallum et similia quae recte et ἀνάλογως dicuntur, et aliquando apud veteres occurrunt, significatur ipsa poena, quae damnato subeunda et praestanda. Illud potius in his Asconii verbis erat notandum, quod contra regulam moris Romani posuit in damnationibus magis et minus: et pro arbitrio iudicum illo Reip. tempore variauisse voluit poenas reorum. Contra enim iudices tunc pronunciabant solum modo, vtrum is qui accusabatur vere reus esset, et conuictus eius criminis, cuius accusabatur, nec ne. Poena autem cuique crimini sua lege erat constituta, quam sine vlla variatione damnati subibant. Diserte Cic. pro Sulla c. 22. *Nemo iudicium reprehendit, cum de poena queritur, sed legem. Damnatio enim iudicum est, poena legis.* Pari deinde errore Asconius a Scauro statuit accusatum Dolabellam consularem, qui accusatus fuit a Caesare, sed absolutus est defendente Hortensio. Nam vere Hortensium huius Dolabellae accusatori restitisse, quod ille ex coniectura dubitanter adeo ponit, nos sine vlla haesitatione adfirmamus, et paulo ante ex Cicerone probauimus. Neque vero hac Asconii criminatione plane excludimur, si maxime, quod vult Pighius ad Ann. 675. accusatorum nomina *Caesaris* et *Scauri* transponantur. Nam eripi id mihi nequit, male tamen hunc referri etiam illius Dolabellae, qui damnatus est, et cuius afflictam fortunam saepe deplorat in Verinis Cicero, Accusatorem, quum hoc loci ii tantum a Cicer. intelligantur, quos in accusando Hortensius non ex parte aliqua, sed simpliciter et plane

plane elusit. Sed et nimis profecto licentiosa est isthaec emendandi ratio; qua utitur Pighius, in tam longinqua inter se loca tam diuersa inuicem vocabula, ut sunt *Caesar* et *Scaurus*, traiciendo. Et eo minus recipi potest, quod non hic solum, sed et in Orat. de Praet. Urb. eodem modo peccasse reprehenditur Asconius, et ne peccasse videatur, eadem tam audacula crisi iterum succurrere ei cogitur Pighius. Nam et illic de Dolabella agens, quem Verres eius Legatus testimonio suo oppugnauit et prodidit, addit: *Accusatores autem Dolabellae Caesarem dicit. Nam Scaurus Dolabellam alium accusauit nec damnare potuit.* Ad bonam tamen mentem ac suam se recipit fidem, et antea vel sui se oblitum vel incogitantia lapsus prodit Commentator, quum postea, quoniam Cicero deinceps in ead. orat. diserte damnati Dolabellae accusatorem dicit Scaurum, etiam ipse *inimicos* eius Dolabellae interpretatur *Accusatores*, addito *scilicet Scaurum*. Sed nihil clarius et verius eo, quod in orat. pro Scauro ponit liberos suos ab errore, in quem ipse inciderat, reuocans. *Ne forte erretis, ait, et eundem hunc Cn. Dolabellam putetis esse, in quem C. Caesaris orationes legitis, scire vus oportet, duos eodem tempore fuisse, et praenomine, et nomine, et cognomine Dolabellas. Horum igitur alterum Caesar accusauit, nec damnauit, alterum M. Scaurus accusauit et damnauit.* Quae, malum ergo negligentia est, aliter in aliis docuisse, et reliquisse commentariis, quamuis haud dubie, ut ex his colligo, et antea et singillatim editis. Verissima enim sunt haec postrema, nec aliter sentire debuerat Vir in Historiis R. ceteroqui versatissimus Seb. Corradus ad Cic. Brutum c. 92. ut facit, existimans, vnum fuisse

fuisse Dolabellam a Caesare primum, et dein a Scauro accusatum.

Pari successu Pighius, non iam emendando, sed fingendo multa indicta et inaudita tuetur Peditium, quando is ait in Diuin. P. Rutilium Rufum Virum innocentissimum, et tamen ab Equitibus, penes quos tunc temporis iudicia erant, damnatum repetundarum ex Asia, *Quaestorem* in ista prouincia fuisse Q. Mucii P. F. quem ceteri eius Mucii *Legatum* fuisse dicunt, et qui, cum Mucius Asiae praefuit iam dudum Vir Consularis fuerat, quippe decem annis ante Mucium Consulatu functus. Verum ille, vt haec conciliet, comminiscitur Rutilium et Legatione et Quaestura irritasse aduersus se publicanos, qui erant Equites; et vtriusque muneris causa damnatum. Legatum autem fuisse Q. Mucii P. F. sed diu ante Quaestorem Q. Mucii Q. F. quem et ipsum propterea statuit Asiae praefuisse Propraetore an. 632. At diferte Asconius quum Rutilium Mucii Quaestorem damnatum dicit, de eo se Mucio loqui testatur, *in cuius honorem Asiani diem festum Mucia nominarint*. Is autem omnium consensu est Q. Mucius P. F. Q. Crassi in Consulatu collega, qui Asiam tam sancte administravit, vt Senatus R. deinceps in suo decreto omnibus in eam prouinciam ituris illum tanquam officii sui exemplum proponeret. Praeterea nihil Asconius vel alius quisquam de duplici et diuerso ac tam diuersi temporis sub duobus Muciiis in Asia Rutilii munere, sed tantum quem alii Legatum, eum ille Quaestorem Mucii, quod publicanorum libidini obstitisset, ab Equitibus damnatum dicit. Accusatus autem et damnatus est, cum iam M. Antonius et L. Crassus summi Oratores *Viri Consulares* essent, (Cicer. in Bruto

Bruto c. 30.) h. e. minimum XXVI. annis post, quam ex sententia Pighii Quaestor fuisset, et commisisset id, quo nomine, quamuis iniuste, fuerit damnatus. Nos itaque Valesio ad Exc. Peiresk. assentiri malumus qui falsi hac in re arguit Peditium. Nec enim vt ille monet, Quaestor Q. Mucii P. F. esse potuit, qui Consul iam fuerat. Nam non solebant illo tempore post Consulatum repeti infimi id genus honores, nisi si quis Senatu a Censoribus fuisset motus, quod de Rutilio nefas est cogitare. Vnum tamen superest, quo ex hac criminatione eripi forte queat Ciceroniani huius Commentarii Auctor. Iuisse scilicet Rutilium in Asiam, Legatum quidem Mucii, sed postea mortuo forte eius Quaestore fuisse illi simul pro Quaestore, seu Proquaestorem, plane sicuti Verres Cn. Dolabellae in Cilicia Legatus, et dein Malleolo Quaestore illius defuncto, etiam Proquaestor fuit. Nam quod Asconius simpliciter *Quaestorem* vocauit, qui tamen pro Quaestore tantum fuisset, eodem id facere potuit iure, quo Rutilium cum Mucio *Praetore suo* consensisse hoc eodem in loco ait, qui tamen Proprætor, vel potius Proconsul proprie loquendo erat appellandus. Atque ita Q. Fabium *Dictatorem* ab omnibus dici scribit Lilius lib. XXII. qui reuera non Dictator, sed pro Dictatore a populo fuerat creatus.

Haud ita facile excusari potest Pomponius Ictus, eundem Rutilium *Romae Consulem, et Asiae Proconsulem fuisse* tradens §. 41. de Or. Iuris. Ille vero non in quietam prouinciam, qualis tunc Asia, sed in bello vel certe terrore belli exercitam, quæque ad sui præsidium requirebat exercitum, ex Consulatu fuit missus. Vnde Marius, cum ei facultas eligendi exercitus esset data ex duobus, qui sub

sub Rutilio Proconsule et qui sub se ac Metello meruerat, Rutilianum praetulit, quanquam minorem, quia eum certioris esse disciplinae arbitrabatur teste Frontino Strat. IV. 2. Praeterea vix dubium est, dici illa a Pomponio, respectu celeberrimae Rutilii repetundarum ex Asia damnationis. Sed tunc Legatus Proconsulis fuit, non Proconsul ipse. Quid ergo Rupertus, qui id studiose egit, ut Pomponium ubique erroris liberaret, violentissimis licet, et tum a linguae Latinae usu, tum a codd. fide remotissimis interpretationibus atque emendationibus? Nullus dubitat etiam hoc loco intercidisse quaedam, et idem, quod alios, scripsisse Pomponium; videlicet *Asiae Proconsuli Legatus fuit*. Verum ea hercle vis est, qua si liceat uti in illis libris, quorum singula verba, ex tantae auctoritatis et vetustatis, quantae est Pandectes ille Pisanus, membranis descripta habemus, quid in aliis non liceat? Et vero Pomponii huius memoria ac diligentia, quam non eximenda omnino sit humanis casibus, vel hic ipse paragraphus, ne longe abeamus, ostendere abunde queat. Nam, ut taceam quod cap. IX. declarabimus, male hic L. Crassum, Nobilissimum illum oratorem *Mucianum*, et *P. Mucii fratrem* dici, atque ex Cicerone *Ictorum disertissimum* laudari, quae, partim in P. Crassum, partim in Q. Mucium conueniunt; etiam Q. Tuberonem L. Pauli nepotem in eod. hoc paragr. *Consulem* fuisse adfirmat, quamuis aperte eum Cicero in Bruto c. 31. propter vere Stoicam et vitam et orationem, *honoribus maiorum respondere non potuisse*. h. e. ad honores a maioribus eius gestos peruenire non potuisse testetur, quin immo non modo Consulatum, sed ne Praeturam quidem obtinere quiuisset Val. Max. VII. 5. et praeterea nullus

nullus omnino Tuberonum in libera Rep. Consul in Fastis occurrat. Verba Pomponii sunt: *Q. Tubero ille Stoicus Panaetii* (sic enim leg. cum Cuiacio) *auditor, qui et ipse Consul.* Rupertus etiam hic, ut suum sibi morem obtineat, postrema ista ab aliena manu profecta suspicatur. At per Deos immortales! quae ratio est, Pomponium ut identidem absolvas, toties vetustissimae scripturae testimonio fidem abrogare, quum ipse multo deterioris notae atque inferioris acui codicibus credas, Valerium Max. errasse, licet obnitente Reinesio, dum et ille Consulem quendam appellat IV. 3. *Q. Tuberonem cognomine Catum*, cui Aetolorum Legati vilis in mensa eius fictilibus, gentis suae iussu, argentea omnis generis et magni ponderis vasa obtulerint, sed reiecti cum suis muneribus abierint.

Et sane lapsus est Valerius, non solum quod *Tuberonem* Consulem facit, cuius nominis et familiae nulli reperiuntur Consules, sed et quod eidem *Cati* cognomen tribuit, id quod in Aelia gente ex *Tuberonum* familia nulli omnino adhaesit, ut erudite ostendit Rupertus tum in Notis ad Pompon. §. 38. tum in Epp. ad Reines. 34. et 48. Quis ergo Valerianus iste Consul, cuius memoriam propter editum eximiae prorsus continentiae specimen intercidere minime decet? Haesitat Rupertus et inter ea refert, de quibus pronuncian- dum, non liquere. Corradus, Pighius, et omnes deinceps, qui Corradi Historicas et Chronologicas Notulas in margine Valeriano retinuerunt, intelligi putant *Q. Aelium Paetum* Consulem an. 586. Si quaeras, qua causa: Nulla haud dubie alia, nisi quod praenomine cum Valeriano conuenit, et quod putant omnes Aelios Paetos, post

post Sextum, de quo mox, etiam *Cati* usurpasse cognomen. Quod ego non censeo. Certe ille nusquam, quod scio, *Catus* appellatur, nec quicquam de eo traditur, quod huc pertineat. Multo grauius cespitauit in declarando hoc Consule ipse Plinius Nat. Hist. XXXIII. II. dum, vt saepius facit, Valerium Max. sequutus, sed re non satis inquisita, et, quod turpius etiam est, nonnulla de suo adspersens longius a veritate recedentia, Consulem hunc existimat fuisse L. Pauli generum: *Catum Aelium*, inquit, *cum Legati Aetolorum in Consulatu prandentem in fictilibus adissent, missa ab his argentea vasa non accepisse, neque aliud habuisse argenti ad supremum vitae diem, quam duo pocula, quae L. Paulus socer ei ob virtutem donasset.* Manifesta adeo erroris haec sunt, vt etiam Reinesius, qui Valerium excusare conabatur Ep. 35. Plinii tamen in his defensionem defugerit. Nam L. Pauli gener Q. Aelius Tubero, Stoici illius pater, quem etiam aliunde scimus his poculis a focero donatum, neque cognomen *Cati* habuit, neque Consul vnquam fuit.

Et magnum hunc Naturae indagatorem in commemorandis priscis suae ciuitatis exemplis, aliquando et ipsum ab Historica fide aberrasse, indicio esse potest vel vnum hoc caput libri XXXIII. In eo enim etiam Fabium *Allobrogicum* vocat *fratrem* Scipionis Africani, cuius ille fratris filius fuit, vt inter omnes constat. Neque audiendi hic vel Pintianus, qui pro *Frater eius Allobrogicus*, legi volebat *Fabius Allobrogicus*, neque Pighius Ann. 632. qui malebat *Fratris filius Allobrogicus*. Nulla hic crisi opus, sed agnoscendum, humanitus aliquid accidisse Plinio, tanto magis, quoniam idem accidit Straboni et Appiano, a quibus item,

vt

vt iam obseruauit Sigonius, Fabius iste vocatur Φάβιος Μάξιμος ὁ Αἰμιλιανός, quasi esset Africani Aemiliani frater, ac L. Pauli filius, cum vere fuerit L. Pauli nepos, et in ipsis Consularibus Fastis Q. AIMILIANI Filius dicatur. Ille enim est, qui cum Gallis et praecipue Allobrogibus pugnavit, atque ab iis deuictis *Allobrogici* cognomen accepit.

De quo praeter alios etiam Ammianus Marcellinus, sed obscurius paulo, ita certe, vt Ludov. Carrio, Vir sane eruditus, eius verba alienum prorsus in sensum acceperit, atque exposuerit. *Hae regiones, inquit Amm. l. XV. extr. de Galliis, praecipue, quae confines Italicis, primo tentatae per Fuluium, deinde proeliis paruis quassatae per Sextium, ad ultimum per Fabium Maximum domitae, cui negotii plenior effectus, asperiore Allobrogum gente deuicta, hoc indidit cognomentum.* Carrio ad Sallustii fragm. l. I. Histor. isthaec ita interpretatur, quasi ex sententia Ammiani Fabio huic *Maximi cognomentum ex Allobrogibus deuictis fuerit inditum*, quod semper se, ne verum non esset, veritum addit, quoniam ille etiam ante triumphum hunc in Fastis Capitolinis *Maximi* titulo insignis reperiatur. Immo sane fallissimum id esset, quandoquidem non ille modo ante hanc victoriam, sed et maiores eius dudum iam specioso illo *Maximi* nomine seu maui cognomine in Fastis et Libris ornati occurrunt. Sed alia forte mens fuit Ammiano. Nempe eadem quae Dioni, quum lib. XXXVI. init. de Metello et Cretensibus: Κρητες μὲν ἔν τεως κατεδολώθησαν. Μέτελλος δὲ τὴν ἐπίκλησιν ἀπ' αὐτῶν ἔλαβε. *Metellus autem suum cognomentum ab iis accipit. Τὴν ἐπίκλησιν, non Metelli, quod quidem in his verbis exprimitur, sed Cretici, quod a Cretensibus*

E

forma-

formatum eos ab illo subiugatos significabat. Sic ergo et Fabio Ammianus voluit pleniorē eius negotii, domitarum scil. Galliarum effectum, eo quod asperiorē ceteris Allobrogum gentem debellasset, indidisse hocce Allobrogum gentis deuictae cognomentum, seu deuictam ab illo Allobr. gentem declarans ac praefereus. *Hoc cognomentum* est cognomentum huiusce rei, quae modo dicta, ab hac re formatum, et hanc rem in se continens et significans. Sic Plautus Casina 5. 4. 21. *Sed vxor, da viro hanc veniam.* Verba sunt viri, qui in proxime superioribus culpam confessus, hisce verbis eius culpae veniam petere nunc incipit. Mostell. 5. 2. 44. *Dat istam veniam* et v. 46. *Fac istam cunctam gratiam.* Poenulo 5. 4. 84. *Nunc quod boni mihi Dī dant, vobis vobisraeque matri, Eas Dīs est aequum gratias nos agere sempiternas* h. e. eo bono nobis praestitas vel eiusce boni ergo. Cistell. 4. 2. 10. *Ceterum ex ipsa obsecro Exquiri-tote, ego serua sum: Illius ego isthanc esse malo gratiam* h. e. malo ego ab illa iniri gratiam indicandi vobis, quae desideratis, gratiam quae fiet indicando vobis rem adeo speratam. Emendandum ex his censeo Phaedrum lib. II. in it.

Sed si libuerit aliquid interponere, scil. Aesopiūs fabellis de meo, seu de rebus nouis,

Dictorum sensus vt delectet varietas,

Bonas in partes Lector, accipias velim.

Sic istam tibi rependet breuitas gratiam,

Cuius verbosa ne sit commendatio etc.

Istam gratiam est gratiam ista re, accipiēdo in bonam partem, si quae interposuero, mihi et animo meo factam. Vulgo perperam editur *ista*. Male etiam rō *Dictorum* distinctione a seqq. separatum,

a quibus reuera regitur. Hyginus. fab. 106. *Agamemnon Briseidam ab Achille abduxerat. Quam ob iram Achilles in proelium non prodibat.* Nollem haec tentari tam variis modis a doctissimis interpretibus, quasi plane corrupta, cum sint integerima. Sensus est, quo Agamemnonis ex facto nam sibi ob iram Achilles etc. Sic Sulpic. Seu. Hist. Sacrae lib. I. *Pulsus Abner saepius, fratrem tamen Ioabi fugiens peremit. Quo dolore postea Ioab ingulari eum praecepit. Mox Necare eum clam destinauerat. Quo ille metu in Aegyptum confugit.* h. e. cuius rei, et propositi metu, metu inde orto. Corrigendus hinc Liuius XXXII. 14. *Amynder cum Gomphos peteret, oppidum protinus nomine Phecam, situm inter Gomphos faucesque angustas, vi cepit. Inde Gomphos adortus: et per aliquot dies summa vi urbem tuentes, quum scalas ad moenia erexisset, eodem metu perpulit ad deditioem.* Quum prius et primum omnino in illa expeditione oppidum, quod erat Pheca, vi fuerit captum, non metu deditum, haud aliter interpretari postrema haec queas, quam eiusdem rei, ne scil. itidem vi caperentur, metu ad deditioem redactos esse praesidiarios alterius oppidi. Verum durius hoc est, tum sine vlla prorsus necessitate fero positum, longeque nimis remotum ab eo, vnde ortus esset ille *idem metus*, si ista fuisset Auctoris sententia. Sed et solet de *eodem metu* loqui Liuius, quando ii, de quibus proxime egit, deditioem fecere, quae plerumque fit metu. Veluti XXXIII. 38. *Deditio est facta. Idem metus tum incolentes alias Chersonesi Vrbes in deditioem dedit.* XLIII. 19. *Admoto exercitu omnes ex templo dediderunt sese. Qua spe celeriore deditioe erectus, postquam animaduertit, quantus agminis sui terror esset, undecim*

alia castella eodem metu (quo scil. priores ad se dedendos fuerant compulsi) *in potestatem redigit.* XXXII. 13. *Acharras per deditiōnem receperunt. Xyniae simili metu a cultoribus desertae sunt.* Hic vero nullus similis metus praecessit, quippe non metu dedito, sed vi capto priore oppido. Nec ea etiam res aut vis metum incussisse videtur illis, qui Gomphos tuebantur, quum aliquot dies summa vi restiterint, nec, nisi erectis iam ad moenia scalis, sese dediderint. Quid plura? Legendum puto: *eo demum metu* h. e. metu erectarum iam ad moenia scalarum, seu quem fecerunt denique erectae iam scalae, ante quas erectas nulla alia res tantum illis metum incutere potuerat, vt deditiōnem facerent. Medii vocabuli duae posteriores litterae in membranis plerumque omitti, et transuersa tantum virgula superius ducta notari solent, quae oscitantiam librarii facile potuit fugisse.

Sic ergo intelligendum etiam illud est, quod Ammianus dicit Fabio negotii pleniorē effectum, a superiore Allobrogum gente deuicta, *hoc indidisse cognomentum*, deuictae scil. Allobrogum gentis, qua re negotium illud plenius erat effectum: cognomentum ab Allobrogum gente petitum, ortum et formatum, eamque ab illo deuictam significans, id quod illi fuit *Allobrogicus*. Graecis id dicitur ὄνομα ἐπώνυμον. Et ita idem Amm. lib. XXIV. *Eusebius pietatis cognomento, concitatus Orator.* non quod is ipsum illud cognomen habuerit, *Pietas*, vt C. Antonius Marci Frater, sed quod nomen ipsius, *Eusebius*, a pietate, vel pietatis Graeco vocabulo, εὐσεβεία, erat inclinatum. Plane vt de Antonino Pio, a quo omnes deinceps Imp. Augusti *Pii* cognomen titulis suis habuere adiectum, Imp. Iustinianus Nouella 78. *Αντωνίνος ὁ τῆς εὐσεβείας*

βίας ἐπιώνυμος, ἐξ ἧπερ καὶ εἰς ἡμᾶς τὰ τῆς προσηγορίας κατέβηκε. Antoninus Pietatis cognomento praeditus, vel a pietate cognominatus; a quo etiam ad nos isthaec appellatio deuenit. Plinius Nat. Hist. II. 63. Cui (terrae) cognomen indidimus maternae venerationis h. e. maternam venerationem praeferens, dum appellatur communis omnium mater. Aufonius in XII. Caesaribus: Caesar cognomen caligae cui castra dedere. Et castrensis caligae cognomine Caesar h. e. quod a caliga formatum est, Caligula. Val. Max. III. 8. Mores Phocionis, quos optime profecto consensus omnium bonitatis cognomine decorandos censuit. Atqui Phocion non ipsum hoc Bonitatis cognomen habuit, sed quod bonitatem eius ingenii declarabat, dictus vulgo Χρησός, Bonus.

Haec talia si obseruassent et recte etiam percipissent, Viri Clarissimi, qui Valerium edidere, non ita temere duobus eum locis, vbi Sullae Felicitatis cognomen tribuitur, corrupissent, Felicis reponendo, quod nunc in omnibus omnino post Pighium vulgatis Editionibus obtinet, sicut alterum illud in antiquioribus et Manuscriptis plerisque. Vide me, si tanti ista, ad VI. 4. 4. vbi plura adferam, de quibus tamen vnum praetermittere hic nequeo, quod idem Valerius VI. 9. 12. *Quid? Crasso nomine pecuniae magnitudo Locupletis nomen dedit.* Non ita hoc intelligendum tanquam si vulgo propria quadam ἐπικλήσει Crassus Locuples fuerit dictus, sed alio cognomine, quod eum locupletem declarabat, quippe eiusdem cuius illud significationis: nempe *Diues*. Vnde et ibidem statim de eodem Crasso decoctore postea, et inope: *Itaque amara suggillatione non caruit, quia cum egens ambularet, Diues ab occurrentibus salutabatur.* Scholiastes Persii ad Sat. 2. *Licinius Crassus inter Romanos locupletissimus,*

mus, ideo Diues cognominatus. Sensem ergo respexit Valerius, non ipsum *locupletis* vocabulum, quum hoc ei nomen datum dixit, plane sicuti Amianus *Hoc cognomentum* dicens, quum non praecesserit ipsum illud cognomenti vocabulum, sed eius sententia in verbis *Allobrogum gente deuicta, quae res designabatur cognomine Allobrogico.*

Praeterea *cognomen* et *cognomentum* in scriptis veterum significat praecipue non illud familiae nomen a maioribus acceptum, vt Maximus, Metellus, Sulla, Crassus, etc. sed ἐπικλησιον alicuius rei, ad designandum et describendum hominem ab eius ingenio, fortuna, habitu corporis, rebus gestis, aliisue causis petitam, immo saepe vulgare ἐπίθετον, vel etiam laudis aut honoris alicuius titulum. Sic certe Seneca Epist. 108. *Hoc Senectuti cognomen imposuit (Virgilius) Tristem illam vocat.* Vbi videmus, quum Virgilius scripserat, *subeunt morbi, tristisque senectus*, in his verbis *Tristis* dici a Seneca *cognomen* senectutis. Sosp. Charilius p. 1360. *Hispaniensis cognomen eorum, qui prouinciam Hispaniam incolunt, etsi non sunt Hispani.* Tacit. Ann. XI. 25. *Patrem Senatus appellandum esse Claudium, quippe promiscuum Patris patriae cognomentum.* Sueton. Calig. 22. *Compluribus cognominibus assumptis. Nam et Pius, et Castrorum Filius, et Pater Exercituum, et Opt. Max. Caesar vocabatur.* Sic Q. Labienum a Parthis cum exercitu contra Romanos missum, se *Imperatorem*, et quidem *Parthicum* cognominasse obseruat Dio lib. XLVIII. Vnde et in nummis inuenias Q. LABIENVS. PARTHICVS. IMP. Neque tamen existimandum est, his significari certum aliquod et verum illius cognomen, sicuti fuit *Africanus* et *Asiaticus* Scipionum, *Allobrogicus* Fabii, *Creticus* Metelli

Metelli etc. vt sentire videntur Viri Doctissimi, qui ei simpliciter *Parthici* cognomentum simili prorsus modo tribuunt; sed, vt C. Caligula se nonnunquam *Castrorum filium* etc. cognominavit, sic illum se scripsisse *Parthicum Imperatorem*, eumque titulum suis nominibus frequenter adiecisse, vt esset ferme *quasi cognomen*, quomodo Cic. in Laelio c. 2. de Catone loquitur: *Propterea quasi cognomen iam habebat in senectute Sapientis*. Non erat hoc verum Catonis cognomen, sed tam crebro inter ciues isto Epithero ornabatur, vt pene locum obtineret cognominis. Et idcirco Quintilianus, quoque Instit. Orat. XII. 7. eum *appellatum esse Sapientem* dicit. Ceterum inter quatuor illa Romanorum nominum genera, *cognominis*, et *cognomenti* vocabula vt plurimum fuerunt a veteribus vsurpata de eo, quod Grammatici postea *Agnumen*, vocem veteribus isto sensu incognitam, dixerunt, quodque, vt modo significavi, ἐπίκλησις erat alicuius rei, a variis accepta causis, rarius autem de tertii generis nomine, quod familiae erat commune, et haereditate a maioribus acceptum, nec ferme, nisi quum simul mentio fieret praenominis et nominis gentilitii, vt ab illis proprio quodam vocabulo posset distingui. Atque hinc, vt alia praetermittam, quae adferri possent, haud facile inuenies *P. Cornelius cognomine Scipio*, vel *Lentulus*, *Q. Fabius cogn. Maximus*, *Q. Aelius, cogn. Tubero* et similia; de iis loquor, qui a maioribus ea habuere, non quibus ipsis illa adhuc noua et vera tunc cognomina fuerunt imposita. Saepiuscule autem talia, *P. Crassus cognomine Diues*. Cic. de Offic. II. *C. Licinius cognomine Hoplomachus*. Val. Max. VIII. 6. 1. *P. Corn. Scipio, cui cognomen Serapioni fuit*. Liu. Epit. 55. *Cn. Lentulus, cui*

cognomentum Clodiano fuit. Sallust. Hist. IV. Aelius Hadrianus cognomento Afer. Spart. Hadr. I. Et ita Sueton. de C. Iulio Caesare Octaviano Augusto cap. 31. Sextilem mensem e suo cognomine nuncupavit. Mensis nuncupatus est non Caesar, sed Augustus, adeoque hic ex omnibus illius nominibus cognomen proprie et κατ' ἐξοχὴν habetur et dicitur ultimum, seu illud, quod ei ipsi a Senatu impositum fuit. Pomponius §. 38. de Or. Iuris de P. Sempronio Icto: quem Populus R. Σοφὸν appellavit, neque quisquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatus est. Atqui post eum etiam posteri ipsius appellati sunt itidem Sophi. Verum tamen dicit Pomponius, neque reprehendi hoc nomine debuerat a Mureto. Nam filiis Sophi istius et nepotibus non fuit illud proprie cognomen ut ipsi, sed haereditarium iam familiae nomen. Sic enim Macrob. Saturn. l. 6. Hoc cognomentum (Praetextati) postea familiae nostrae in nomen haesit. Nec aliter dicti Scipiones, nisi quod Cornelius, Scipio cognominatus, nomen ex cognomine posteris dedit Scipio Cornelio isti, qui primus ita est appellatus, quod patri suo senectute debili pro scipione esset, cognomen illud fuit, posteris eius nomen. Desinit enim proprie esse cognomen istiusmodi vocabulum, quando iam ad posteros transit, licet, quia origine sua verum fuit cognomen, eam appellationem apud Scriptores aliquando retineat. Sic ergo et de P. Sempr. Sopho, quia nemini ante vel post eum id cognomen per causam sapientiae suae fuit a populo impositum, recte Pomponius dixit, neminem etiam post illum hoc nomine cognominatum. Nam posteri illius eo nomine per ipsum vel ipsius causa sunt appellati, non suo merito cognominati.

Haec

Haec paulo prolixius occasione Fabiani *cognomenti*, quod proprie loquendo erat non *Maximus*, sed *Allobrogicus* disputauimus, non temere adeo, nec sine causa, sed vt simul per haec Consulem illum, de quo agebamus, Aeliae gentis, qui tam praeclaro continentiae exemplo, tamque alto animo Regum opes aequante, munera Aetolorum spreuit, ex Historia Romana certius erueremus, eumque primarium fuisse Iuris Ciuilis Doctorem; non vanis omnino coniecturis ostenderemus. Etenim vix dubito Valerium intellexisse eum, qui cognomen *Cati* scientiae suae ac sapientiae merito a populo tulit, et primus, immo forte in libera Rep. solus Aeliae gentis eo appellatus et celebratus apud veteres occurrit: quoniam post cetera eius propria nomina, et ipsum familiae nomen, illud hoc modo ceteris adiecit, *cognomine Catus*, id quod certo mihi indicio est, ex Valerii sententia non habuisse id illum a maioribus suis sed nouum a populo verumque cognomen. Is autem, qui ita a populo est cognominatus, Consul fuit, et Consul illo tempore, quo Aetoli Romanis arctissima societate erant coniuncti, immo quo Romani pro Aetolis, et vna cum Aetolis, contra Philippum Macedonem bellum gesserunt, ad quod ipsum bellum alter istius anni Consulum mittendus erat, sicuti missus est Cati collega T. Quinctius Flamininus. Vt adeo omnia a Valerio tradita in eum optime conueniant, et nihil certe mirum sit, Aetolos ad illum gratulandi honoris causa misisse legatos, atque eius gratiam illo in honore et illo suo tempore, demereri missis muneribus studuisse, ingenium Viri ignorantes. Fuit autem ille *Sex. Aelius Paetus Catus*, vt vocatur in Fastis Capitolinis A. V. C. 555. qui apud Ennium

Egrege cordatus homo Catus Aelius Sextus;

supra

E 5

qui

qui *iuris ciuilis omnium peritissimus* Ciceroni in Bruto c. 20. qui librum Actionum composuit Populo Romano, appellatum vulgo *ius Aelianum*, teste Pomponio §. 7. de Orig. Iuris. Cuius denique auctoritate, *quid in penu esse* existimandum sit docuit Ser. Sulpicius in reprehensis Q. Scaeuolae capitibus. Nam eius nomen apud Gell. IV. 1. reponendum censeo, legendumque *Sex. Aelio*, pro *Seio Aelio*, vt nunc vulgo, vel *Saco Aelio*, vt olim edebatur. Error itaque Valerii Max. in eo consistit, quod Consulem hunc Aeliae gentis, cognomine Catum, et hoc solo cognomine plerumque designatum, perperam *Q. Tuberonem* vocauit, quum *Sex. Paetum* debuisset, deceptus haud dubie eo, quod meminerat a simili continentia ac luxuriae odio laudari in eadem Aelia gente duos *QQ. Tubrones*, quorum alterum, Stoicum illum ipse l. VII. c. 5. refert in publico epulo lectulos pellibus hoedinis strauisse, et pro argenteis vasis, itidem vt Catus in sua priuata, sed Consulis tamen mensa, Samia posuisse, atque ea re ita offendisse populum, vt propterea Comitibus Praetoriis candidatus repulsam pateretur: alterum huius patrem L. Pauli generum hoc ipso libro cap. seq. tradit nihil prorsus argenti in supellectile habuisse, antequam quinque pondo ex praeda Macedonica a socero suo donata accepisset. Et hanc originem recte Valeriano errori assignari declarat manifesto Plinius, qui quod Consularis modestiae exemplum Valerius memoriae suae nimis confusus *Q. Tuberoni* cuidam generalius tribuerat, specialius ac diserte L. Pauli genero, quamuis sub *Aelii Cati* nominibus, adscribit, addens de suo ad illud, quod ex Valerio exscripserat, de eodem Cato: id quod modo de *Q. Tuberone* L. Pauli genero retuli, atque

atque ita propter similem in utroque animi a luxuria abhorrentis modestiam, duorum nomina, honores, affinitates, resque omnes miscuit, et in vnum contulit. Et similiter alibi L. Metellum *Delmaticum* Triumphalem virum, L. Calui filium, Q. Macedonico filium pro L. Diademato Secundo illius filio dedit, et idcirco Macedonicum insuper a duobus triumphalibus filiis elatum prodidit, multisque eruditis superioris seculi viris persuasit. Cui geminum germanum est, licet paulo etiam grauius, quippe quod temporis et aetatis cuiusque habita ratione per se statim concidit Flori peccatum, eidem Macedonico *Creticum* tribuentis filium lib. III. c. 8. atque ita vt Balearicum de quo ibidem agit, et eodem loquitur modo, illi post ponat, quamuis filiorum Macedonici Balearicus fuerit natu maximus, Creticus vero illius non filius, sed nepos.

Verum de iis, quae ad Metellorum familiam pertinent, omnium inter plebeias nobilissimam, sed tamen satis adhuc intricatam et impeditam, explicatius alias et fusius agemus. Neque etiam de Floro plura adferre nunc lubet, quandoquidem eius in huiuscemodi rebus oscitantiam passim agnoscunt Interpretes, et multis nuper arguit Vir eruditissimus meique studiosissimus Ioh. Georg. Graeuus, in praeclara illa praefatione, quam editioni suae praemisit. Vnum tamen, quod nunc succurrit, et de quo nihil in illis Interpretum commentariis, qui talia maxime coniectantur reperio, commemorandum fuit visum. De Q. Sertorio agens III. 22. dicit: *Quamquam ille non contentus Hispania, ad Mithridatem quoque Ponticosque respexit, Regemque classe iuuit.* Mirabar equidem olim, vnde Sertorio in Hispania tanta classis, vt

ex

ex ea auxilium submittere posset Mithridati in Pontum, tum qua causa a Sertorio classe iuuari voluerit Rex Potentissimus, et hac quoque parte instructissimus, etiam antequam ad Sertorium legatos suos mitteret. Cic. pro L. Manil. c. 4. *Mithridates omne tempus non ad obliuionem veteris belli, sed ad comparationem noui contulit, qui posteaquam maximas aedificasset ornassetque classes, exercitusque permagnos comparasset etc. vsque in Hispaniam legatos Ecbatanis misit ad eos Duces, quibuscum tum bellum gerebamus*, h. e. ad Sertorium qui in seqq. nominatur. Sed postea ex Plutarcho didici, longe alia et contraria plane conditione foedus inter Sertorium et Mithridatem fuisse initum; nempe, vt ille Mithridati mitteret ducem et milites aliquot e suis, a Mithridate contra iuaretur ipse classe et pecunia. Et classe quidem XL nauium quibus haud dubie infestare destinabat Italiam, et inimicos eam obtinentes. Confirmatur hoc a Cicer. in ead. orat. cap. 8. vbi ait, *ab eodem Imperatore (L. Lucullo) classem magnam et ornata, quae ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur (ex regno Mithridatis) superatam esse atque depressam*. Patet ex his non Regem classe adiutum a Sertorio, quod perperam adfirmat Florus, neque id in foedere inter eos icto pactum esse, vt Sertorius Regi, sed vt Rex Sertorio mitteret classem.

De Iustino quid dicemus, quem plerique tam fideliter Trogum expressisse putant, vt etiam verba eius retinuerit? Nescio quam vere. Sed fuerit sane stylum eius, diligenter huic praecipue, in Trogo suo frequenter legendo, attendens, feliciter imitatus, non aliter tamen, quam nunc multi ad antiquorum *φράσον*, suam satis scite et

com-

commode conformant. Historias certe Regum et populorum, dum in Epitomen contrahit, quae Trogus vberius et distinctius variis locis per partes commemorauerat, saepius tamen ille confudisse deprehenditur, immo manifeste nonnunquam ab ipso Trogo, incogitantia quadam, et memoriae lapsu recessisse. Exemplo sit, vt alia nunc mittam, quod lib. XXVII. c. 3. tradit Seleuco Callinico et Antiocho Hierace, fratribus et Syriae Regibus, inter se belligerantibus, victoque Seleuco ab Antiocho ope Gallorum, *Regem Bithyniae Eumenem*, et dein iterum *Birbynum Eumenem* aggressum fuisse subito Gallos et Antiochum victorem, atque illos ex superiore pugna debilitatos ab ipso integro viribus facile superatos. In quo grauissime errat, nec vlla potest iuuari emendatione. Etenim inter Bithyniae Reges nullus isto fuit nomine. Nec veteris ac vulgatae vtroque in loco scripturae ratio, nec historiae fides patitur, nedum vt exigat, quod affirmabat Schefferus, pro *Eumene* reponi *Nicomedem*. Nec enim is cum Gallis vnquam bellauit, sed contra, ipso adiuuante, Galli in Asiam primum venerunt, arctissimamque cum eo societatem atque amicitiam inierunt, et perpetuo deinceps seruauerunt. Praeterea aequalis ille fuit, non, memoratis modo fratribus, sed eorum avo Antiocho Soteri, cum quo bellum gessit, et decessit etiam ante Antigonom Gonatam, quem liberis suis ex secunda vxore natis testamento tutorem dedit, vt ex Memnone constat. Isto autem tempore, in quo nunc versatur Iustinus, Bithyniae Rex fuit Zielas Nicomedis F. vt non solum ex temporis ratione liquer, sed et ex Prologis librorum Trogi. Nam et in iis, hocce libro, et hoc ipso plane tempore ante

interi-

interitum duorum fratrum Seleuci et Antiochi, et statim post victoriam huius de illo, ope et opera Gallorum reportatam, legitur: *Vtque Galli Pergamo victi ab Attalozia Lambitunum occiderint.* Sed reponendum, reiectis aliorum coniecturis, *ab Attalo Zielam Bithunum occid.* vt monuit Valefius ad Polybium. Tunc ergo Zielas, qui post Nicomedem patrem praefuit Bithyniae, et successorẽ sibi filium Prufiam reliquit, necatus iam fuit, idque Trogus hoc libro exposuit, atque idcirco nullus hic amplius Nicomedi Zielae patri locus, qui est ille ipse *Bitbyniae Rex*, a quo Iustinus iam superius XXV. 2. Gallos in auxilium inuocatos tradit. Sed et Gallos, vt ex istis Prologi verbis apparet, Trogus hoc libro non a *Bitbyniae Rege*, quem ipsi occiderunt, neque ab *Eumene* quopiam victos scripsit, sed ab *Attalo Pergami Dynasta*, qui post hanc victoriam Regium nomen primus suae familiae sibi adsciuit. Liuius XXXVIII. 10. postquam exposuiffet, vt Galli adiuuante Nicomede in Asiam transierint, eamque postea totam cis Taurum, immo et Syriae tandem Reges sibi vestigales fecerint, subiicit: *PRIMVS Asiam incolentium abnuic (stipendium) Attalus, audacique incepto praeter omnium opinionem adfuit fortuna, et signis collatis superior fuit.* Nempe vsus videtur occasione, quum illi, quamuis victores, continuis tamen et proximis bellis imminutas aliquantum haberent vires. Plurifariam itaque peccat hoc loco Iustinus, et in ipsius Trogi, vt ex illius Prologis patet, incurrit historiam, homines ac regna mirifice confundendo, dum pro *Attalo*, quem Trogus memorauerat, *Eumene*m decessorem illius nominat, deinde *Bitbyniae Regem et Bithynum* dicit, quum Pergami Dynastam dicere debuiffet, neque

neque quisquam Bithyniae Rex *Eumenes*, neque *Eumenes* iste Pergamenus Rex fuerit. Atque hac de causa nullus dubito, etiam ipsius, non librarii culpa accidisse, tum quod lib. XXXIII. c. 1. legimus, *Eumeni Regi Bithyniae* denunciatum a Romanis, ut bellum contra Persen summis viribus iuaret, licet is fuerit *Eumenes* quidem, sed non *Bithyniae*, verum Pergami Rex, superioris Attali Filius, socius et amicus Romanorum praecipuus: tum quod lib. XXXVI. c. 4. Attalus horum Regum vltimus, qui Populum R. heredem reliquit, regnum accepisse dicitur *ab Eumene patruo*, qui Attalus patrem habuit *Eumenem*, non *patruum*, regnum tamen accepit a patruo, non autem *Eumene*, sed Attalo Attali F. *Eumenis* fratre, qui ut ipse fratri in regno successit, sic ipse mortuus tunc fratris filium successorem habuit. Quidam hic legunt *ab Eumene patre*, non modo contra fidem codd. sed et Historiarum; nam non a patre, ut dixi, sed patruo regnum accepit postremus Attalorum. Freinshemius ergo deleto *Eumenis* nomine, scribendum tantummodo censet *a patruo*. At ego contra Manuscriptorum auctoritatem nihil mutandum puto et Iustinum potius ipsum confudisse patrem et patruum huius Attali, qui ambo ante eum sed alter post alterum Pergamenum hoc regnum tenuerant.

Nam et idem initio modo memorati libri XXXIII. turpiter item errauit, quum de bello Macedonico contra Persen gesto ait: *Itaque Romani et legiones plures numero conscripserunt, et auxilia a Masinissa etc. acciuerunt.* Nemo opinor haec legens, aliter ea accipiet, vel accipere poterit, ad sola Iustini verba, eorumque in lingua Latina significationem attendens, quam, cum antea ex gr. duae

tantum

tantum legiones ad bella conscribi solerent, ad Macedonicum hoc bellum plures, quatuor nim. vel quinque fuisse conscriptas. Verum ita si sensit Iustinus, vt sane videtur, foeda profecto lapsus est oscitantia, et quod de numero militum aucto in quaque legione ad id bellum conscripta legerat, male ad ipsarum legionum numerum transtulit. Etenim primo huius belli anno, quum vt solet, quatuor scriberentur legiones, binae singulis Consulibus, id *praecipue* huic bello et Prouinciae, mittendoque in eam Consuli datum, vt quum in alias legiones 5200 pedites *ex vetere instituto*, in has Macedonicas sena millia peditum atque ita plures numero milites in huius belli legionibus, non plures numero legiones ad hoc bellum scriberentur. Vide Liu. XLII. 31. Paulo post, vt tria ex vno capite adferam Iustini *σφάλματα*, Romanorum Consulem, quem primum, certe ante L. Paulum, ad hoc bellum scribit missum, et Regi Persae licet victori equestri proelio, non minus graues tamen pacis leges, quam si victus fuisset, dixisse, *Consulem Sulpicium* vocat; insigni et illud errore. Nam is quem primum contra Persam miserunt Romani, quemque is equestri proelio vicit, omnium consensu fuit P. Licinius Crassus, nec etiam vllus toto hoc bello *Consul Sulpicius* occurrit. Haesitat igitur doctiss. Bongarsius, et eo tandem decurrit, vt *Sulpicii* nomen, tanquam insititium suspicetur delendum. Sed haud dubie non librarii fuit hoc peccatum, sed ipsius Iustini, qui duo Macedonica bella, alterum cum Philippo, alterum cum filio eius Persa gestum, confudisse videtur, Consulemque P. Sulpicium Galbam, qui prius inchoauit, fallente memoria in posterioris initium contulisse, praesertim quum apud ipsum Trogum ab isto Con-
sule

sule et imperatore superius Macedonicum bellum coeptum, lib. XXX. (V. Prologum) legisset. Mihi certe multo verifimilius est, isto, quo dixi, modo, animo scilicet varietate ac multitudine rerum a Trogo per omnes populos se diffundente relatarum distracto, adeo ut non pauca hic illic praetermiserit in hanc Epitomen non redacta, alia, quae Trogus in duos homines, ut oportebat, distinxerat, in vnum confuderit, errasse potius ipsum Auctorem, et ita hoc loco et hoc in bello incidisse in *Sulpicii* mentionem, quam, quod volebat Bongarsius, scribarum oscitantia ex ora libri nomen illud huc irrepisse, quum a studioso fuisset notatum ad illa, quae mox traduntur, *Luna nocte defecit*. Nam in seqq. utique nihil prorsus a Iustino de Sulpicio quodam, aut vlla re a Sulpicio gesta traditur. Quam ergo causam habuisset studiosus lector apponendi in margine istius nominis? C. Sulpicius Gallus, quem intelligit Bongarsius, Tribunus militum, quum esset in exercitu L. Pauli, et Lunam proxima nocte defecturam sciret, militibus in concionem vocatis id ea nocte futurum, et naturali ordine fieri, ideoque in prodigium trahi non debere praedixit, atque ita ne ista Eclipsi, tanquam diro quodam omine Romani animis conciderent, sua sapientia prouidit. Quid de ea re Iustinus? Nihil omnino. Tantum, Lunam pridie quam proelium conferreretur, defecisse, eoque omnibus visum finem Macedonico regno portendi. Quamobrem ego istam Sulpicianae mentionis in textum illatae ex Bongarsii sententia causam et originem longe nimis petitam semper sum arbitratus, licet haud ignorauerim, egregia hac Galli in disciplinis mathematicis scientia exercitum Rom. opportunissimo tempore, sollicitudine et

metu ex isto syderis defectu haud dubie orituro fuisse tunc liberatum. Meminerunt eius rei praeter Ciceronem de Senect. etiam Liuius XLIV. 37. Valer. Max. VIII. 11. Plinius Nat. Hist. II. 12. Quintil. Inst. Orat. I. 17. et Plutarch. in Paulo. Quo magis miror, id adeo ignorasse Viros Doctissimos vt ex eo, quantum in se fuit, corruptum iuerint inepta sane coniectura Frontinum Strateg. I. 12. 8. vbi et ipse idem illud memorat. *L. Sulpicius Gallus defectum Lunae imminentem, ne pro ostento exciperent milites, praedixit futurum, additis rationibus causisque defectionis.* Neminem inter eruditos credidissem fore, qui non videret legendum *C. Sulp. Gallus*, deque isto, quem modo dixi, homine, bello, facto interpretandum, nisi animaduertissem Clariss. Scriuerium voluisse probante Keuchenio *C. Sulpicius in Gallis*, quia scil. infra II. 4. 5. auctor meminit *C. Sulpicii Peticii* Consulis contra Gallos dimicantis. At vero is, non tamen *in Gallis*, sed in ipso Latio contra Gallos, qui circa Pedum confederant, pugnavit, Liu. VII. 12. Sed indigna prorsus refutatione est isthaec coniectura, quum nihil de Lunae deliquio, quod tunc acciderit aut a Peticio isto fuerit praedictum, vsquam apud Veteres reperiatur, alterum a Gallo praedictum omnes praedicent. Et quoniam ad Frontini deuenimus mentionem, ipsum quoque ad partes vocare libet, praesertim quum hoc ipso posteriore in loco *C. Sulp. Peticum Consulem* contra Gallos dimicasse, eosque mulionibus specie aduentantis noui auxilii, media in pugna ostentandis decepisse dicat. Falso illud. Nam dictator tunc fuit, vt ex Liuiio, Appiano, Orosio, Eutropio, et ipsis Fastis Triumphalibus scimus. Sed et quo nomine nuper in Dissert. de *L. Voconia Senecam*

Senecam Philosophum accusaui, quod Scipionis filias (intelligens, vt videtur, Africanum) quia nihil illis pater reliquerat, post mortem patris, dotem ex aerario a Senatu accepisse tradidisset, eiusdem pene culpae affinem hunc quoque post illa deprehendi, nisi quod recte *Cn. Scipionem* vocet. *Cn. Scipio* (inquit IV. 3. 4.) *post res prospere gestas in Hispania, in summa paupertate decessit, ne ea quidem relicta pecunia, quae sufficeret in dotem filiarum, quas ob inopiam publice dotauit Senatus.* Vides ita eum loqui, quasi Scipio, post res prospere gestas in Hispania, domi in tanta paupertate diem obierit, vt ne quidem reliquerit pecuniam, vnde honeste dotari possent eius filiae, quapropter tunc, post illius obitum, Senatus eis dotem ex aerario dederit. At vero periit ille in Hispania, vna cum fratre P. Scipione Africani patre, in medio rerum prosperrimarum cursu: et antequam periret, quum fortissime et felicissime adhuc Remp. contra Poenos hostes administraret, Senatus filiae illius ex aerario dotem, et ipsam nuprum dedit, ne pater ad eam rem ex prouincia domum reuerti cogeretur, et ita Resp. bono duce in tempore maxime necessario careret. Grauius, quippe in re clarissima, impegit IV. 2. 1. vbi disciplinae effectum traditurus, ac de Bruti et Cassii contra Triumuiros tendentium exercitibus agens, Brutianos priores quidem ad fluuium, in quo pontem fieri oportebat, venisse, a Cassianis tamen et in ponte et in transitu maturando praeventos ait, eumque disciplinae vigorem effecisse, *ne solum* (delendum enim putem τὸ non, quod sententia loci, et mens Frontini penitus inspecta respuere viderur, diuidendumque τὸ ne in vt non, eodem modo, quo saepius alibi *nec et neque*) *in*

operibus, verum etiam in summa belli praestarent Cassiani Brutianis. Quid? in summa ergo belli h. e. in decretoriis proeliis, in quibus de totius belli victoria decernebatur, Cassiani meliore successu et fortuna rem gesserunt, quam Brutiani? Fefellit te, Frontine, memoria, fefellit. Nam cornu cui Brutus praerat, impulsis hostibus, castra Caesaris cepit, id autem in quo Cassius fuerat, fugatum ac male multatum in altiora se receperat loca: ut ait Velleius II. 70. Cui adstipulantur Plutarchus, Appianus, Dio, Florus, denique omnes, victorem Brutum, et oppositos sibi hostes, castris exuentem, victum Cassium et castris exutum vno ore praedicantes, ut mirum sit in re tam celebri et omnibus nota lapsum hunc Auctorem. Et nulla tamen interpretatione aut mutatione verborum hanc notam effugere potest.

Quo minus admitto coniecturas Phil. Rubenii, summo id studio agentis Elect. II. 29. ut aliud Frontini *παρόραμα*, duos Hannibales confundentis, ex ipso quo iure quaque iniuria, tollat, quamvis eo nomine laudatorem inter illius scriptoris interpretes iam inuenerit. Res ita se habet. Postquam exposuerat Auctor III. 10. Hannibalis qui in Sicilia bellum gessit, callidum sane strategema, quo Himeram ceperit, subiicit: *Idem ut Saguntinos eliceret, rara acie ad muros accedens, ad primam eruptionem oppidanorum simulata fuga cessit interpositoque exercitu ab oppido, interclusos hostes a suis, in medio trucidauit.* Hic Rubenius diuersos esse, qui Himeram et qui Saguntum obsederunt, quum sciret, certum existimabat, librariorum flagitio haec deprauata, legendumque magna sane mutatione vel, *ut Segestanos eliceret*, quia Segestani itidem, ut Himeraei, in Sicilia: vel, *Item Hannibal,*

nibal, ut *Saguntinos eliceret*, ut ita alterum Hannibalem, qui oppugnanda Sagunto secundum bellum Punicum coepit, a Frontino intelligi, et a priore Hannibale distingui declararetur. At ego hanc quae in antiqua et vulgata haeret lectione, *ἐκ τῆς ὀρθῆς* librariis imputare non possum, verum ipsi imputo Auctori, qui duo haec diuersorum Ducum, sed quibus vna erat patria et vnum nomen, strategemata e priscis monumentis, non adscripto, quo res gestae, anno collecta, non vni solum nomini, sed etiam homini et quidem, ut arbitror, posteriori ac celebriori Hannibali attribuit.

Idque tanto mihi credibilius, quod et alium Frontino antiquiorem, Valerium Maximum, eandem plane culpam, et, quod magis est, in suae ciuitatis hominibus nobilissimis admisisse scio. Pighius tamen eodem modo et suo sibi more illius quoque verba audacissima crisi vexat; scilicet ne is Auctor, quem sua cura dignum duxerat, aliquod humani lapsus documentum dedisse alicubi videretur. Sed profecto nimis manifesta erroris sui indicia reliquit Valerius. De *Q. Fabio Maximo quinquies Consule*, vltimae iam senectutis viro retulerat, II. 2. 4. quomodo inuitatus a filio Consule, ut inter se et proximum lictorem incederet, ne turba hominum elideretur, facere id noluerit, quia mori maiorum res ea repugnaret. De *Ruliano et Gurgite eius filio* haec intelligenda certum est; Verum subiungit his aliud tanquam eiusdem exemplum, quod tamen omnes *Verrucosso seu Cunctatori Fabio*, eiusque filio tribuendum scimus. Nempe et eum Legatum a Senatu *Suessam* ad filium item Consulem fuisse missum, atque hoc obuiam illi cum lictoribus progrediente,

quum nemo illorum patrem de equo descendere, ut oportebat, quippe Consuli, ut filio, occurrentem, iussisset, sedere quidem in equo persecuisse, sed ut experiretur, an filius sciret Consulem, uti dignum erat Populi R. maiestate, agere, denique iussu filii a proximo lictore patrem ut Consuli debitum honorem haberet admonitum, eumque huic voci continuo obtemperasse, et laeto ac lubenti animo de equo descendisse. Valerius, quoniam uterque Q. Fabius Maximus, quibus ille nominibus solis utitur, appellabatur, uterque quinquies fuit Consul, et filium Consulem vidit, et legatus filio fuit, utrumque factum vni adscribit, dicendo, quum ad posterius transfiret, *idem a Senatu legatus ad filium* etc. foedissimo lapsu, ut censet etiam Sigonius ad Fastos an. 461. At Pighius, neutiquam illi auscultans, multis, conqueritur de temeritate et imperitia librariorum, qui duo exempla perperam in vnum compegerint, restituendumque opinatur: *idem praestitit ille Fabius, qui a Senatu legatus* etc. ut ita posterius exemplum ad alium a superiore Fabium, et quem oportebat, Verrucosium referri possit. Sed quis non videt, quam inepta et aliena ab hoc loco sit isthaec lacinia? Neque enim *idem praestitit* posterior Fabius, quod prior, neque vlla in superioribus exstat sententia, nullum verbum, unde commode satis sustentari queat *τὸ idem* in ista lectione. Et quid tandem in ipsis Fabiorum factis idem aut simile est? Alter a filio rogatus, ut inter se Consulem et proximum lictorem ambularet, facere id noluit; Alter equo insidens, non ante descendit, quam a filii lictore iuberetur. Hic experiri voluit, an filius ipse sciret Consulem agere, et ab eo admonitus est, summum Populi R. imperium etiam

in

in filio venerari. Ille Consulis maiestatem, et morem maiorum per se in filio reueritus est, ac seruauit, quamuis ab ipso filio, vt ea negligeret, rogaretur. Confarcinauit hanc laciniam Pighius ex duobus codicibus, quorum alter glossemate inquinatus ingessit illi, *idem praestitit Fabius a Senatu legatus*. Alter, *idem qui a Senatu legatus*. Voluit haud dubie is codex *idemque a Senatu legatus*. Haec vero ille coniunxit, et dedit, quod modo exhibuimus, repugnantibus licet ceteris et ipsius (nam multo plures habuit, et multo melioris notae) et meis omnibus. Neque vero satis id fuit, sed et mox, vbi Valerius ad alia pergat, atque etiam ibi de vno se Fabio et sensisse et locutum ostendit, dicendo: *Relatis Fabii laudibus, offerunt se mirificae constantiae viri etc.* Pighius noster destitutus iam etiam ab illis codicibus, quos modo in adiutorium suae sententiae aduocauerat, reposuit tamen, *Relatis Fabiorum laudibus*. Tantum sibi sumisit et licere voluit, vt Valerium suum omni erroris crimine liberaret, non secus ac si nefas esset opinari, diligentiam illius et memoriam vsquam defecisse, aut is sine vlla controuersia semper et vbique in rei gestae, quam referebat, tempus et Auctorem curiose et quo quidem oportebat studio, inquisiuerit. At vero quam supine nonnunquam ea neglexerit, quum non historiam serie chronologica, ordinandam conderet, sed tantum ipsa facta ac dicta, quae memoratu digna censebat, prout ex aliis Auctoribus excerpserat, sine vlla saepe temporum et hominum, de quibus loquebatur inuestigatione in suas classes locosque describeret, multis facile exemplis cognoscet attentus lector. Reperiet longe antiquiores dici ab eo, imitatos facta eorum,

qui aetate fuerunt posteriores, clarissimis maxime viris tribui, quae ab aliis sunt facta, praesertim si eiusdem sint nominis, immo ex eodem homine effici et constitui duos diuersos.

Etenim vt modo duorum Fabiorum res gestas vni eum adsignasse contra Pighium probauimus, ita contraria plane culpa vnus philosophi facta, in duos eiusdem nominis diuisit lib. III. cap. 3. Nam quum retulisset, quam patientiam Eleates Zeno praestitisset, equuleo a Phalaride tyranno impositus, exponit porro, quomodo *eiusdem nominis philosophus*, vt ait, cum a Nearcho tyranno torqueretur, vltionis cupiditate mentitus, esse, quae tyrannum secreto audire oporteret, auri auscultantis morsu corripuerit, et abstulerit. Hic vero non alius fuit, eiusdem tantum nominis philosophus, sed idem ille Eleates, immo in ipsa patria vrbe Elea posterius hoc perpetravit, vt docet Diog. Laert. et Cicero de Nat. D. III. 33. Nempe credibile est, legisse hoc alicubi Valerium, non addita patriae Zenonis, nec loci vbi res contigerit, mentione, eoque factum, vt putaret, vel saltem haesitaret et suspicaretur, quum octo minimum fuerint Zenones, diuersum esse huius facinoris Auctorem ab Eleate, neque tamen, quis ex omnibus esset, inuestigare voluerit. Sed profecto, qui in rebus antiquioribus memoriae proidentis versantur, oportet vel abiicere taedium hoc, singula diligenter explorandi, vel haud facile quippiam eorum, quae incerta sibi et inexplorata sunt, ex opinione tantum vel coniectura adfirmare. Verum o, quam facile est, non modo

Alterius luctu fortia verba loqui,

sed

sed et aliorum peccata rectis consiliis castigare! Nobis ubi simili est opus cura et prudentia, quam saepe simile item oboritur taedium et securitas! Veteribus illis si liceret ex Orcino, ut ille ait, thesauro, quo conditi iacent, in dias se iterum lucis oras emergere et nostra vicissim tam seuerè examinare scripta, quot illi etiam in doctissimis horum temporum viris, *χιλιύδας ἀμαρτημάτων* in praeis historiis, fabulis, ritibus ac moribus, immo saepe in rebus, quas magno conatu ex professo agimus, inuenirent, et paucis illis, quae nos in illorum libris reperimus, opponerent. Et idcirco malint haud dubie nunc in suis naeuulis oppido quam raris nudi, integri et inuiolati conspici, vel saltem ne lector in errorem abducatur, de iis et eum admoneri, et se comiter ac eleganter castigari, quam violentis adeo et retulis interpretum styli confodi identidem et cruciari, aut tam indecora et foetida sibi emplastra obduci, satis gnari nihil tam pulchrum, tam omnibus numeris absolutum a mortalibus elaborari, cui non adspersae sint suae etiam maculae, communemque hanc humani ingenii fortunam a nobis multo minus nunc, quam olim a se, cauere. Ne longe abeam, hoc ipso, de quo proxime egi, Valerii Max. in loco, nouissimus eius interpretes Ioh. Vorstius, postquam Valerium in Zenone hoc, tanquam diuerso et eiusdem tantum nominis philosopho, haesitantem, ex Laertio post alios arguisset, quam oscitanter ipse Laertium inspexisse et cum Valerio contulisse in hoc exemplo deprehenditur! Putat Nearchum fuisse tyrannum Liparitanorum, quia Laertius scribat inquisuisse eum de armis, quae in insulam Liparam Zeno importasset, ideoque oportere, ait deinceps, Eleatem hunc philosophum, quum Agri-

gentinos tyrannide Phalaridis liberasset, ex Sicilia Liparam transisse, eamque insulam itidem a Nearchi tyrannide voluisse liberare. Plane alia profecto ex Laertio attulisset, siquidem eum non fugiente oculo, aut animo aliud agente adhibuisset, vel si ipsius solummodo epigramma in Zenonem haud perfunctorie legisset, ut in quo clarissime traditur, illum ipsum suam patriam Eleam seruitute ab hoc Nearcho oppressam liberare tyranno occiso voluisse:

Ἡθελες, ὦ Ζήνων, καλὸν, ἢ θελες ἀνδρα τύραννον
Κτείνας ἐκλύσαι δελοσύνας Ελέαν.

Voluisti, o Zeno, rem pulchram voluisti, tyranno occiso, eripere seruitute Eleam.

Quid denique miremur historicos rerum inuestigandarum multitudine obrutos, fatigatosque dormitasse aliquando sui suaeque diligentiae oblitos, cum reperiantur, qui non iam publicas populi res gestas, aut illustres patriae suae ciues, sed suae ipsorum familiae maiores nobilissimos se ignorare, aut falsa atque aliena de iis opinari publice significant. Scipionem Metellum vehementer exagitat Cicero ad Attic. VI. 1. quod cum in Capitolio maioribus suis posuisset inauratas equestres statuas, pro Serapionis proauis sui imagine arripuisset imaginem Africani, quam ad aedem Opis inuenerat, licet subscriptum ei esset, quo, si honores ac magistratus proauis sui habuisset exploratos, a tam foeda clarissimorum suae familiae virorum confusione publico in loco et ad aeternitatem erectis in statu commissa, reuocari facile potuisset ac debuisset. Etenim Censor fuerat Africanus, idque declarabat subiectus imagini eius titulus. Serapio autem prauus Metelli ad Censuram non peruenerat.

rat. Quod si sciuiſſet Metellus, nunquam certe hominis imaginem, quae Cenſorem eum fuiſſe indicabat, proauo ſuo adſignauiffet. Quapropter Cicero, quum *ἀνιστορίας* turpem hanc eſſe iam exclamaſſet, poſtea tamen iterum *neſcire proauum ſuum Cenſorem non fuiſſe turpe* pronunciat, *praefertim cum poſt eum Conſulem nemo Cornelius illo uiuo Cenſor fuerit.* Solebant enim ex conſularibus ferme uiris Cenſores deſignari. Grauius etiam lapſus eſt, ſed in familiari tamen epiſtola Papirius Paetus, ad quem ſcripſit Cicero Famil. IX. 21. Negauerat is ullum vnquam Papirium niſi plebeium fuiſſe, quamuis tot Dictatores, Cenſores, Conſules, Magiſtros Equitum Papiriae gentis exhibeant Faſti, illis praecipue temporibus, quibus nulli niſi patricio ad hos honores dabatur aditus: et praeterea ex hiſtoriis Populi R. etiam nunc ſint notiſſimi patricii generis Papirii, Mugillani, Craſſi, Maſones, et omnium clariſſimi duo Curſores, qui uictoriis ac triumphis ſuis de Samnitum populo reportatis meruerant certe, ut a gentili ſuo non ignorarentur. Sed recognoſcamus ipſa Ciceronis uerba: *Sed tamen, mi Paete, inquit, quid tibi uenit in mentem negare Papirium quenquam vnquam niſi plebeium fuiſſe? Fuerunt enim Patricii minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Cenſor cum L. Sempronio Atratinio fuit, cum antea Conſul cum eodem fuiſſet. Poſt hunc XIII. fuerunt Sella curuli ante L. Papirium Craſſum. Is Dictator cum L. Papirio Corſore Magiſtro Equitum factus eſt et Conſul cum K. Duilio. Hunc ſecutus eſt Curſor homo valde honoratus deinde L. Maſo aedilicius: inde multi Maſones, quorum quidem tu omnium Patriciorum imagines habeas uolo.* Haec Cicero, in quibus tamen et ipſum aliquid fugit. Principem

pem Papiriae gentis statuit L. Papirium Mugillanum, qui Consul anno LXVI. post exactos Reges fuit, et, quod notandum praecipue, biennio post Censor omnium primus. At vero etiam hoc antiquiores fuerunt, et honoratissimi illius gentis viri, Roma adhuc Regibus subiecta, et tantum quod ab iis liberata. Principem ego Papiriis Patriciis constituo principem Istorum urbis Romae, virum, qui Tarquini Superbi vel etiam Prisci temporibus fuit inter praecipuos urbis ciues, legesque regias in vnum composuit librum, qui exinde appellatus fuit *Ius Civile Papirionum*. Testis Pompon. Enchirid. de Orig. Iuris, non longe ab initio. *Quae omnes* (leges a Regibus latae) *conscrip-tae existant in libro Sextii Papirii, qui fuit temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii Filius* (immo, Nepos, nisi forte Tarquinium Priscum dicere voluerit) *ex principalibus viris. Is Liber appellatur Ius Civile Papirianum, non quia Papirius de suo quicquam ibi adiecit, sed quod leges sine ordine latas in vnum composuit.* Et §. 37. *Fuit autem imprimis peritus P. Papirius, qui leges regias in vnum contulit.* Diuersimode, vt vides, appellatur, vnde nata sunt sententiarum diuortia in Commentariis. Muretus Pomponium inconstantiae accusat. Verisimilius alii alterutrum corruptum censent. Cuiacius *Publium* vocari mauult, et *Sexti* praenomen aboleri. Rupertus insuper legendum coniectat *in libro sexto Papirii*, tanquam si non separatus ac singularis, sed multis aliis interpositus fuisset liber, qui proprie *Iuris Civilis Papiriani* nomen accepit, quod mihi certe minime probatur. Neque istis temporibus, Romani multos adeo scribebant libros, itaque etiam nihil Papirius iste de suo adiecisse dicitur, sed dispersas solum-

solummodo leges in vnum contulisse. Ut taceam non solere Pomponium, homines vbi primum eorum facit mentionem vnico tantum appellare nomine; sed et neque *Publii*, neque *Sexti* praenomina in Papiriis patriciis inueniuntur, verum *Spurii*, *Lucii*, *Gaii*, *Marci*, et *Manii*. Sunt autem cuique genti certa quaedam praenomina maxime vlitata. Ego vocatum censeam *Sp. Papirium*, et priore loco *Sexti* pronomen ortum ex peruersa interpretatione literae S. siue ea sola notatum fuerit *Spurii* praenomen, vt factum aliquando in lapidibus et nummis obseruauit, siue quoniam id praenomen plerumque duabus literis SP. signari solet, P. interciderit propter eandem proxime sequentis vocabuli primam. Qua etiam ratione factum arbitror, vt posteriore loco sola P. remanserit, sublato S. quia ea vltima item erat praecedentis vocabuli, solenni scribarum negligentia easdem literas, cum opus est, repetendi. Praeter hunc statim post exactum Tarquinium primus Rex Sacrorum constitutus est *Manius Papirius generis Patricii*, vt refert Dionys. Halic. lib. V. c. 1. Idem lib. III. c. 9. *C. Papirii Pontificis Max.* meminit, qui, post expulsos Reges, tabulas, in quibus caeremoniae et sacra continebantur, publice positas, sed verustate consumptas in vsum reuocarit. Hunc eundem quidam cum *Manio*, alii cum *Isto* putant, sed incertum arbitror, quando ille vixerit, quoniam Dionysius tantum post exactos Reges id eum fecisse, non quo anno, memorat. Si tamen ad prima illa Consulum tempora referendus est, putem et ego eundem cum *Isto*, et vel Pomponium vel Dionysium in praenomine, vt saepe ab aliis factum, errasse, quandoquidem Pontifices praecipui olim fuerunt iuris diuini et humani auctores et custodes.

CAPVT

CAPVT III.

Proxime superius caput, quoniam illata de Papiriis patriciis ex Ciceronis epistola ad Papir. Paetum, et contra eam, disputatione clausimus, hoc incipiemus examine eorum, quae in eadem ille epistola prioribus subiecit de Papiriis plebeiis, et quidem *Carbonum* familia: atque ita ordine deinceps quinque perniciosorum ciuium, immo Reip. ac ciuitatis Romanae Carnificum, Cn. Carbonis, C. Marii Filii, P. Clodii, C. Caesaris Octauiani, et M. Lepidi Triumviri fratres vel sorores, seu germanos, seu patruales, errorum atque ambiguitatum nube, tam veterum, quam nostrae memoriae scriptorum culpa obscuratos ex historiis, eruere et explicare hoc capite conabimur. Legitur primo apud Ciceronem, neminem ex omni Carbonum familia fuisse ciuem e Rep. praeter illum Cn. Carbonem, quem *Damasippus* occidit. Nempe dum ad Sacriportum inter C. Marium filium, et L. Sullam dimicabatur, L. Damasippus Praetor Mario studens, omnes Sullanarum partium suspectos, qui in vrbe supererant, vocato in Curiam Hostiliam Senatu, truculentissime trucidauit, inque iis Papirium hunc Carbonem, virum Praetorium. Verum is praenomine non *Gnaeus*, sed *Gaius* erat, vt cum ex aliis, tum ex ipso Tullio in Bruto et de Oratore constat, multisque ad hunc locum probauit Manutius. Sed et Pighius in Annalibus, Schegkius ad Paterculum, Franc. Fabricius ad Orosium praenomen viri hoc in loco similiter emendandum iam olim censuerunt. Neque aliter eum appellauit in *Familiis* suis Ant. Augustinus.

Vnde

Vnde mirari conuenit doctiff. Reinesium in variis Lect. III. 2. non modo eandem emendationem iterum pro noua et sua diuulgare, sed addere etiam: *Ante emendationem nostram fratres Carbones Consul et Praetor, qui vir fuit eloquentiffimus, sed ciuis perniciosus, ambo vno fuerunt praenomine, quod erat contra consuetudinem dvo. uero de ius Romanae.* In quibus multipliciter peccatur. Nam vt taceam, dudum iam ante illum obseruatum hoc et monitum fuisse, cum ab aliis multis, tum ab ipso vulgatiffimo Ciceronis interprete Manutio, et longe quidem firmiore argumento, constante scil. aliorum Auctorum, locorumque testimonio, quam quo ille utitur a sola consuetudine Romanorum ciuium petito, quae vnum idemque praenomen in duobus fratribus respuat. Nam consuetudo isthaec perpetua non fuit, et, quamuis pauci, reperiuntur tamen fratres germani iisdem praenominibus, maxime in Claudia gente. Verum illud omnem excedit modum, quod Carbonem hunc, cuius in praenomine se Ciceronis locum emendasse contendit, *virum fuisse eloquentiffimum, sed ciuem perniciosum* affirmat, quum ipse Ciceronis locus diserte nos doceat illum, vnum omnium Carbonem, *ciuem e republica*, h. e. bonum et vtilem Reip. fuisse. Quae cum legerit, exscripserit, et emendauerit, et tamen contrarium prorsus elogium illi tribuat, quid aliud, quod dicam, superest, nisi summa eum incogitantia a veritate his ipsis Tullii verbis exposita descuiuisse, quaeque in patrem huius Carbonis vere dici poterant, in filium perperam contulisse, vel pro vno homine habuisse patrem et filium, viros Reip. studio et cura diuersiffimos.

Peccat

Peccat denique in eo, quod, ut satis liquet ex illata mentione *ὀνομασθέντος* Romanae, C. Carbonem Praetorem vel Praetorium facit fratrem germanum Cn. Carbonis ter Consulis, a Pompeio in Sicilia interfecti. Idem tamen statuit Ant. Augustinus, et inductus vterque videtur auctoritate Vell. Paterculi, qui II. 26. illum a Damasippo interemptum vocat *C. Carbonem Praetorium, Consulis*, qui eo anno, et quidem tertium, erat, *fratrem*. Sed tamen alium prorsus *C. Carbonem Carbonis ter Consulis fratrem* ab exercitu suo, quem seueriore disciplina continere voluerat, occisum memorat Valer. Max. IX. 7. Et praeterea ex Fastis Capitolinis constat Carbonem ter Consulem fuisse *Gnaei Filium*, eius haud dubie, qui A. V. C. 640. Consul fuit cum C. Metello Caprario, et tunc a Cimbris victus, fusus atque exercitu exutus est, et propterea forte a M. Antonio, qui duobus annis post, quaestoriae aetatis et Quaestor fuit, accusatus, futorio atramento, ut putabatur, euasit, quod de Consulibus a Pompeio interfecti patre hac in epistola tradit ipse Cicero. Praetorium vero filium fuisse scimus omnes C. Carbonis, qui orator eloquentissimus, sed improbus ciuis passim a Tullio appellatur, qui hoc ipso loco Tribunus pl. seditiosus et P. Africano vim attulisse existimatus perhibetur, qui Consul fuit anno 633. qui denique a L. Crasso accusatus *cantharidas*, ut Cicero hic ait, *sumpsisse dicitur*, vel, ut in Bruto cap. 27. *morte voluntaria se a seueritate iudicium vindicauit*. Ut adeo errasse videatur Val. Max. III. 7. quum eum damnatum a L. Crasso, et *in exilium missum* scribit. Nempe quum conuictum et *perculsum ab adolescentulo* L. Crasso, ut loquitur Cic. de Orat. I. 10. (vbi tamen male editur *Cn. Carbo* pro C.

C. Carbo,) Valerius sciret, et damnatis exilium
 permitteretur, ideoque in exilium ire solerent, de
 suo posuisse illud videtur, immemor vel ignarus
 voluntariam eum mortem praetulisse poenae, quam
 feueritas iudicum ipsi destinabat. Cum ergo di-
 uersos habuerint patres Praetorius ille et alter Con-
 sularis Carbo, an itaque et Velleius errauit, quum
 alterum alterius dicit fratrem. Censent sane Ma-
 nutius ad Cicer. et Schegkius ad Vell. nisi quod
 alter Consularem forte a Praetorii patre adopta-
 tum suspicetur, quod tamen verum esse nequit;
 nam ita in Fastis, qui semper adoptiuos, vt oport-
 tebat, ponunt patres in descriptione filiorum, *Gaii*
Filius debuisset dici: alter Paterculum glossate
 ab imperito homine fuisse inquinatum, quod et
 ipsum a verisimilitudine est alienum. Certe fra-
 tres haberi eos vel dici minime illi patiuntur, non
 germanos, eo quod Gaius Praetorius Gaium,
 Gnaeus Consularis Gnaeum habuit patrem; non
 patruales, quia in hac Ciceronis epistola Gaius is,
 quem Praetorii patrem fuisse constat, duos solos
 fratres *Publium* et *Marcum*, (vt quidem in priscis
 Edd. nam hodie aliter legitur,) nullum *Gnaeum*
 habuisse dicitur. Verba sunt, vt olim edebatur:
Tres illi fratres fuisse P. C. M. Carbones: Publius
Flacco accusante condemnatus est: Fugit Marcus ex
Sicilia. Gaius accusante L. Crasso cantharidas
sumpsisse dicitur. Is et Tribunus pl. seditiosus et
P. Africano vim attulisse existimatus est. Hoc vero
qui Lilybaei a Pompeio nostro interfectus est, impro-
bior nemo meo iudicio fuit. Iam pater eius accusa-
tus a M. Antonio sutorio atramento absolutus putatur.
 Ita prima isthaec legunt Manutius in notis, ita
 Schegkius, ita Pighius anno 662. qui hocce anno
 Marcum Quaestorem, et anno 667. Tribunum

pl. fuisse suspicatur, et deinde Siciliam ex Praetura obtinuisse, unde, L. Sulla Pompeium ad persequendum Marianos mittente, turpiter relicta prouincia fugerit. Sed insigniter haec in chronologicam incurrunt rationem, quum Marci huius frater Gaius, ille Praetorii pater, iam anno 623. etiam ex ipsius Pighi sententia Tribunus pl. fuerit, plus XL. annis ante, quo tam longo tempore inter se discretos comminisci et sine vlla necessitate ponere fratres quae ratio est? Verum, si ita scripsit Cicero, nullum sane Gnaeum fratrem habuit Praetorii pater, adeoque Gnaeus Consularis, seu ter consul, qui Gnaei fuit filius, non Publii filius, non Publii, nec Marci, patruelis frater Gaii Praetorii fuisse non potuit. Sed alia, vt dixi, hodie est horum lectio, iam olim quoque a Seb. Corrado allata, et in ipsa Aldina harum Epistolarum et Manutiani Commentarii editione exhibita, denique a Victorio et Grutero e Manuscript. confirmata: Nempe *tres illi fratres fuere C. Cn. M. Carbones. Marcus Publio Flacco accusante condemnatus fur magnus ex Sicilia. Gaius accusante etc.* Hic iam Gaius fratrem *Gnaeum* pro *Publio* dari videmus. Sed tamen vel sic nondum est sublata difficultas. Nam ex his fratribus Marcus et Gaius qui fuerint, explicatur, Gnaeus vel non explicatur, adeoque in incerto et obscuro relinquitur, vel quoniam post M. et C. expositos statim sequitur mentio Carbonis, qui Gnaei praenomen habuit, nec verisimile est duobus illis ex professo explicitis tertium fratrem omnino praeteriri, errore manifesto et insigni alius illis *Gnaeus*, quam oportuit, frater a Cicerone datur, nimirum ille ipse Cn. Carbo ter consul, quem Gaii Praetorii fratrem dicit Paterculus, quemque ratio temporis minime

minime permittit illius Gaii, qui a L. Crasso est accusatus, et Praetorii fuit pater, poni fratrem. Certe Gnaei illius ter consulis patrem a Cicerone inter illos tres fratres non referri, adeoque nec Gaii a Crasso accusati fratrem statui, ut debuisset, si horum filii fuissent inter se patruales, clarissimum est, quandoquidem de eo separatim ab illis fratribus et post illos, immo post memoratum illum ter Consulem ultimo demum in hac epistola loco, omisso etiam eius praenomine agitur. Consequitur ex his, vel errasse Paterculum, dum Gaium Praetorium, a Damasippo interfectum, et Gnaeum illo anno Consulem fratres fuisse adfirmat, vel Ciceronem, in hac Epistola, ut ex cuius sententia illi neque patruales esse potuerunt, quandoquidem Gaius Praetorii istius patri vel nullum Gnaeum, ut in antiquis quibusdam fuit editionibus, vel, ut nunc in emendatioribus est, alium omnino Gnaeum, a Gnaei ter Consulis patre diuersum, fratrem dedit, immo hunc ipsum ter Consulem qui hoc pacto Praetorii Carbonis patruus, non patruelis fuisset. Ego verisimilius putem, maiorem rebus his inuestigandis adhibuisse curam ac diligentiam scriptorem publicandae suo nomine historiae, quam priuatae ad familiarem hominem epistolae, in qua et ante erratum fuit, quod L. Papirius Mugillanus *Princeps* h. e. primus Papiriorum patriciorum dicitur, et forte etiam, quod ille cum Sempronio Atratino prius Censor, et dein demum Consul cum eodem fuisse in membranis legitur, cum contrario in his honoribus ordine processisse eos ex L. iuio et Dionysio constet: quod postremum tamen facile equidem patiar, si quis ita malit, adscribi cum Manutio librariorum oscitantiae. Atque ita porro verius quoque censeam,

C. Carbonem Praetorium fratrem, non quidem germanum, sed patrualem fuisse Cn. Carbonis ter Consulis horumque patres C. Carbonem Consulem anno 633. a L. Crasso adolescentulo accusatum, et Cn. Carbonem Consulem anno 640. accusatum, item a M. Antonio adhuc iuvene fratres inter se germanos fuisse. Pro qua sententia facit tum disertata Velleii auctoritas, tum temporis ratio: nihil vero contra eam, si ab hoc obscuro et intricato Ciceronis loco discedimus. Lapsus est in his etiam Sigonius, qui in Fastis Gnaeum Consulem anni 640. filium fuisse Gaii Consulis anno 633. et patrem Gnaei ter Consulis existimat. Ita Gaius Praetorius interfectus anno 670. fratrem habuisset Consulem, iam XXX. annis ante, et patruus fuisset hominis, qui tunc iam tertium erat Consul, quod cui sine liquidis argumentis et rationibus probari poterit?

Quia vero Pighius Annali 669. etiam eo suspectum habet Velleii locum quod minime verisimile sit, Carbonis tunc Consulis, et acerrimi Marianarum partium ducis fratrem fuisse Sullanum, et praeterea mirum etiam alii videri potest, cum ceteri Carboes omnes contra optimates steterint, et ipse Praetorii pater cum Graccho contra eosdem populum seditiosè concitauerit, cuiusque in populari ratione leuissimus fuerit ac improbissimus, ut adeo ei ad extremum *ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuerit adferre*, (Cic. de Leg. III. 16.) hunc tamen C. Carbonem optimatibus et Sullanis se iunxisse, causam eius rei praeter illam, quam Pighio opponi satis esset, quod is vnus omnium Carbonum, teste Cicerone, *ciuis e Rep.* fuit, h. e. non seditiosus, non improbus, ut ceteri, sed Reip. et optimarum in ea partium studio-

studiosus, nunc tamen etiam aliam adferam. Nempe L. Crassi erat *inimicissimus*, ut ait Cic. de Oratore III. 3. propter accusatum ab eo, et ista accusatione ad voluntariam mortem adactum patrem suum. Quamobrem et in prouinciam illius tantum ad speculanda eius acta, et captandam occasionem reponendae illi accusationis profectus refertur a Valer. Max. III. 7. Crassi autem istius filiam uxorem habebat Marius iunior, cuius proinde filius, ut ferebatur, Pseudo-Marius ille apud Cicer. ad Attic. XII. 49. *L. Crassum auum suum* vocat, quique ipse iunior Marius a Cicer. de Orat. III. 2. intelligi censendus est, cum Crassus morte praereptus non vidisse luctum filiae, non exilium *generi* dicitur. Quum ergo Marius filiam hominis, cui C. Carbo erat inimicissimus, in matrimonio haberet, haec haud dubie praecipua fuit causa, cur etiam iste a propinquis et agnatis suis, qui omnes in Marianis erant partibus, discesserit, Sullanisque se iunxerit, vel iunxisse a Mario et Damasippo fuerit iudicatus: et cur eum Marius, qui isto anno cum Cn. Carbone erat Consul, tanquam vel suarum communiter partium, vel suum proprie inimicum (nam a Mario patre, qui et ipse antea atrocissimis caedibus in clarissima Senatus lumina et Sullanarum partium homines fauierat, inuiolatus, ut videretur, et incolumis fuerat relictus, et a Mario filio Appianus diserte τὰς ἰδίους ἐχθρὰς *proprios sibi inimicos* tunc interfectos dicit) occidi, et eius potissimum truncum corpus patibulo affixum gestari (Val. Max. IX. 2.) curauerit. Nam Damasippus Praetor quae fecit, iussu et voluntate Marii huius tunc Consulis fecit, ut Liuius Epit. LXXXVI. Florus III. 21. Orosius V. 20. et Appianus Εμφολ. A. n. 403. docent.

Non minorem peperit Viris doctis difficultatem, quod Florus III. 21. 27. M. Marium Gratidianum, qui crudelissime oculis, manibus, cruribus mutilatus, et per singula membra ad Catuli sepulchrum in Sullana victoria, Catilinae manu trucidatus fuit, ut pene ab omnibus est memoratum, ille *Marium ducis ipsius fratrem* vocat. Dubitatur primo, utrius Marii patris an filii fratrem intelligi voluerit, deinde qualem, germanum an patrualem. Vir summus, cuius eruditioni eruditi omnes haud grauate nuper fasces submittebant, opinatur Obseru. II. 6. C. Marii septies Consulis h. e. Marii patris fratrem a Floro dici, sed patrualem, a Marii illius patruo de Gratidiis adoptatum. Prius sensisse videtur etiam Lipsius ad Senecam de ira, III. 18. Posterius Car. Langius quoque suspicatus olim fuit in notis ad Cicer. de offic. I. III. Mariumque Marium, de quo Gracchus in oratione quadam apud Gell. X. 3. C. Marii septies Consulis fuisse patruum, et M. Gratidiani adoptiuum patrem. Verum is Sidicinus erat, et eius ciuitatis nobilissimus homo, non Arpinas, quo municipio hi Marii, et quidem obscuro plane loco fuerunt orti. Praeterea ratio temporis vix patitur Gratidianum hunc adoptatum ab homine, qui C. Gracchi tempore aetate iam prouectior fuit, vel etiam a patruo C. Marii septies Consulis, qui quarto utique anno ante Gratidianum in flore aetatis exstinctum, mortuus fuit et tamen quum moreretur, aliquot annis aetatis suae septuagesimum iam excesserat. Non multum ergo huic coniecturae tribuebat ipse Langius, maxime quia ei cum Floro non conuenire sentiebat, quem, ut plerique alii, intelligere Marium minorem, cuius frater fuerit Gratidianus, existimabat. Sane et ego putem

tem

tem a Floro significari eum ducem, eum Marium, Marii Gratidiani fratrem, qui illo tempore vere erat dux Marianarum partium, immo eo ipso anno Consul urbis Romae, quemque iam aliquandiu in proxime superioribus, ut praecipuum ducem ipse commemorauerat, et solo *Marii* nomine designauerat, h. e. Marium filium. Nam pater tunc aliquot annis ante iam decesserat, eiusque Florus a §. 20. ubi *Marium inuenem* primum nominat, nullam facit amplius mentionem. Si ita, M. Marius Gratidianus fuerit M. Gratidii, qui cum M. Antonio Praetore an. 65 r. in Ciliciam contra piratas profectus, ibi interiit, filius naturalis, adoptatus autem a M. quodam Mario C. Marii septies Consulis fratre, et ita adoptione ista factus C. Marii iunioris et tunc Consulis frater patruelis. Nam ne ab ipso C. Mario septies Consule adoptatum statuum, facit, quod ille filium habuit ex se genitum, ingenio et corpore valentem, nec facile, qui ipsi liberos haberent in viuis, nisi forte grauissimis de causis, quae hic nullae erant, alium adoptabant, de quo infra pluribus agam. Confirmat me ista in sententia, quod video veteres quosdam in nominando consule anni 67 r. qui erat Marius iunior, seu C. Marii septies Consulis filius aliquantulum cespitasse ita, ut pro illo Consulem istius anni partim Γρατιδιανόν, partim ἀδελφιδέν Μαρίας τῆ Περιφανῆς, *filium fratris, illustris illius Marii* dicant: isto modo Auctor Fastorum Cuspiniani, hoc Appianus Εμφυλ. Α. η. 402. quamuis is quidem C. Mario τῷ Περιφανῆ fuerit etiam filium non ignoraerit, eumque in superioribus vna cum patre hostem iudicatum, et in exilium ad patrem in Africam profectum dixerit et quasi vnicum, ut erat, τὸν Μαρίας παῖδα, vel τὸν υἱὸν τῆ Μαρίας identidem appellarit.

larit. Sed tamen in eadem historia illis iam in Africa degentibus etiam *alium* commemorat C. Marium, Γάϊον Μάριον ἕτερον, qui in dissensione Consulum Cinnae et Octavii ad Cinnam vna cum Sertorio et Milonio confugerit. Nec dubito hunc esse eum ipsum, quem postea ἀδελφιδέν illustris Marii, quemque alii *Marium Gratidianum* vocant. Nam quod eum quoque *Gaium* appellet, cui M. et Q. Cicerones, Sallustius, Seneca, Valerius Max. Asconius, Orosius, alii *Marci* praenomen tribuunt, in eo, vt facile fieri potuit, quum plerique alii Mariae gentis *Gaii* praenomen habuerint, errasse videtur: neque vero ipse solus, sed et Plinius, qui idem, quod Cicero l. III. de offic. et Seneca l. III. de ira de hocce Mario tradunt, referens l. XXXIV. c. 6. eum *C. Marium Gratidianum* nominat. Cum ergo ex ipso constet Appiano, praeter illustrem illum Marium septies Consulem, duos adhuc alios fuisse, quorum alterum ille filium eius dicit, alterum fratris filium: nullus autem alius illis temporibus in aliis auctoribus reperitur Marius, praeter hos tres, Marium patrem, Marium filium et Marium Gratidianum, et denique is quem Appianus Consulem anno 671. facit, ἀδελφιδέν senioris Marii vocat, Fasti Cuspiniani diserte *Gratidianum* appellant, ex his omnibus ita coniunctim consideratis colligitur argumento, ni fallor, satis probabili, illum Appiani ἕτερον Γάϊον Μάριον, et ἀδελφιδέν Μαρίας τῆ Περιφανῆς esse eum, quem alii M. Marium Gratidianum vocant, adeoque hunc adoptatum a C. Marii maioris fratre nobis ignoto, perque istam adoptionem habitum atque appellatum Marii maioris ἀδελφιδέν, fratrem vero, sed patruelem Marii minoris: errasse autem Appianum, non solum vna cum Plinio, nisi in huius

huius quidem libris culpa inscribas sit transferenda, quod ei quoque praenomen *Gaii* tribuerit, sed et vna cum Fastis Cuspiniani, quod Consulem eum anno 671. fuisse existimauerit. Hunc Appiani errorem, si vel omnino, vel ea saltem parte, qua oportebat, peruidissent Viri eruditi, non ipsi tam falsa et erronea, tamque operose excogitata posteris hac de re prodidissent. Censent non alium quendam, non Gratidianum, sed illum ipsum C. Marium, quem alii Consulem laudato anno memorans, ab Appiano quoque eodem anno Consulem intelligi et statui, verum in eo labi quod illum Marii maioris dicat non filium, sed ἀδελφεόν, atque adeo a ceteris dissentire non in alterius Consulis designatione, sed in eiusdem Consulis et Marii genealogica descriptione. Ita Schottus ad Victorem, ita Freinshemius ad Florum, ita Sigonius, Onufrius et Pighius in Fastis. Sigonius insuper Marium minorem, istius anni Consulem, maioris Marii adoptiuum facit filium; Pighius vero non eum solum, sed et M. Marium Gratidianum, atque ita hunc illius fuisse fratrem, ab eodem patre adoptatum asserit. Immo Freinshemius ad Florum III. 21. 27. hac vtriusque adoptione, vt videtur, arrepta, sed paulo aliter relata, Appianum mirifica ratione cum ceteris in concordiam redigere nititur. Nempe C. Marium minorem a maioris fratre genitum, ab eodem fratre deinceps adoptatum Gratidianum, filiumque naturalem in adoptionem fratri suo C. Mario maiori datum, atque ita C. Marium minorem ab aliis celebris illius C. Marii filium, adoptiuum scilicet, ab Appiano autem illius ἀδελφεόν, et porro a Floro Marii Gratidiani fratrem recte et vere potuisse dici. Probari haec forsitan prima specie lectoribus possent,

si nusquam filium Marii etiam ipse Appianus nominaret, sed quem alii, adoptionem scilicet fecuti, filium Marii dixerint, ille naturam ut volunt, secutus ἀδελφιδῶν illius constanter vocaret. Nunc uterque παῖς vel υἱὸς et ἀδελφιδῶς Marii apud eum leguntur, et diuersi haud dubie ex illius sententia sunt, quippe separatim quisque et singillatim diuersa ista ratione designati. Nusquam ille filium Marii, quum de eo agit, vel adoptione adscitum, vel fuisse etiam illius ἀδελφιδῶν, aut ad Consulatum peruenisse significat, nusquam ubi iam illius ἀδελφιδῶν et Cn. Carbonis in Consulatu collegam commemorat, declarat fuisse hunc etiam filium vlla ratione Μαρίας τῆς Επιφανῆς, vel eundem illum esse, quem ipse superius Marii illius filium appellauerat, prorsus ut manifestum sit, ab eo Marii non υἱὸν, sed ἀδελφιδῶν, h. e. non C. Marium filium, sicut a ceteris, sed Marium Gratidianum, sicut a graeco illo Fastrorum auctore, Consulem statui. Praeterea Marium minorem maiorem fuisse adoptiuum filium, ut volunt Sigonius, Pighius, Freinshemius, falsissimum est. Aperte enim Plutarchus in Caesare huius amitam Mario maiori nuptam, et ex ea ab illo genitum Marium minorem, atque ita hunc Marium naturalem patris sui filium, ἀνεψιὸν consobrimum vel amitinum fuisse Caesaris Dictatoris: Ἰσλίας, inquit, πατρὸς ἀδελφῆς Καίσαρος ὁ πρεσβύτερος συνώκει Μάριος, ἐξ ἧς ἐγεγονε Μάριος ὁ νεώτερος, ἀνεψιὸς αὐτῶν Καίσαρος. Quid clarius ad refutandam illorum opinionem potest dari? Atque hac causa a Velleio II. 41. *Caesar* dicitur *C. Mario* fuisse sanguine coniunctissimus, et apud Cicer. ad Attic. XII. 49. *propinquus* hominis illius, qui Marii minoris ferebatur filius. Immo ab ipso Appiano ἐμφυλ. Γ. init. idem ille Pseudomarius ista
Mariani

Mariani generis inuafione συγγενῆς τῷ Καίσαρι factus traditur.

P. Clodius Pulcher nobilissimi generis homo, sed qui propter praestantissimum ciuem M. Tullium Ciceronem, post gestum magnificentissime Consulatum et inuestigatam detectamque felicissime coniurationem Catilinariam, per summum nefas, summamque iniuriam in exilium ire ipsius lege et turbulentissimis seditionibus ab ipso concitatis coactum inter praecipua ciuitatis Romanae dehonestamenta referri commeruit: is, inquam, tres habuisse sorores, easque omnes constuprassse atque adulterassse legitur. Minima illarum nupta fuit L. Lucullo, ex reliquis altera Q. Metello Celeri, altera Q. Marcio Regi, omnibus, Viris nobilissimis ac meliore matrimonio dignissimis, tum clarissimis Urbis Romae Consulibus. De prioribus duabus nulla est controuerfia, de postrema ambigitur, cuiusmodi illa fuerit soror. Cicero ad Famil. I. 9. Clodium ait *non pluris fecisse Bonam Deam, quam tres sorores* h. e. aequae tum violasse Bonae Deae Sacra quae viro vidisse nefas, dum ipse, vt tutius faciliusque cum Caesaris vxore, quam amabat, congregaretur, iis interfuerat, muliebri veste tectus; ac antea violauerat pudicitiam trium sororum. Clarius et prolixius de tribus his sororibus Plutarchus in Cicerone: Λεύκκλος δὲ καὶ Θεραπεινίδης παρέχεν, ὡς συγγένοιτο τῇ νεωτάτῃ τῶν ἀδελφῶν ὁ Κλώδιος, ὅτε Λεύκκλῳ συνίηκε. Παιδὴ δὲ ἦν δύο καὶ ταῖς ἀδελφαῖς δυσὶν ἀδελφαῖς πλησιάζεν τὸν Κλώδιον: ὧν Τρεντίαν μὲν Μάρκιος Ρήξ, Κλωδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν. *Lucullus vero etiam ancillas exhibuit ad id vt probaretur, Clodium cum minima sororum rem habuisse, quum illa Lucullo esset nupta*, nam is tunc eam ista de causa

iam

iam repudiauerat. *Frequens vero erat fama etiam cum ceteris duabus sororibus concumbere Clodium, quarum Terentiam Marcius Rex, Clodiam Metellus Celer in matrimonio habebat.* Verum his Manutius ad modo allata Ciceronis verba opponit Varronem, apud quem de Re Rust. III. 16. Appius P. Clodii frater natu maximus ait, *se pauperem cum duobus fratribus, et duabas sororibus relictum, (scil. a parentibus) quarum alteram sine dote dederit Lucullo.* Existimat ergo duas tantum habuisse Clodium sorores, illamque Marcii vxorem ipsius non germanam, sed patruelem aut consobrinam fuisse, atque id tamen *sororum* appellatione intelligi et significari non a Cicerone modo sed etiam Plutarcho, maxime quum illa ab hoc vocetur *Terentia*, quo non Clodiae gentis eam fuisse, sed Terentiae demonstratur. Verum enimvero isthaec, quamuis speciosa videntur, manifeste tamen Plutarchi sententiae et verbis, si accurate ea examinentur, repugnant, quippe qui de veris et vnus generis sororibus, et cuius Clodius tres tantum, non plures habuerit, clarissime agit. Hinc de Luculli vxore, antequam vllam ceterarum fecisset mentionem, loquens, eam τὴν νεωτάτην τῶν ἀδελφῶν, *natu minimam sororum* vocat, non *minorem*, vt loqui debuisset, si duae tantum fuissent Clodio sorores. At cuius generis sororum minima dicitur? Haud dubie eius, quae praecipue, proprie, et absolute *sorores* appellantur. Nam patruelium omnium Clodii et consobrinatum illam fuisse minimam quis adfirmare ausit? Deinde isthaec tam definite loquendi ratio ΤΑΙΣ ἀλλοιῶς δυσὶν ἀδελφῶσιν, quas nunquam ante commemorauerat, nonne aperte arguit de eiusmodi loqui Plutarchum sororibus, quarum praeter hanc Luculli vxorem, duae adhuc

adhuc superfuerint, et duae tantum, quae finito isto articulo recte significantur, et intelligi ab omnibus queant. Nam plures si fuissent, et ipse duas solummodo ex pluribus priori addere veller, omisisset haud dubie istam finitae locutionis voculam, vel ea adiecta, duarum illarum fecisset ante mentionem, vt pateret cuius, quas ex incerto fororum numero designaret, et quo referri deberet ista vocula, lectoresque huc peruenientes non haesitarent. Germanis autem Clodii fororibus, si addas patruales et consobrinas, easque omnes ista fororum et ἀδελφῶν appellatione comprehendere velis, non dubitandum est, plures duabus habuisse eum isto pacto forores, quem patruum C. Claudium, Virum Consularem, amitam Consularis et Censorii Viri L. Marcii Philippi matrem, denique auunculum, si, quod volunt Clodiorum mater, fuit Metelli nepotis foror, habuisse scimus: Sed vel maxime obstat, quod vocabula ἀδελφῶν et ἀδελφῆ pro patrueli vel consobrina Graeci prudentes et scientes (sacros excipio codices, et eos, qui illorum imitantur, phrasin) non ponant. Apud Romanos quia olim fratres et eorum liberi in vnus aui, si superesset, manebant simul domo et potestate, inde factum, vt et ex fratribus orti, et ita pariter educati, *fratres* inter se dicerentur, sed addito vel intellecto *patruales*, h. e. ex patruis alter alterius geniti, et ad vnum auum tanquam totius familiae patrem pertinentes. Ita superius C. Carbonem praetorium Cn. Carbonis ter Consulis a Velleio, et Marium Gratidianum C. Marii minoris a Floro *fratres* dici, sed intelligi patruales multis probatum iui. Liuius XXXV. 10. quum Consulatum simul peterent P. Scipio Nasica Vir optimus, et L. Quintius Flaminius, ambo patri-

cii,

cii, et gloria rerum gestarum illustres: *Ante omnia, inquit, certamen accendebant fratres candidatorum duo clarissimi aetatis suae imperatores.* Nempe, ut in seqq. exponitur, P. Scipio Africanus, frater patruelis Naficae, et T. Quinctius Flamininus germanus Lucii, de quo paulo post, *His obtinuit, ut praeferreretur candidato, quem Africanus frater deducebat h. e. Naficae.* Tacitus Ann. III. 2. *Drusus Terracinam progressus est cum Claudio fratre, videl. patrueli.* Erat enim Drusus iste Imp. Tiberii filius, Claudius vero Claudii Drusi, qui Imp. Tiberii frater germanus. Grauiissime errauit Peschwitzius in Familia Augusta §. 80. vbi ex hoc loco colligi voluit Claudium ab Imp. Tiberio adoptatum, et existimasse videtur, aliter hunc exponi non posse. Idem §. seq. *minus congrue* a Suetonio *fratrem* Caligulae vocari dicit Tiberium Imp. Tiberii ex Druso naturali eius filio nepotem. At quum Caligula item Imp. Tiberii per patrem suum adoptiuum illius filium, Caesarem Germanicum fuerit nepos, atque ita illi inter se fratres patrueles, et recte et congrue satis solo *fratris* vocabulo designantur a Suetonio, nec semel, sed ter in Calig. c. 15. 23. et 29. Cicero ad Attic. II. 7. de filio suo: *Cicero tibi mandat, ut Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo, sororis tuae filio, respondisti.* h. e. fratre patrueli, Q. Ciceronis et Pomponiae Attici sororis filio. Apud Terent. Phorm. V. 4. Antipho de patru sui filio: *Laetus sum, ut meae res sese habent, Fratri obtigisse quod vult.* Plautus prologo Poen. v. 122. *fratrem* vocat hominis, cuius illum antea fratrem patruelem dixerat, immo, quod multo rarius est, *patruum* v. 83. et 115. eius, cuius patris ipse non germanus, sed patruelis erat frater. Sic quae
apud

apud Ouid. XIII. Metam. Ajax Telamonius Achil-
lis Pelidae patruelis sui arma petens, *patruelia dona*
vocat:

*Nos inbonorati, et donis patruelibus orbi,
Obtulimus qui nos ad prima pericula simus?*

eadem apud Auſt. ad Herenn. II. 26. ex veteri
Poeta *Fraterna arma* dicit:

— — — *Me aequum est frui
Fraternis armis, mibique adiudicariet,
Vel quod propinquus, vel quod virtutis aemulus.*

Sed et *sorores* simpliciter aliquando, quae patruel-
les erant, dici a Latinis certum est. Negat id
tamen Schottus Nodor. Cic. III. 2. non placere sibi
testatus, quod quidam comminiscantur, quemad-
modum *fratres*, ita et *sorores* pro patruelibus vel
consobrinis aliquando poni, seque iis vt assentia-
tur, non prius adduci posse, quam locuplete id
teste comprobarent, interim ad Ictos, quorum
propria fit Cognationum tractatio, prouocare.
Operae pretium sane Viro tam docto, et tam
multis, hoc sibi probari, postulanti satisfacere.
Etenim ab ipsis Ictis *duorum fratrum filias sorores*
patruales appellari traditur, veluti ab Imp. Iusti-
niano §. 4. 1. de grad. cogn. tum Gaio ac Paulo
l. 1. et 10. Dig. eod. Et sic Hyginus fab. 168.
de Aegypti filiis, *impetratas sorores patruales*
(Danai patruis sui filias) *acceperunt uxores*. Et
absolute *soror* hoc sensu Ciceroni in orat. post red.
ad Quir. cap. 3. vbi Q. Metelli Numidici *soro-
rum filios* vocat Lucullos, Seruilios, Scipiones,
quarum vna tantum germana fuit illius soror,
quae mater erat Lucullorum, reliquae patruales,
filiae quippe Metelli Macedonici, qui patruus
Numi-

Numidici. Sed et Philipp. II. 38. M. Antonii uxorem etiam sororem eius vocat, quia C. Antonii patruus eius erat filia. Omnibus eum (patruum) contumeliis onerasti, quem patris loco colere debebas. Filiam eius sororem tuam eiecisti, alia conditione quaesita. Mox iterum; Frequentissimo Senatu, sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella causam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori et uxori tuae stuprum oblatum esse comperisses. Plane ut Deucalion Promethei F. ad uxorem et item simul sororem Pyrrham Epimethei F. apud Ouid. Metam. 1. 350.

*O soror, o coniux, o femina sola superstes
Quam commune mihi genus et patruelis origo
Deinde torus iunxit.*

Et apud eundem in Epist. Heroidum Hermione ad Orestem:

*Quid quod avus nobis idem Pelopeius Atreus
Et, si non esses Vir mihi, Frater eras.
Vir, precor, uxori, Frater succurre sorori.*

Et Hypermnestra Danaei F. Lynceo Aegypti F.

At tu, si qua pia, Lynceu, tibi cura sororis.

Sed apud Graecos aliter se res habuit. Apud eos enim Ἀδελφός et Ἀδελφὴ fratrem tantum et sororem iisdem parentibus, vel saltem alterutro eodem natos notat, non patruales, qui vocabulo ἀνεψιών signantur. Et accurate haec aliquando a se invicem distinguntur, ita, ut altero posito alterum negetur. Isaeus orat. VI. p. 494. ἀνεψιός ὢν, ἀλλ' ἂν ἀδελφός αὐταῖς. Dio libr. XL. Γάϊον Μάρκελλον Μάρκα ἀνεψιόν, ἢ καὶ ἀδελφόν (λέγεται γὰρ ἐκείτηρον) ὑπατεύσαι. Vult utrumque non simul fuisse, sed dici a diversis scriptoribus, ab aliis patrualem,

ab aliis fratrem germanum, et si fuerit, quod plerique dicunt, ἀνεψιός, non fuisse ἀδελφόν, si ἀδελφός, non ἀνεψιόν Marci Marcelli. Plutarchus ergo quum Marcii Regis vxorem inter P. Clodii ἀδελφάς numerat, eo ipso haud dubie significare vult, fuisse eius vel germanam, vel vterinam sororem, non patruelem. Plutarcho addimus Dionem, qui itidem Marcii huius vxorem Clodii ἀδελφὴν vocat. Nam cum P. Clodius a Lucullo se contulisset ad Marcium in Ciliciam, atque is illum classi praefecisset, hanc eius rei reddit rationem lib. XXXV. extr. ἀδελφὴν γὰρ τινα αὐτῆ καὶ ἐκείνος γυναικὰ ἔχει: Nam et ille (Marcius scil. aequae ac Lucullus) quandam eius (Clodii) sororem vxorem habebat. His auctoribus nos quidem Manutio non assentimur, Clodium duas tantum habuisse sorores germanas, eam vero quae Marcio nupsit, patruelem illius aut consobrinam fuisse e gente Terentia; quamuis etiam Sebast. Corradus in Quaestura eam nec vere sororem illius, nec Clodiam dictam videri affirmet. Sed tamen hic cautior ad Cicer. Bruto cap. 77. eam sororem quidem Clodii, sed vel ex matre tantum, vel certe non germanam fuisse ait. Fuerit ergo vterina potius, quod non etiam Manutio in mentem venisse miror, quum id utique, salua vtriusque, Varronis et Plutarchi, auctoritate, commode satis statui possit, nec quicquam omnino sit, quod, hac opinione sprete, facere nos eam ἀνεψιόν, patruelem, aut consobrinam subigat. Et videtur isthaec sententia eo confirmari, quod illa Marcii vxor apud Plutarchum Terentiae nomine occurrit, altera vero Metelli, Clodiae, tanquam si illa Terentiae fuisset gentis, non Clodiae, Terentio patre genita, non Clodio. Fateor equidem ita nunc vulgo legi et edi, sed

H

tamen

tamen variae manuscriptorum lectiones pro *Τεργεντίαν* nobis exhibent *Τεργτίαν*. Et testatur ipse Manutius, ita se quoque maluisse aliquando, vulgatamque huius loci lectionem pro deprauata habuisse, sed postea mutasse sententiam, impulsam ratione, quae, meo certe iudicio, vana est, et nihili profus. Nempe existimauit, id quod faciunt plerique alii, nullam olim mulierem appellatam fuisse *Tertiam*, nisi quae duas haberet maiores natu sorores, et idcirco istam appellationem non congruere in hanc Marcii uxorem, ut quae non fuerit trium Clodii sororum minima, seu aetatis et natalium ordine tertia, quum discrete Plutarchus, ex tribus sororibus Luculli uxorem dicat *νεωτάτην ἀδελφῶν*. Sed falsa, ut dixi, est illa quamuis peruulgatissima opinio de muliebri *Tertiae*, *Quartae* etc. appellatione, et pluribus a me refutabitur, quando id ex professo agam. Nunc hoc tantum dicam. Eruant mihi, qui ita sentiunt, ex historiis veterum tres M. Bruti sorores, tres item L. Pauli Macedonici cum sorores, tum filias. Nam duarum, quas habuisse eum scimus, filiarum altera, quae Catonis Censorii filio nupsit, *Tertia Aemilia* fuit appellata, ut et amita huius, Pauli soror, quantum scimus, vnica, Scipionis Africani vxor. Bruti quoque duae tantum reperiuntur sorores, earumque illa, quam Cassius in matrimonio habuit, *Tertia Iunia* a plerisque vocatur. Taceo *Tertiam Muciam*, Pompeii uxorem, de cuius aliis sororibus nihil item legimus, *Quartam Hostiliam*, *Quintam Claudiam*, atque alias. Et si maxime vera esset isthaec sententia, annon haec, de qua agimus, Clodii soror, duas adhuc alias habuisse quondam potuit maiores natu, quae ad nubilem non peruenerint aetatem, vel certe

tunc

tunc iam fuerint mortuae, vt hoc modo vere tam ordine nascendi quam appellatione fuerit tertia. Nec enim eo ineptiae processisse arbitror viros doctissimos, vt putarint, eandem appellationem primo ei, quae in principio fuerit inter sorores ordine tertia, tribui olim solitam, deinde extinctis prioribus ad aliam transferri, nullamque omnino eo appellari nomine, nisi quae duos tunc in viuis habeat prouectiores aetate sorores. Sic enim non proprium esset, nec constans hominis nomen, sed vocabulum plane appellatiuum, modo huic, modo illi competens. Sed clarissime haec omnia confutant, et *Tertiam* nomen apud Romanos vere proprium fuisse, nec vllam appellatiui vocabuli significationem aut naturam habuisse docent Graeci, qui, vbi mentio facienda est huiusmodi mulieris, semper eam sua lingua *Τετρίαν* vocant, seruantes in hoc nomine morem cum in ceteris vere propriis nominibus, tum in illis virorum praenominibus, a numero item ductis, *Quintus*, *Sextus*, *Decimus*, vsitatum: nunquam *Τετρίον*, vt fecissent haud dubie, et debuissent, si muliebri hoc nomen alius fuisset, ac virilia illa naturae, et ordinem nascendi semper declarasset. Nam et noua illa cognomina, quae ad significandam aliquam rem assumuntur vel imponuntur, veluti *Imperiosus*, *Felix*, *Pius*, *Augustus* et similia, saepe non his ipsis, sed suae linguae vocabulis exprimunt. Quod vero ex duabus maioribus Clodii sororibus illa, quae Metelli fuit vxor, *Clodia* proprie quodammodo, vt videtur, a Plutarcho nominatur, neque ex eo colligi debet, alteram non fuisse Clodiam, aut alia gente, alio patre ortam, immo vero singulari quoque suo et alio quam gentilitio nomine fuisse hanc vulgo

appellatam, istam autem vel quia diutius ceteris vixerit, vel quia praeter ceteras flagitiis suis fuerit celebris, communi omnium nomine tanquam sibi proprio insigniri a populo solitam, et frequenti eius usu, solo illo nomine cuius cognitam; Sic Nero Claudius Drusus, Augusti priuignus, Tiberii frater, quum tres reliquisset liberos, omnibus iis *Claudii* fuit nomen, quippe totius gentis commune, non peculiare aut vere proprium vllius in ea hominis. Sed tamen vnus ex iis, qui postea imperator est factus, praecipue et quasi peculiari-ter eo maxime nomine vulgò est appellatus, et appellatur eo solo a Suetonio, etiam cum fratre et sorore, alio et suo quisque proprio nomine insignitis, coniunctus. Nam *ex Antonia*, inquit in *Claud. c. 1. minore complures quidem liberos tulit, (Drusus) verum tres omnino reliquit, Germanicum, Livillam, Claudium.* At Germanicus ante adoptio-nem in Iuliam gentem, et Liuilla aequae erant *Glaudii*, nec eo nomine excluduntur, quod tertius eo solo, quasi sibi proprio, ornatur. Germanicus porro ab Imp. Tiberio iussu Augusti in Iuliam familiam adoptatus, dici deinceps coepit *C. Iulius Caesar Germanicus*, atque ita cum ipse tum eius liberi omnes erant et *Iulii* et *Caesares*. Vide Gruteri *Inscript. 1. 2. 3. p. 237.* Tamen a Suetonio in *Calig. cap. 7.* tres illius filii hoc modo *Nero, Drusus, et C. Caesar* nominantur. Vbi vt apparet, soli postremo *Caesaris* nomen tribuitur, quamuis reuera omnibus esset commune. Tres item eius filiae in nummis apud clariss. Patinum in *Imp. pag. 91. et in Tab. XVIII. Arschorani Principis*, aliosque, expressae visuntur, et nominatae, *AGRIPPINA, DRVSILLA, IVLIA.* Et Tacitus de posterioribus a Tiberio simul nuptum

datis

datis Ann. VI. 15. *Huic Cassio Drusillam, Vini-*
cio Iuliam Germanico genitas coniungit. At caue
 existimes, licet vltima harum sola, veluti proprie
Iulia appelletur, vel eam non aliud quoque habuisse
 vere proprium sibi nomen, quod fuisse *Liullam*
 aliunde scimus, vel ceteras Germanico genitas
 non item fuisse *Iulias*. Ipse Tacitus Ann. XII. 1.
Iuliam Agrippinam Germanico genitam, de ea, quae
 solo Agrippinae nomine in nummis occurrit. Se-
 cunda, item *Iulia Drusilla Germanici F.* Inscr. 4.
 p. 1022. apud Gruterum, *Iuliae*, vt vides, nomi-
 ne ornatur. Iterum Sueton. in Grammat. c. 10.
Appio quoque et Pulbro Claudiis fratribus. Tam
Pulbri, quam *Claudii* nomen fratribus immo toti
 familiae fuit commune, nec minus Appio quam
 alteri adscribi debet. Sed videtur alter maxime
 praenomine suo minus in vulgus vsitato, alter,
 qui praenomen habuit etiam per alias familias vsi-
 tatum, maxime cognomine suo ab aliis fratribus
 distinctus et cognitus fuisse populo. Similiter
 Appianus quum de duobus Brutis Marco et Deci-
 mo simul loquitur, illum κατ' ἐξοχήν *Brutum*,
 hunc *Decimum* appellat Εμφουλ. Β. α. 407. τὴν Κελ-
 τικὴν ἐπέτρψε, τὴν μὲν ὑπὲρ Ἀλπέων Δέκμω τὴν δὲ ἐντὸς
 Ἀλπέων Βρότω. Non tamen eo nos voluit in illam
 adduci opinionem, tanquam si vnus horum Bruti
 nomen tulerit solus, alter non. Nam paulo ante
 plenius et eo etiam nomine, vtrumque signauit,
 scilicet illum Μάρκον Βρότον ἐπέκλην, hunc Δέκμον
 Βρότον Ἀλβίον. Mos ille fuit veteribus, plerosque
 homines, praecipue, quorum saepe facienda est
 mentio, vno tantum nomine, et quo ex omnibus
 maxime cognosci possunt, insignire, et idcirco si
 plures sint, eodem nomine praediti, ad demon-
 strandum horum omnium clarissimum adhibere vt

plurimum commune omnium, et maxime vulgo
 vsitatum, quod est in feminis gentilitium, in
 viris tertium nomen, ad ceteros peculiare singu-
 lorum, quod ceteroquin est pene domesticum tan-
 tum, certe in publico rarius vsurpatum, et fere
 non nisi, vt eo ab aliis distinguantur. Ex isto
 scriptorum more Plutarchus quoque Metelli vxor-
 em vnam ex omnibus Clodii sororibus *Clodiam*
 vocat, quia, vt arbitror, illa omnium fuit notis-
 sima non virtutibus suis, sed flagitiis (vide Cicer.
 pro Coelio) et ideo commune omnium nomen ad
 eam praecipue demonstrandam vulgo maxime adhi-
 bitum, illi factum est non vere, sed quodammo-
 do et quasi proprium. Hac vero de causa minime
 illud ceteris erat negandum, aut praeferenda ea
 lectio, quae vnam ex illis Terentiae genti adsignat.
 Mihi profecto neque haec, neque vlla alia vide-
 tur esse satis firma ratio, quamobrem quod ex
 membranis adfertur, prae vulgato spernere ac re-
 pudiare velim vel debeam. Immo vero etiam
 multo probabilius mihi est, fuisse hanc Clodii
 sororem eodem, quo ceterae, non autem Teren-
 tio quodam patre natam, et scripsisse Plutarchum
Τερτίαν potius, quam *Τερεντίαν*. Nam nullo pror-
 sus auctorum testimonio probatur, illa Clodiae
 et Terentiae gentis, quae per Clodiorum matrem
 utique, Terentiae prius, dein Clodiae, innuptam,
 facta esse deberet, coniunctio, si Marcii vxor Clo-
 diorum vterina fuisset soror, quod, si germana
 non fuit, solum, vt superius ostendi, superest.
 Praeterea Cic. de Harusp. resp. cap. 20. Clodium
in domesticis Germanitatis stupris volutatum arguit.
 Multo etiam verisimilius *Τερτίαν* vel oscitantia
 scribarum, vel audacia sciolorum mutatum esse in
Τερεντίαν, quam contra, quoniam hoc longe vulga-
 rius,

rius et notissima apud Romanos gentis fuit nomen, illud adeo ignotum inter nomina propria, ut etiam nunc a doctissimis huius seculi viris ex illorum numero, usu, et natura expellatur, censentibus nullam a scriptoribus *Tertiam* vocari, nisi quae reuera ordine et aetate fuerit tertia. Atque ita apud Valer. Max. I. 5. 3. ubi de L. Paulo agitur, pro eo quod vere et recte editur ac in plerisque membranis exaratum reperitur, *filiolam suam nomine Tertiam*, in quibusdam tamen ego inveni nomine *Terentiam*. Et similiter alibi, pessime quidem, sed quo perspicue patet, quam obnoxium fuerit huic corruptelae illud nomen: quod vel maxime fuit in illo Plutarchi loco, quippe in quo *Terentiae* nomen in proxime superioribus saepius praecefferat, facta mentione *Terentiae*, quae Ciceronis erat vxor. De Varrone vero quid dicemus, qui aperte duas tantum Clodiiis sorores tribuere videtur? Nihil profecto esset mirandum, si oblitus fuisset, et fuisse diceretur tertiae sororis, vel eam ignorasset omnium primam forte mortuam, quandoquidem ista scripsit octuagesimo demum aetatis anno, sexto vel septimo post proscriptionem triumviralem, quo tempore dudum iam defuncti erant omnes Clodii, et Clodiarum mariti. Nam et in seqq. hoc ipso capite idem Varro parum accurate Merulam inducit commemorantem Appio, quasi iam facta, quae aliquandiu post illud tempus, quo habitus hic inter illos de re rustica sermo fingitur, immo forte post Appii mortem acciderunt, qui, quum Varro Hispaniae vltiori Legatus Cn. Pompeii praefuit, de qua re loquitur ibi Merula. Achaiae eo ipso pene tempore, certe belli ciuilis initio praefuit. Non tamen hoc in negotio decurrere eo volumus. Neque necesse

est, si statuamus hanc Martii vxorem fuisse omnium fratrum et sororum ordine aetatis primam collocatamque a parentibus adhuc viuis Q. Marcio Regi, qui vndecimo anno post patrem mulieris fuit Consul, decimo quarto ante Appium fratrum eius natu maximum, octauo ante Metellum Celestem, cui altera maiorum Clodii sororum nupsit. Nihil sane huic sententiae obstat: immo aliquantum etiam firmat eam, quod Marcii illa vxor ex omnibus sororibus parcellime obiicitur Clodio, tanquam vel aetate ceteris prouectior, vel iam tunc, quum Cicero toties cum Pulchello, vt ait, rixaretur, vna cum marito suo, qui certe ante Ciceronis exilium decessit, fato functa; si ita, recte dictum apud Varronem ab Appio, se relictum a parentibus pauperem *cum duabus sororibus*, scil. inuuptis, quae mortuo patre, ad suam, vt praecipui fratris, curam pertinebant, quas ipse in matrimonium dare et quibus dotem ex hereditate paterna constituere debebat. At prior illa, quam a viuo patre collocatam censemus, quia dotem suam iam habebat, ideoque ex more tunc temporis adhuc vsitato nihil amplius, vt satis superque nuper in dissertatione nostra de Lege Voconia demonstrauius, ex hereditate paterna poterat postulare vel consequi, recte hic ab Appio veluti extraria quodammodo et aliena respectu hereditatis et familiae paternae, ex qua in aliam innubendo, accepta sua dote, iam exierat, segregari a reliquis, vel potius in fratrum et sororum enumeratione omitti et excludi potuit. Nam fratrum ille et sororum facit mentionem, tantum ad declarandam hereditatis a parentibus relictae tenuitatem, vt ex qua aequa secum pars deberetur duobus fratribus, et dos duabus adhuc sororibus,

ribus, atque adeo loquitur de iis tantum fororibus, quibus ex ea hereditate dotem a se constitui et dari adhuc oportebat; id quod apparet etiam ex eo, quod subiungit statim, earum quae supererant *alteram sine dote Lucullo*, quippe diuiti et feni, se *dedisse*, et eo facto, tunc primum mulsum domi suae bibisse. His ita expositis, et omnibus inter se hoc modo conciliatis, nulla, opinor, superest difficultas, quamobrem P. Clodio tres sorores germanae amplius negentur, aut illa Q. Marcii vxor *Tertia Clodia* pro patrueli, vel confobrina, quod volebat Manutius, vel etiam veterina Clodii sorore habeatur.

Eandem operam, et multo etiam certiolem dabimus Octauiano Caesari, homini, quamdiu Triumuir Rempublicam tenuit, quippe in qua potestate et ipse optimos quosque ciues proscripsit, et proposito sceleris auctoramento occidi curauit, non minoribus, quam superiores, execrationibus digno. Certum est habuisse illum duas sorores, Octauiam Maiorem, et Minorem, hanc Atia, eadem qua ipse, illam Ancharia matre natam. De alterius matrimonio et prole nihil legimus: altera primum C. Marcello Consuli an. 703. dein M. Antonio nupsit: ex utroque etiam liberos peperit, ac apud Historicos illorum temporum frequentissime occurrit, vnico *Octaviae* nomine simpliciter designata. Guil. Xylander vir optimus et doctissimus suis ad Dionem notis Stemma Augusteum subiecit, inque eo celebrem hanc Octauiam ponit tanquam Augusti sororem *ὀκταυαγία*, Atia, quam male, non sua tamen, sed illorum temporum culpa *Acciam* vocat, matre natam. Dionis sui auctoritate, de qua mox, subnixum arbitror. At alii viri profecto summi, Ant. Augustinus in Famil. Octa-

uia, Iustus Lipsius in suo item Augustae domus stemmate, quod notis ad Tacitum adiunxit, tum illi, qui ex nummis Caesarum effigies, nomina et honores nobis exhibuere, Xylandrianae sententiae negligentia, an ignorantia, Octauiam Maiorem, Ancharia matre genitam fuisse illam Marcello et Antonio nuptam sine vlla haesitatione adfirmant. Et vt putem scientes ac prudentes a Xylandro recessisse, facit Plutarchus, qui in Antonio, vbi de adfinitate inter eum et Octau. Caesarem per hanc sororem contracta agit, disertissimis verbis idem tradit, latino sermone hic a me bona fide redditis: *Octauia soror erat Caesaris (Octauiani) maior quidem, sed non ex eadem matre. Nata enim fuerat ex Ancharia, ille vero postea ex Atia. Amabat autem vehementissime hanc sororem, vtpote mulierem prorsus admirandam. Ea C. Marcelli, qui uxorem illam habuerat, non diu tunc mortui, erat vidua. Quid volumus amplius? Nam quis dubitare iam ausit de veritate rei tam multis, tam plane et constanter a tanti nominis historico expositae, aut errasse eum suspicari in matre clarissimae omnium feminae, Augusti sororis, et trium praeterea Imperatorum per filias progenitricis commemoranda, et a fratris matre distinguenda tam velut ex professo immorantem? Tamen ego et Plutarchum, et viros doctissimos, qui eum sequuntur, erroris hoc in negotio arguere nihil vereor. Testatur primum contra eos Suetonius in Caes. c. 27. dicens Iulium Caesarem ad retinendam Pompeii necessitudinem ac voluntatem, Octauiam sororis suae neptem, quae C. Marcello nupta erat, conditionem (h. e. uxorem in matrimonium) ei detulisse. Si Iulii Caesaris sorori neptis fuit haec Octauia, C. Marcello tunc nupta, matrem omnino habuit, non Anchariam,*

riam, Caesari nullo cognationis vinculo iunctam, sed Atiam, quae, ut idem in Aug. c. 4. *M. Atio Balbo, et Iulia sorore C. Caesaris genita est.* Accedit Dio, qui lib. XLI. C. Marcellum opera Pompeii Consulem factum dicit, quoniam C. Caesaris erat inimicus, *quamuis illi affinitate coniunctus; ἐπειδὴ τῷ Κεῖσαρι, καίπερ ἐξ ἐπιγαμίας προσήκων, ἐχθρὸς ἦν.* Nempe vxoris eius magnus auunculus erat Caesar. Sed quae tam certa ratio, dices forsitan, cur his potius quam Plutarcho fidem haberi oporteat, aut horum testimonio illius auctoritatem duci labefactatam penitus et abiectam? Ne dubites ergo amplius, audi Ciceronem, qui Octauiam et eius matrem, harumque maritos vidit et familiariter nouit, ideoque vnus sufficit ad confutandum Chaeronensem, fidemque ei in rebus Romanis illius temporis derogandam. Is itaque cum a M. Antonio ignobilitas Octauiano Caesari esset exprobrata, et inprimis *Aricina mater* (nam Atia paterna stirpe erat Aricina V. Sueton. Aug. c. 4.) multis ea de re Antonio repositis subiecit tandem Philipp. III. 6. *Sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam vxorem, C. Marcellus, qui Aricinae filiam, quos certe scio dignitatis optimarum feminarum non poenitere.* Sciendum dici haec in Senatu non solum viuis Octauia et eius matre, sed etiam praesentibus earum maritis C. Marcello et L. Philippo. Huius enim *Aricina vxor* erat ipsa Atia Octauiani mater, quae illi post mortem prioris viri C. Octauii nupserat, ut ex Cicerone, Suetonio, Paterculo, Appiano et ipso Plutarcho constat. Istius ergo *Aricinae filia* fuit, si qua fides Ciceroni, non Anchariae, atque adeo Octau. Caesaris soror *ὁμομητρία*, Octauia illa, quae C. Marcelli primum, dein M. Antonii fuit vxor.

Nam

Nam eandem, quam C. Marcellus in matrimonio habuit, viduamque genitis ex ea duabus filiabus, et vnico filio M. Marcello reliquit, post illius obitum a fratre collocatam M. Antonio ad firmandam inter eos ista coniunctione concordiam omnium consensu traditur. Mirifice tamen hic turbat clariss. Tristanus Tomo I. p. 53. 54. Existimat, quia Seneca in Consolatione ad Marciam refert, Octauiam post Marcelli filii sui mortem adeo auferri se passam dolore et luctu, vt nullum vnquam fecerit finem flendi, tenebrisque ac solitudini per omnem deinceps vitam se damnarit, hanc Marcelli matrem tam deditam ex illo tempore tristitiae, non fuisse illam, quam Augustus tanto opere dilexerit, quamque Antonius vxorem *postea* duxerit; atque hoc etiam argumento errare scriptores putat, qui vniam eandemque Octauiam Marcello et Antonio nuptam velint; nisi forte, quia Plutarchus aperte tradat, Octauiam Antonii antea in coniugio fuisse C. Marcelli, vtraque Octauia, Maior et Minor, nupta fuerit Marcellis Marco et Gaio, et Marci fuerit vxor, quae filium lugendo modum excefferit, Gaii, quae postea Antonio nupsit. Profecto pessime sibi et disciplinis humanioribus consulunt, qui tam incertas coniecturas, ex vnus libri vel loci lectione animo forte oblatas, continuo pro veris arripiunt, et iiteratae posteritati obtrudunt. Omnis illa argumentatio concidit, animaduerso hoc vno, quod nemo negare potest, M. Marcellum Octauiae filium mortuum esse non ante secundas matris suae nuptias, sed diu post etiam secundi illius coniugii diuortium, immo post M. Antonii secundi mariti necem. Nupsit Antonio praegnans adhuc ex priore viro C. Marcello, et intra decem menses ab eius obitu, vt diferte Plutarchus et alii, Cn. Domitio Caluino,

Caluinō, et C. Afinio Pollione Coss. an. V. C. 713. defunctus est filius, a cuius luctu nullis illa solatiis auocari potuit fratre Augusto XI. et Cn. Calp. Pisone Coss. an. 730. quum iam septem annis ante Antonius victus ad Actium vitae suae vim intulisset. Vides, Lector, quam non potuerit, temporis habita ratione, dolor amissi filii a Seneca memoratus matris Octaviae connubium cum M. Antonio impedire, et quam facile hunc tam insignem tamque multiplicem errorem, dum veteres temere erroris inculsat, cauere potuisset Tristanus.

Verum his iam missis, tandem M. Lepido quoque Octavianiani in Triumviratu collegae, suum restituamus germanum item fratrem, quemque illē in feralem proscriptionis tabulam vel ipse retulit, vel potius a collegis suis referri passus est. Hoc hominis detestabile scelus, quo solo, si alia abessent, commēruīt, vt a nobis inter perditos et perniciosos Urbis R. ciues collocetur, licet omnes fere illo tempore memoriae prodiderint, et frater ipse gestis quoque summis Magistratibus fuerit satis celebris, tamen in ostendendo eo hodie viros doctissimos atque in historia R. versatissimos pariter fere, quamuis diuersimode, errasse, et patrem filiumque confudisse probare nunc conabimur, et ita simul istum nodum in re clarissima, ac gente nobilissima soluere atque expedire. Paulus Manutius ad epistolas Ciceronis, vbicunque mentio fit *L. Pauli*, consulis cum C. Marcello, fratrem eum fuisse Lepidi Triumviri, et ab eo proscriptum, recte quidem, mea sententia, sed solus dicit. Nam ceteri, quotquot vidi, Augustinus, Onufrius, Ursinus, Pighius, Rupertus in alia omnia abeunt. Plerique Paulum Lepidum

Censo-

Censorem, fratrem illum Triumviri esse sine vlla dubitatione affirmant, inducti haud dubie a Dione, qui lib. LIV. initio hunc ipsum Censorem *proscriptum* fuisse diserte testatur. Sed tamen cum is in fragmentis Capitolinis L. F. M. N. Triumvir vero M. F. Q. N. dicatur, adeoque diuersorum illi patrum manifeste statuuntur filii, Onufrius quidem ex eo in Fastis ad annum DCCXXXII. Censorem Triumviri fratrem fuisse negat, Dionemque, qui id scripserit, erroris accusat, alium autem illius loco, nescio quem, Paulum Aemilium Lepidum, fratrem Triumviri nobis obtrudit, Consulemque facit anno DCCXXXII. inque eo consentientem habet Augustinum in familiis. Nempe quum sciret Paulum Aemilium Lepidum, eum ipsum omnium consensu, qui postea Censor fuit, in Fastis Municipalibus Apiani Consulem suffectum scribi anno, vltra septingentesimum, XIX. vel iuxta Onufrium XX, cuius initio consules ordinarii fuere M. Antonius, eoque statim abdicante, L. Sempronius Atratinus, et L. Scribonius Libo; atque ipse legisset apud Dionem lib. XLIX. alium, vt putabat; Paulum Aemilium Lepidum, duobus annis post Consulem suffectum, cupide id arripuit, ac quasi diuersi essent, vt fratrem Triumviri reperisse videretur, hunc quoque anno XXI. vel XXII. consulem fecit, non, vt illum anni XIX. L. F. M. N. sed vt Triumvirum, M. F. Q. N. cetera cognominem plane superiori. Qua in re valde miror qui factum fuerit, vt etiam in Fastos Sigonii vltimae editionis irreperit nouus ille et nuper demum renunciatus consul, quum in commentariis eius ne verbum quidem de illo, sicuti de ceteris ordinariis et suffectis eius anni, reperiam, Dionisque auctoritatem suo loco ad prioris et veri Pauli
Lepidi

Lepidi consulatum anno XIX. recte relatam videam. Certe vel Onufrius vel Augustinus, vel quicumque eius commenti primus fuit auctor, Dioni parum accurate attendit. Etenim ille expositurus res gestas Consulatus Libonis et Atratini, multis eo anno refert, quomodo Antonius regem Armeniae Artavasden data fide illectum in castra sua catenis vinxerit, et subacta dein Armenia in triumpho duxerit Alexandriam, ac ibi suis et Cleopatrae liberis illud atque alia Orientis regna diuiserit: nec ea modo Alexandriae egerit, sed et Romam perscripserit, ut illic rata haberentur: litteras tamen eius publice in Senatu non fuisse recitatas, quoniam Domitius et Sotius, qui tunc quum Romam eae essent perlatae, Consulatum iam occeperant, et Antonio maxime fauebant, id fieri non paterentur, quia Antonio indignas, et indecoras Romano duci censerent. Haec cum omnia coniunctim narrando persecutus esset, pergit ad alia istius anni, in quo versabatur, Consulatum scilicet Atratini et Libonis, et inter cetera *porticum Pauli tunc quoque ab Aemilio Lepido Paulo aedificatam et in consulatu suo, quem in parte eius anni gesserit, dedicatam* scribit. Ea viri doctissimi retulerunt magna sane negligentia ad annum Consulatus Domitii et Sotii, quia eorum mentio proxime praecesserat, non animaduertentes voluisse historicum sine interruptione referre omnia, quae Antonius in rebus ad Armeniam pertinentibus duobus tribusue annis gesserat a Coss. Atratino et Libone usque ad Domitium et Sotium, quorum in consulatu demum illius litterae, de subacta iam Armenia ex Aegypto datae, Romam peruenerint: eadem ratione qua Sisenna se usum profitetur apud Gell. XII. 15. *Nos vna aestate in Asia et Graecia*
gesta

gesta idcirco literis continentia mandauimus, ne uellicatim aut saltuatim scribendo lectorum animos impediremus. Deinceps uero redisse Dionem ad Consulés L. Atratinum et L. Libonem, quorum in anni parte Paulus Aemilius Lepidus et ipse Consul fuit; adeoque nullo modo discrepare a Fastis Municipalibus Apiani, qui idem produnt. Patet illud ex eo clarissime, quod postea demum in extremis huius libri agit auctor de Caesare Augusto II. et L. Volcatio Tullo Coss. quos alioqui praeteriisset, utpote quum illi, non uero Domitius et Sosius, proxime post Atratinum et Libonem Romae summum tenuerint magistratum: ipsum uero Domitii et Sosii consulatum, resque plurimas eo anno, quippe quo coepit bellum Actiacum inter Antonium et Augustum, gestas, libro demum sequente, qui est quinquagesimus, exponit. Faceſſat itaque *ὑποβόλα, uocēos* iste Consul et frater Triumuir *Paulus Aemilius M. F. Q. N. Lepidus* ex Fastis Sigonii et Onufrii ac familiis Augustini, ignoratus etiam antiquis Apiani municipalibus Fastis, in quibus tamen illorum temporum, et eius ipsius anni non ordinarii modo, sed et suffecti Consules accurate adnotati leguntur, neque de alio quoquam loqui Dionem existimemus, quam de eo, qui postea Cenſor fuit.

Vulgarior et recepta magis ſententia eſt eorum, qui eum ipſum Cenſorem Triumuir fratrem fuiſſe adſeuerant, et adoptionem aliquam interceſſiſſe coniiiciunt. Pighio ad Ann. DCCXIX. *adoptatus* uidetur eſſe in Lepidorum familiam ex Paulis, idque inſinuare cognomen uetuſtum, Paulus, in praenomen mutatum, per illam adoptionem, ſcilicet quia nomen gentilitium, quod in naturali et adoptiuo patre idem eſſet, mutare non potuerit. In quo
infelici-

infeliciter praeuntem sequitur Vrsinum, qui et ipse in familiis suis *Paulum Lepidum Triumviri fratrem, adoptatum a patre M. Lepidi Triumviri et ex Aemilio Paulo, Paulum Aemilium Lepidum dictum* censet. Immo tam peruulgata iam diu inter eruditos fuit haec opinio, ut etiam, quia Lepidus Paulum fratrem proscripsit, et L. quoque Munatius Plancus apud Triumviros perfecit, ut suus item frater proscriberetur, et idcirco inter iocos militares ab iis, qui illorum hoc proscriptionis factae anno triumphantium currum sunt secuti, usurpatus fuit hic versus *de Germanis, non de Gallis duo triumphant Consules*, ut etiam, inquam, clariss. Rutgerius Var. Lect. l. IX. hinc observaerit, probante Boeclero ad Velleium, adoptiuos quoque fratres dici *Germanos*, quandoquidem Paulus Lepidus, alter eorum, qui in illo versu designantur, adoptione solummodo fuerit M. Lepidi frater. Sed cogitasse debuissent viri doctissimi, qui in hac sunt sententia, id quod Onufrium de illa deduxisse videtur, Censorem in marmore Capitolino, cuius fides et testimonium in dubium vocari nequit, scribi *L. Fil. M. Nepotem*, quum si a patre Triumviri adoptatus fuisset, necessario aequae ac ipse Triumvir statuendus esset *M. Filius, Quinti Nepos*. Adde quod rarissime et forte nunquam in libera Rep. alium quis adoptavit, qui ipse naturalem habuit filium. Miror profecto, quum a Freinshemio ad Florum III. 21. 27. video ad probandum, huiusmodi adoptiones more Romano non fuisse insolitas, adferri exemplum Claudii, qui Britannico ex se genito fratrem Neronem adoptione iunxerit. Nam ille quidem non parum propterea fuit *reprehensus*, ut diserte Suetonius cap. 39. *quod adulto iam filio priuignum adoptaret.*

Vnde et Dio lib. LX. notat, eum persuasum ab Agrippina id fecisse, καὶ τοὶ παῖδες ἔχοντι quamuis liberos haberet. Sic et Tiberius filium sibi adsciuit Germanicum, quum ipsi itidem naturalis esset Drusus, neququam tamen sua sponte, sed coactus, (Suet. Tib. c. 15.) ab Augusto, qui postquam illi a se adoptato Tribuniciam potestatem dedisset, veritus, ne bis elatus, aliquando novis rebus stude-
ret, Germanicum ei fratris filium adoptandum dedit καὶ τοὶ καὶ αὐτῷ υἱὸν ἔχοντι, quamuis et ipse proprium filium haberet, vt idem Dio ait l. LV. Quomodo et Tac. Ann. I. 3. Germanicum adsciri per adoptionem a Tiberio iussit, quanquam esset in domo Tiberii filius iuuenis. Nihil clarius, nihilque aptius ad hanc rem verbis Ciceronis, quibus ille Clodium adoptatum nullo iure, ab eo, qui minor erat natu, et ipse liberos sustulerat, exagitat in orat. pro Domo cap. 13. *Liberorumne causa?* scil. adoptauit te: *At procreare potest, habet uxorem, suscepit etiam liberos, exheredabit igitur pater filium?* et cap. 14. *Causa quaeri solet adoptandi (a Pontificibus) vt is adoptet, qui, quod natura iam assequi non potest, et legitimo et pontificio iure quaerat.* Licita tamen fuit, praesertim si quae allegari posset probabilis causa, huiusmodi adoptio apud Romanos, quamuis Vlpianus suo tempore videndum adhuc dicat, *an non debeat permitti ei, qui vel vnum habebit vel plures liberos adoptare alium* l. 17. Dig. de Adopt. Apud Athenienses vero ad naturalem filium per adoptionem adsciscere alium, et ita in familiae et hereditatis partem vocare permissum non erat. Atque hinc apud Isaeum orat. IX. p. 552. Aristarchi cuiusdam ex filia nepos ex eo, quod auus suus, cum moreretur, naturalem habuerat filium, concludit, non adoptatum ab eo alium, *nam cum esset*

esset illi, inquit, naturalis filius Demochares, neque voluit illud facere, neque licuit ei bona sua dare alteri. h. e. adoptivum adsciscere filium, ut diserte auctor argumenti eius orationis: ὁ πατήρ υἱὸν ἔχων γνήσιον τὸν Δημοχάρην, ἐκ ἐδύνατο θετὸν ἑαυτῷ ποιῆσαι παῖδα. Iam vero pater Triumviri tantum habuit filiorum, quum viueret, ut etiam in adoptionem aliis daret, nedum ut ipse per adoptionem quaerere liberos vellet vel deberet.

Etenim consentiunt omnes patrem illius fuisse M. Lepidum Q. F. qui Consul fuit cum Q. Catulo, et bellum civile, sed quod brevi et in ortu suo oppressum est, excitavit, quum Sullae acta rescindere tentaret. Is autem non modo uxorem mortis suae tempore adhuc habuit, quippe propter quam, quum ex epistola quadam ad se delata adulteram comperisset, ex animi moerore in morbum implicatus, diem suum in Sardinia obiit, ut narrat Plutarch. in Pompeio: sed filium quoque, quem in adoptionem dederat Scipioni cuidam, forte L. Asiatico Consulari, Marianae partis homini et paulo ante in pugna contra Sullanos amiserat. Docuit id me Orosius lib. V. c. 22. *Ibi tunc Scipio Lepidi filius captus et occisus est.* Eodem plane modo, quo Africanus posterior saepe *Scipio Pauli filius* veteribus dicitur. Rupertus denique aliam nobis adoptionem fingit ad Pompon. de orig. iur. §. 2. et in epist. LX. ad Reines. Existimat enim Censorem fuisse fratrem naturalem Triumviri, sed a L. Paulo adoptatum, et idcirco post adoptionem primo *L. Aemilium Paulum Lepidum*, deinde *Paulum Aemilium Lepidum* dictum. Ita habemus tandem excogitatam humano ingenio rationem, quae, quo pacto fratres illi esse, non obstante diverso

I 2

familiae

familiae nomine potuerint, verisimiliter quidem declarat, nihil tamen veri continet.

Enimuero de adoptione, de qua nihil profus apud veteres legitur, quae dicuntur omnia, mera sunt commenta. Quid autem opus commentis illis nulla plane auctoritate subnixis? Nam quis veterum fratres illos esse dixit, propter quod vnum has adoptiones nunc fabricantur, immo quid est tandem, vnde certo constet, quod illi pro tam certo ponunt et affirmant, proscriptum illum Triumviri fratrem fuisse Paulum Lepidum? Sane ego contra apud veteres multa reperisse me arbitror, quae alium fuisse declarent. Quae hic eo diligentius proferam, quo in maiore sunt existimatione magno suo merito viri praeclari, a quorum inueterata iam auctoritate, quae etiam huius temporis doctissimos homines in eandem detulit opinionem, recedo. Equidem omnino existimo, fratrem Triumviri et Censorem, non vnum fuisse hominem, sed diuersos, imo patrem fuisse et filium; atque adeo L. Paulum Consulem an. DCCIII. qui quibus ortus sit maioribus, plane ignorant viri docti, fuisse fratrem illum M. Lepidi Triumviri, eundemque patrem naturalem Pauli Lepidi Censoris, quem Rupertus ab illo adoptatum putabat. Etenim Consul ille et Triumvir, quos fratres dico, vterque Marci filius fuit. De Triumviro constat, ex fragmentis Capitolinis. L. Paulum Dionis I. XL. index Consulum *Λ. Αιμίλιον Μάρκου υἱόν Παύλου* nominat, eiusque ex nostra sententia filium, Paulum Lepidum Capitolina fragmenta anno Censurae eius *Lucii Filium Marci Nepotem* dicunt. Praeterea diuersimode semper ipsi scriptores proscriptum fratrem et Censorem appellant, vt diuersos etiam esse satis inde pateat: atque illum qui-
dem

dém plerique *L. Paulum*, nemo *Paulum Lepidum*, hunc *Paulum Lepidum*, nemo *L. Paulum* nominat. Liuii Epit. 120. *In qua proscriptione CXXX. Senatorum nomina fuerunt, et inter eos L. Pauli, fratris M. Lepidi.* Florus IV. 6. *Quum Antonius L. Caesarem auunculum suum, Lepidus L. Paulum suum fratrem proscripserit; ex quo quis forte conieceret ex Velleio excidisse praenomen Pauli, qui similiter plane II. 67. Antonius L. Caesarem auunculum, Lepidus Paulum fratrem proscripserant.* Adde his Orosium VI. 18. *Lepidus L. Paulum fratrem suum in eundem proscriptorum gregem coniecerat: ex Graecis Plutarch. in Anton. et Appianus solummodo Paulum vocant: at Dio. I. XLVII. p. 330. τῷ Λεπίδῳ ὁ ἀδελφὸς Λέκιος Πικύλος; qui ipse Censorem contra, non modo loco supra iam allegato. I. XLIX. Aemilium Lepidum Paulum, sed et I. LIV. Paulum Aemilium Lepidum nominat, quemadmodum Fasti quoque municipales et Tabula Colotiana, ubi *Paul. Aemilius* dicitur, omisso, sicuti ibi fit in plerisque, cognomine; quod tamen superest in fragmentis Capitolinis, in quibus contra praenomen periit . . . MILIVS. L. F. M. N. LEPID. Contra hanc tam constantem appellationis diuersitatem nihil habent, quod opponant viri docti, nisi quod factam fuisse mutationem nominis coniciunt. Necessesse itaque esset contigisse eam post proscriptionem, quoniam post eam demum aliter appellatur, quam ante constanter prorsus appellatus fuerat. At quae homini iam magno natu potuit fuisse causa mutandi hunc in modum nominis? Fuerit sane Paulus Aemilius Lepidus Censor in pueritia vocitatus *L. Aemilius Paulus Lepidus*, quod nec affirmare, nec negare plane velim, certum mihi est, si ita fuerit, etiam in pueritia,*

ritia, vel in sumenda virili toga altero illo modo vocari esse coeptum, sicuti *Pater Claudii Caesaris Drusus, olim Decimus, MOX Nero praenomine fuit* (Suet. Claud. c. 1.) h. e. olim *D. Claudius Nero Drusus, mox Nero Claudius Drusus* eadem, qua forte Paulus Lepidus, nominum mutatione, dictus. Et si maxime ille iam grandior natu prius abiecisset nomen, non tamen ita constanter auctores deinceps omisso eo, quo ante posteritati eum tradiderant, quodque inualuerat iam in ore populi, nouum in illo nominando fuissent sequuti, sed promiscue modo hoc modo illud, quo maxime iam cognitus fuerat, vsurpassent, quemadmodum fit in iis, qui prouectiores aetate adoptantur. Cicero Atticum suum post adoptionem illius multo saepius *T. Pomponium*, quam *Q. Caecilium* vocat, quamuis hoc tunc temporis verum ipsius esset nomen, quod proinde et liberti eius tulerunt; idem Brutum in vna ac breui oratione, qua illum in Senatu laudat, primum antiquo nomine semper *M. Brutum* dicit, at quum iam ipsam sententiam profert, in quam Senatus-Consultum fieri volebat, *Q. Caepionem Brutum*, vti ex adoptione appellari iam coeperat et debebat: causa eius rei non alia erat, quam quod non ita facile ex ore populi eximi poterat nomen illud, quo illos semper antea ex quo in viros transierant, seque in forum contulerant, appellare consueuerat. Pighius huiusce rei causam adoptioni adscribit, et nouam mutandi in ea nominiis rationem nobis fingit. *Non insolens, inquit ad Ann. DCCXLII. tum temporis veteris familiae cognomen notae casu in praenomine illius mutare qui adoptatus esset. Sic Paulus Fabius ex Aemilia Paulorum in Fabiam gentem transiens, adoptatus a Q. Fabio Maximo Consulari, ni fallor, et triumphali,*

phali, prius illud suum cognomen mutasse in praenomen videtur. Similiter et Pauli huius Lepidi adoptionem significare illi videtur cognomen Paulus in praenomen mutatum. Quod si ex solo Pauli praenomine ita statuendum, ut censet Pighius, fuerint ergo ex Paulorum etiam familia, adoptati Paulus Virginius Rufus *Cof. an. V. C. 815. et plebeii homines Paulus Aebutius Parthenius Galbae tempore in lapide 4. p. 198. apud Gruter. Paulus Aelius Quintus 6. p. 1109. Paulus Aufidius P. F. 1. p. 396. Paula Valeria Triarii soror D. Bruti vxor. Coepit imo tunc temporis illud, ut multa alia cognomina, loco praenominis vsurpari, quia illustres homines vulgaria iam fastidiebant praenomina, eosque statim, ut solent, imitabantur humiliores. Paulus Fabius fuit reuera naturalis filius Q. Fabii, qui cur hoc praenomen illi filio suo imposuerit, in seqq. docebo. De adoptione vtriusque tam Fabii quam Lepidi vanissima est coniectura, nec inueniet quisquam inter plurimos, quos scimus illo tempore adoptatos, (quales praeter ipsos Imperatores Augustum, Tiberium et Neronem, L. Licinius Muraena Varro, qui in Augustum conspirauit, A. Licinius Nerua Silianus filius P. Sili Nernae Consulis anno 730. qui et ipse adoptatus fuit. Q. Metellus Creticus Silanus Cof. An. V. 756. L. Iunius Annaeus Gallio frater Senecae, M. Licinius Crassus Frugi, ex Pisonum familia, in quam iterum filius eius est adoptatus L. Piso Frugi Licinianus, quem postea Galba quoque noua adoptione in suum nomen et gentem adsciuit) non inueniet puto quisquam vllum, qui post adoptionem antiquum familiae cognomen pro praenomine vsurpauerit. Praenomen enim ab adoptiuo patre semper accipiebant, qui tamen, si vellet, poterat*

illis relinquere id, quod iam ante habebant, sicuti reliquit Augustus Tiberio.

Vnum forte mihi quis opponet *Germanicum Caesarem*, qui adoptatus a Tiberio, ita in libris, lapidibus et nummis scribitur; quali sane *Germanicus* illi fuisset praenomen, quod tamen patri eius naturali a Senatu datum pro cognomine constat. Sed sciendum non transiisse nouum hoc cognomen a patre ad omnes eius liberos, tanquam commune familiae cognomen, sed fuisse ex Drusi liberis vnus primogeniti veluti proprium nomen. Plutarch. Anton. extr. ἐκ τέτρων (Druso et Antonia) ἐγένετο Γερμανικὸς καὶ Κλαύδιος. Sueton. Claud. cap. 1. de Druso: *Tres omnino reliquit (liberos) Germanicum, Liuillam et Claudium* ideoque Claudius iste, non ante, quam illo *fratre maiore in Iuliam familiam adoptato, Germanici cognomen assumpsit* ibid. Hoc ipsi tam proprium, vt quo nemo alius in tota vrbe appellabatur, tamque honorificum nomen, quid mirum, si locum, forte etiam ante adoptionem, occupauerit praenominis, quod reuera semper vsque ad illa fere tempora natura sua maxime proprium fuerat Romanorum nomen, quo singuli homines et domestici inter se distinguebantur? Similiter et Germanici naturalibus filiis praenomina et propria nomina erant *Nero* et *Drusus*, quae auo et proauo eorum cognomina fuerant. Existimo tamen aliud Germanico fuisse et vlitatum vulgo praenomen. Certe Occo vidisse ait nummum, in cuius vna parte legerit, Γάϊον Καίσαρα Γερμανικὸν Σεβαστὸν, in altera Γάϊον Γερμανικὸν Καίσαρα. Manifestum est designari Caligulam cum patre Germanico, qui in multis quoque aliis nummis coniuncti reperiuntur, et habuisse proinde Germanicum praenomen *Gaii*, quod haud dubie illi vel pater

pater naturalis Drusus, vel adoptivus Tiberius imposuit in honorem Augusti, cuius id erat; quemadmodum Claudius adoptans Neronem, eum non suis, sed patris sui nominibus, *Neronem Claudium Drusum Germanicum* appellavit, vti constat ex lapidibus et nummis. Omittitur quidem plerumque in Germanico praenomen illud *Gaius*, non magis tamen, quam eiusdem gentilitium *Iulius*, quod item non facile occurreret cuiquam, quoniam scilicet nemo erat, qui, quis esset, ignoraret, quum solummodo *Germanicum Caesarem* audiret vel legeret. Privati tunc temporis multitudine nominum gaudebant, eaque longo ordine in lapidibus perscribebant. Non ita Caesares, qui pompam illam, quoniam privati iam ea delectabantur, minorem suo fastigio ferme ducebant, iisque tantum, saepe etiam in publicis monumentis, utebantur, quibus praecipue cognosci poterant. Augustus post victum Antonium vix unquam aliter, quam *Imp. Caesar Augustus*, etiam in Fastis, scribitur, omissis *Gaii* et *Iulii* et *Octavianii* nominibus. Domitiani, qui viuo patre, similiter, vt *Germanicus Caesar*, plerumque *Domitianus Caesar* tantum dicebatur, praenomen quis ex veteribus prodidit? Et tamen non erat id *Domitianus*, sed haud dubie *Titus*, itidem vt fratri et ceteris eius familiae, pro solenni tunc more fratres non amplius praenomine, sed cognomine, quod proinde etiam maxime proprium ex omnibus nominibus tunc esse et haberi coepit, distinguendi. Britannici quoque *Imp. Claudii filii* praenomen, neque in libris veterum, neque in numismatum marmorumue inscriptionibus, quae quidem editae sunt, usquam reperi, nisi apud unum Dionem qui lib. LX. p. 673. de eo: ὅς τότε μὲν Κλαύδιος Τιβέριος Γερμανικὸς, ὕπε-

ρον δὲ καὶ Βρεττανικὸς ἐπωνυμιάδη. At idem pag. 679. τῷ τε υἱεὶ αὐτοῦ τὴν αὐτὴν ἐπωνυμίαν ἐπέθεσαν, ὡς τε καὶ κυρίως τρόπον τινα Βρεττανικὸν αὐτὸν ὀνομαδῆναι: *filio eius idem cognomen (Britanici) imposuere, ut etiam proprie quodammodo Britannicus nominaretur.* Nempe ergo quia Britannici cognomen, ipsi vni proprium, ad eum indicandum sufficiebat, haec vera est causa, quare nunquam alibi, nec etiam in nummis, eius praenomen expressum fuerit; eademque eius rei erat et in Germanico, quoniam et ille praecipue eo solo nomine vulgo appellabatur et cognoscebatur. Nec mouere quem debet ordo, quo frequentius legitur *Germanicus Caesar*, quam *Caesar Germanicus*. Erat enim veteribus in more positum, si quando praenomen hominis non exprimerent, cognomen vltimum, quod plerumque erat quasi ἐπίθετον, praeponere nomini gentilitio. Ita saepius occurret Aemilianus Scipio, Octavianus Caesar, Marcellus Claudius, Macer Licinius, Bithynicus Pompeius, Caesoninus Piso, Marcellinus Lentulus, atque alia eiusmodi, quam contra. Certe apud Ciceronem recipere malim isto modo et ordine ter quaterue nomen cognomenque absque praenomine posita ostendere, quam altero semel. Eumque sequuntur fere Nepos et Liuius, et qui maxime elegantiae studuerunt; non item posteriores, Suetonius, Tacitus, eorumque aequales.

Sed redeamus ad Paulos patrem et filium, de quibus nostram confirmat sententiam aetas omnium proximorum. Triumvir primo statim post consullem L. Paulum anno Praetor, quarto post Consul fuit, at duodecimo ante Pauli Lepidi Consulatum, XX quarto ante eiusdem Censuram, ante quam etiam, et quidem XXII. annis, Antonio et
Dola-

Dolabella Coss. Triumviri Lepidi filio, vt tradit Dio l. XLIV. ext. Antonius suam filiam *συνήκισε*, *nuptum dedit*, sicuti vertitur. In quo tamen aut leuiter errauit Dio, aut ita intelligendus est, vt eam tunc solummodo desponderit Antonius, non vero nuptiis statim factis sponso collocatam traderit, quia haud dubie impuberes adhuc erant, et necdum nuptiis maturi. Patet id ex Appiano *Εμφυλ.* V. n. 726. vbi quum Augustus apud sororem suam accusaret Antonium maritum eius, quod libertum Calliam misisset ad Lepidum, vt cum eo clam foedus contra se iungeret, respundet Octauia, scire se, Calliam super nuptiis esse missum, *βεληθῆναι γὰρ Ἀντώνιον πρὸ τῶν Παρθυικῶν ἐκδεδοῦσθαι τὴν θυγατέρα τῷ παιδί Λεπίδᾳ, καθάπερ ὁμολόγητο;* *Velle enim Antonium ante Parthicam expeditionem filiam suam collocatam esse et nuptam filio Lepidi, quemadmodum conuenerat.* Dicuntur isthaec Agrippa et Caninio Coss. septimis post Antonium et Dolabellam. Illo igitur tempore Antoniam quamuis diu ante pactam et desponsam nondum duxerat Lepidus Iunior, et si modo tunc duxit, non diu tamen in matrimonio habuit: Quinto enim vel sexto abhinc anno Seruiliam ei vxorem tribuit Paterculus II. 88; cuius fides hac in re, vtcunque sit de ipso illo, quod ibidem refert, vere tragico miserandae mulieris facto, in dubium vocari non debuit a viris doctis, Lipsio, Vossio, sed imprimis Reinesio et Ruperto epist. 23. et praecipue 34. 35, qui omnes ex vno isto Dionis loco, ad conuellendam Velleii fidem, Antoniam Lepidi coniugem fuisse affirmant: Reuera enim illa tunc diem suum iam obiisse debuit, quippe quum Antonius, qui eodem tempore victus ab Augusto digna morte meritas poenas proscrip-

rum

rum ciuium manibus dedit, a Plutarcho dicatur, *prolem reliquisse, ex tribus vxoribus septem liberos.* Septem hi erant Antullus et Iulius ex Fuluia, Antoniae maior et minor ex Octauia, Prolomaeus, Alexander, et Cleopatra ex Cleopatra. Nulla habetur ratio, nulla mentio neque hic a Plutarcho, neque vsquam ab aliis post Antonii mortem, huius Antoniae, Lepidi coniugis, quam ille vel ex Antonia C. F. patrueli sua sorore, vel potius ex Fadia libertini filia, quas ante Fuluiam habuit vxores, et ex quarum posteriore certe etiam liberos sustulit, (Cic. ad Attic. XVI. 9. et Philipp. XIII. 10.) susceperat, et mortuam haud dubie ipse viuus adhuc extulerat. Fuit igitur Lepidi III. viri filius id aetatis, vt duceret vxorem, et quidem M. Antonii filiam natu maximam, XV. minimum annis ante Pauli Lepidi censuram, quum hic ipse Censor, quem vulgo patruum illius, et ipsius III. viri fratrem fuisse existimant, vxorem habuerit Corneliam Augusti Triumuirorum longe minimi natu priuignam, ex qua multos genuit liberos, et cui superstes factus, quamuis post censuram suam demum amiserit, ipse tamen ea adhuc erat aetate, vt Propert. IV. el. vlt. illam inducat communes liberos docentem, quomodo se gerere debeant erga nouercam, si quam a patre acciperent. Et sane vixisse adhuc videtur an. V. C. 756. quo Cn. Corn. Cinna Magnus Pompeii ex filia nepos insidias struxit Augusto, qui quum multum mutatus ab illo, qui olim fuerat, ignoscere vellet Cinnae, eumque leniter verbis castigaret, ita hominis dementiam arguisse legitur apud Senecam de Clem. 1. 9. *Cedo, si spes tuas solus impedio; Paulusne te, et Fabius Maximus, et Cossi, et Seruiliiferent, tantumque agmen nobilium, non inania nomina*

nomina praeserentium, sed eorum, qui imaginibus suis decori sunt? Non alium hic intelligo Paulum, quam Paulum Lepidum Censorium. Neque enim quisquam alius illo tempore solo Pauli nomine designaretur; neque eius filium L. Paulum primum nominaret Seneca, aetate utique et dignitate multo tunc minorem clarissimis illis et Consularibus viris ac praesertim Fabio Maximo. Haec omnia si quis considerauerit, non arbitror cuiquam verisimile visum iri, Paulum Lepidum, aetate aequalem, certe neutiquam multo maiorem Triumviri filio fratrem fuisse ipsius Triumviri, qui non modo et ipse aetate longe fuit prouectior, multoque propior L. Paulo, sed et patrem habuit mortuum iam anno V. C. 676. quinquagesimo quinto ante P. Lepidi Censuram, quem proinde illius non filium, sed nepotem fuisse credibilis utique est.

Ceterum quum Paulus Lepidus in matrimonio haberet eam, quae vnicae Augusti filiolae soror erat, nihil mirum hercle fuit, tam cito eum ad honores peruenisse, ut decimo sexto post patrem suum L. Paulum anno Consul, sed tamen inter suffectos, non ordinarios designatus fuerit, eo praesertim tempore, quo per bella ciuilia leges Annales non obseruabantur, et Triumviri oppressa Rep. honores dabant, quibus vellent. Quapropter leue prorsus est argumentum Pighii, quum ex hoc tam breui inter vtriusque Consulatum interiecto temporis spatio, non patrem et filium, sed fratres eos fuisse patruales colligit Ann. 719. Nonne enim similiter tunc temporis intra eundem plane annorum numerum anno 721. et 737. Consules fuere pater et filius Cn. et L. Domitii Ahenobarbi, ut plures alios taceam, qui ante suum seu legitimum

mum annum Consulatum tunc obtinuerunt. Probabiliter quoque ex eadem illa affinitate, etiamsi alia deessent argumenta, colligere possumus, hunc fuisse *Aemilium Paulum comitem* illum Augusti, de quo legimus apud Sueton. in Aug. c. 16. cuius verba, quoniam de alio perperam fuerunt intellecta, et sententiae quoque nostrae clarissime inferuiunt, adscribenda duxi: *Tunc etiam per deuios tramites refugientem Seruus Aemilii Pauli, comitis eius, dolens proscriptum olim ab eo patrem Paulum, et quasi occasione vltionis oblata, interficere conatus est.* Schotti errorem, qui, quasi Serui patrem, Paulum dixisset Suetonius, patrem, nullo modo legi posse censebat Obseru. III. 15. oblitus frequentissimo illa *Marius pater, Catulus pater*, et apud ipsum Suetonium *Silius vel Saluius pater, Octavius pater*, iam indicauit Berneccerus. Casaubonus suspicatur proscriptum illum patrem esse eum, cuius nomen in proscriptorum album refert, caedemque narrat Appianus l. IV. etsi illi tantum *Aemilius* dicatur. Ego vero nequaquam assentior viro doctissimo, vt qui prorsus existimem, nullos illo tempore fuisse Aemilios Paulos praeter Paulum hunc Lepidum, et eius patrem L. Paulum Consularem, cui id nomen non hereditarium, neque commune cum quoquam fuit, sed impositum a patre, vt in seqq. docebo, ad renouandam memoriam L. Pauli illius Macedonici, qui vltimus fuit istius nominis in illa gente. Aemilii vero fuerunt plures, vt solebant nobilissimarum gentium nomina variis de causis cum plurimis aliis communicari, et ad plebem transire. Sic *L. Aemilium Bucam* inuenio in nummis Quatuoruirum sub Caesare Dictatore et apud Appian. l. V. ἐμφυλ. *L. Aemilium*, forte eundem illum Bucam, captum tunc Perusiae inter

Anto-

Antonianos ab Augusto Caesare, et dimissum, quod iudex olim palam damnauerat C. Caesaris percussores: et C. *Aemilium* Duumvirum Capuae an. V. C. 720. in Fastis municipalibus. Eiusmodi aliquem fuisse etiam *Aemilium* illum, quem Appianus proscriptum et occisum narrat prorsus censeo. Nec enim hoc solo tam vulgari nomine eum appellasset, si fuisset vel Paulus, vel Lepidus quispiam. Quapropter quum non alius a Suetonio per *Aemilium Paulum* patris proscripti filium, et in illo itinere comitem Augusti intelligi potuisse videatur, quam qui adfinitate Caesaris et honorum dignitate vnus ex Aemilia gente tunc maxime florebat Paulus Lepidus, (huius enim filius L. Paulus, si modo iam tunc natus, certe eo tempore vix dum cunas reliquit). Clarissime hic locus sententiam nostram, qua Paulum Lepidum L. Pauli filium, atque hunc L. Paulum a Triumuiris proscriptum statuimus, confirmat, et ipse vicissim ex ea confirmatur.

At dicet aliquis, L. hunc Paulum, non ab Augusto, quod dicit isto loco Suetonius, sed ab ipso fratre suo proscriptum fuisse, idque testari Velleium, Florum, Orosium atque Appianum. Scio equidem id illos tradere, sed nec ignoro eosdem simul affirmare, etiam Antonium proscriptisse auunculum suum, cuius tamen ille necem, vt nemo ignorat, Octauiano concessit pactus pro eo sibi Ciceronis interitum. Nempe loquuntur ita auctores ad augendam inuidiam atrocissimi facinoris, et quia ipsi quodammodo proscriptis censerentur, quos in funestam illam et scele-ratam tabulam communi omnium Triumvirorum nomine propositam, referri a collegis suis passi sunt, idque volentes et lubentes tantum, vt et sibi liceret, quos maxime vellent, inimicos occidere.

dere. Quam nefandis pactionibus res inter eos sit gesta, multis narrat Dio lib. XLVII. sed magis ad institutum nostrum facit Plutarchus in Antonio, qui modo dictis scriptoribus commentarii loco esse potest: *Disceptatio de proscribendis plurimum illis negotii exhibuit, singulis suos inimicos tollere, seruare autem necessarios cupientibus. Sed tandem ab ira in eos, quos oderant, superari propinquorum reuerentiam, et amicorum beneuolentiam passi. Ciceronem quidem Antonio concessit Caesar, ipsi vero Antonius L. Caesarem auunculum suum. Permissum etiam Lepido est Paulum fratrem occidere; Alii vero dicunt, Paulum fratrem a Lepido concessum illis, mortem eius expetentibus. Nihil truculentius, neque crudelius illa permutatione existimo unquam factum. Permutando enim caedes caedibus, aequae occiderunt (NB.) quos alii concedebant proscribendos, atque eos, quos accipiebant: Iniquiores autem fuerunt in amicos, quos interfecerunt, quum odio non haberent. Permissam esse Lepido fratris proscriptionem, ineptum hercle est. Nec enim Paulus tam propinquus aut familiaris erat Antonio Caesariue, ut eum tueri contra fratrem eius vellent, aut ab iis mortem illius pacisci Lepidus necesse haberet, cui non minus licebat, quam collegis suis, proscribere quos vellet, eorum, qui sanguine aut amicitia illis coniuncti non erant. Verius itaque est, quod posteriore loco dicit Plutarchus, idque tum Suetonii verba, tum maxime Senecae patris Suafor VI. *Alter fratrem proscribi, alter auunculum PATITVR*: denique et res ipsa aperte confirmant. Fuit enim Paulus tunc temporis in partibus Reip. et missus est, a Senatu ad Sextum Pompeium in auxilium patriae euocandum, quae iusta satis visa est Caesari Octauiano causa eius proscribendi.*

scribendi. Sed dubitatum deinceps fuisse ea de re, atque ipsi Lepido tribuisse tantum scelus homines nihil ego miror, partim quia illius proscriptiois invidiam a se postea amoliri, quantum posset, studuit et ipse Augustus, et in eius iam dominantis gratiam ceteri omnes, partim quia reuera Lepidus fratrem suum odio habuit, ideoque non difficulter forte, nec inuitus in eius necem consensit. Cicero in epistolis posterioribus ad Brutum: *Lepidi tui necessarii (qui secundum fratrem adfines habet, quos oderit, proximos) leuitatem et inconstantiam* etc. Adfines eius erant Brutus et Cassius, quoniam alteram Bruti sororem in matrimonio habebat ipse, alteram Cassius. Eos autem post necem Caesaris, cui addictissimus erat, et maxime post coniunctionem cum Antonio odisse coepit, sed *Secundum*, id est post fratrem. Nihilominus inueteratum vel vehemens adeo non fuit fratris illud odium. Nam vix anno ante litteras ad Paulum, vt ad fratrem, ab eo datas reperio. Cic. ad Attic. XIV. 8. *Quod Iuniam (Lepidi vxorem) scribis moderate et amice scriptas litteras adtulisse, mihi Paulus dedit, ad se a fratre missas, quibus in extremis erat, sibi insidias fieri, se id certis auctoribus comperisse. Hoc nec mihi placebat, et multo illi (Paulo) minus.* Videmus hic Lepidum fratri praecipue aperuisse, quid contra se pararent clam inimici, quod certum vtique signum est mutuae beneuolentiae.

Quod vero *Paulum* hoc loco Cicero simpliciter vocat fratrem Lepidi, vt et epist. proxima superiore: *Postridie Idus Paulum in Caieta vidi*, etiam illud indicio mihi est, L. Paulum Consularem et amicum Ciceronis fuisse illum Lepidi fratrem, non Paulum Lepidum; hunc enim istis locis si

intellexisset, addidisset haud dubie, ut cognoscere-
 tur, distinctionis aliquam notam, nec hominem
 adhuc valde iuuenem, qualis tunc necessario fuit
 Paulus Lepidus, vnico isto appellasset nomine,
 quum viueret adhuc alius, quem eo solo semper
 designare consueuerat, utpote virum clarissimum,
 et sibi amicissimum, multisque laudatum in Orat.
 in Vat. c. 10. Nempe L. ille Paulus, qui proinde
 ab eo in Epp. ad Q. Fr. II. 4. appellatur *Paulus*
noster. Vixisse hunc ipso adhuc proscriptionis
 anno, ex eodem Cicerone colligo, qui Philipp.
 XIII. c. 6. Panfa et Hirtio Coss. a Sex. Pompeio
 redisse et legationem renunciaisse dicet: *Clarissi-*
mos viros, legatos, L. Paulum, Q. Thermum, C.
Fannium, quorum habetis (alloquitur Patres Con-
 scriptos) *cognitam voluntatem in Remp. eamque per-*
petuam et constantem. Etiamne hic Pauli Lepidi,
 qui utique tunc adolescentulus, necdum vllis rebus
 gestis aut honoribus clarus fuit, *cognitam* tamen,
 variis scil. documentis, imo *Perpetuam et constan-*
tem in Remp. voluntatem praedicari existimabimus?
 Eumne et non potius hominem Consularem (qui
 cum septem tantum annis ante Consul fuerit, nec
 quicquam de eius obitu in tot illius temporis
 scriptoribus legatur, necdum fato functus fuisse
 affirmari nec potest, nec debet) ceteris *Clarissimis*
viris praeponi dicemus. Nam Q. Thermum Prae-
 torium esse virum reor, et eundem forte, cuius
 supersunt denarii cum inscriptione *Q. Thermus*
M. F. Praetorem certe Pompeianum in bello civili
 reperiō *Thermum*, quem Caesar ex Umbria pepu-
 lit, teste Floro IV. 2. et ipso Caesare B. Ciu. 1. 12.
 Est post haec tempora apud Sex. Pompeium, ad
 quem se plurimi ex proscriptis contulere, inter
 vltimos amicorum τῶν ἀξιολόγων mansisse *Thermum*,

et,

et, ὁ τιμιώτατος αὐτῶ, qui ipsi maxime in pretio erat, *Fannium*, ex Appiano L. V. ἐμφυλ. extr. didici.

Necdum Ciceronem dimittere possum, qui in eadem orat. cap. IV. de M. Lepido, qui postea Triumvir fuit: *Magnis et multis pignoribus M. Lepidum Resp. illigatum tenet, summa nobilitas est hominis, summi honores, amplissimum Sacerdotium, plurima urbis ornamenta, ipsius, F R A T R I S, maiorumque monumenta.* Scire hercle velim, quae eo tempore, quo Cicero ista dixit, fuerint vel fuisse potuerint Pauli Lepidi monumenta, quibus urbem ornauerit. Multis ille demum annis post extruxit et dedicauit in Consulatu suo porticum Pauli, vti docet nos Dio; Hirtio vero et Pansa Coss. vlla iam ab eo profecta fuisse ornamenta urbis, nemo opinor, facile dixerit, certe non probauerit. Proinde coecus sit oportet, qui vel hinc non videat et agnoscat *fratrem* M. Lepidi fuisse, et a Cicerone significari L. Paulum, cuius Basilica ab omnibus celebratur, quam οἰκοδόμημα περικαλῶς Appianus dicit, et ipse Cicero ad Attic. IV. 16. *magnificentissimam*, vocat, et *nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius* praedicat. Humani quid patiuntur viri eruditissimi, qui eam a Paulo Lepido aedificatam scribunt, confundentes porticum et basilicam Pauli.

Haec omnia, quamuis meo iudicio fatis acria sint tela ad conficiendum, quod hic nobis propositum fuit, multo tamen fortius adhuc et apertius receptam vulgo opinionem confutat Appianus, referens ἐμφυλ. IV. Paulum proscriptum fugisse ad Brutum, eoque victo Milerum, vnde neque pace postea facta, quamquam reuocatus, redire Romam voluerit; ὅθεν καὶ ἐρήνης ὑστερον γενομένης

(αὐτοῦ)

K 2

καλῶς

καλῆκενος ἐπαυελθεῖν ἠξίωσε. Eum ex parte confirmat Dio lib. XLVII. qui et ipse Paulum voluntate Lepidi fratris sui Miletum euasisse scribit. Quid vero? nonne ita clarissime iam tandem illi negant, fratrem illum Triumviri fuisse Paulum Lepidum, qui non modo Romam rediit, sed et post proscriptionem vxorem ibi duxit, liberos suscepit, Consulatum et Censuram gessit? Nonne contra maxime istud animi propositum conuenit in L. Paulum, hominem omnibus in Rep. honoribus iam perfunctum, et aetate grauem, qui summo mehercles iure exiguum vitae, quod supererat, Miletum exigere maluit, quam Romam reuerti, ubi oculorum dolorem ferre non potuisset videndo Remp. orbatam per tres illos carnifices tot praestantissimis ciuibus, suis aequalibus et amicis.

Ad quid faciemus ergo Dione, qui, quum lib. LIV. initio Censorem Paulum Lepidum *αὐτὸν πρὸς τὸ θανάτωθῆναι* ipsum tunc fuisse proscriptum diserte affirmet, omnes vnus in eam opinionem, quae inter doctos obtinuit, induxisse videtur. Neminem me temeritatis inculaturum putem, si tot aliorum testimoniis munitus, idem quod Onufrius, Dionem hic errasse dixerim, et patrem cum filio confudisse. Nec enim eiusmodi negligentiae crimen adeo est alienum ab ipso, vt ei si quis impegerit, iniuriam fecisse videri debeat. Certe lib. XLVIII. extr. vbi Antonium Domitio illi, qui inter Caesaris percussores et proscriptos fuit, suam ex Octauia filiam despondisse refert, grauissime et eodem fere modo hallucinatur, dum pro filio L. Domitio, patri Cn. Domitio, post quatuor vel quinque annos tunc mortuo, desponsam dicit puellam paulo ante natam. Verba eius sunt, ne non satis bona fide ipsum arguisse videar: *Ἐμῆνος*
(Antonius)

(Antonius) τὸν Δομίτιον, καὶ τοὺς τοῦ Καίσαρος σφαγῆ
 τε γενομένῳ καὶ ἐν τοῖς ἀπολαβόμενοις ἐκτελέσεντι, τὴν ἑαυτῶν
 τὴν ἐκ τῆς Οὐκταίας οἱ γενηθεῖσαν ἐνηγγύησε. Immo
 vero non illi Domitio, qui inter Caesaris percussio-
 res fuisse creditus est, et ideo postea ab Octaviano
 proscriptus fuit, sed filio istius tunc promissa et
 postea nuptum data est Antonia, quod vel ex
 Suetonio in Ner. cap. 3. et 4. et Tac. Ann. IV. 44.
 discere potuisset. Similiter lapsus est lib. XLIV.
 quum testamento Caesaris adoptatum Octavium,
 et porro tutores (ἐπιτρότους) ei relictos M. Anto-
 nium, D. Brutum, et quosdam alios percussorum
 tradit. Etenim iamdudum Octavius eius fuerat
 aetatis, quae tutores non amplius recipiebat, h. e.
 aliquot iam annis superauerat annum XIV. Scili-
 cet ad Octavium transtulit Dio, quod in testa-
 mento Caesaris dicebatur de filio naturali, si quis
 ei adhuc nasceretur ex Calpurnia vxore. Audia-
 mus disertae Suetonii verba, eodem ordine prolata
 cap. 83. *C. Octavium etiam in familiam nomenque
 adoptavit, pluresque percussorum in tutoribus filii,
 si quis sibi nasceretur, nominavit.* Haec rationi,
 et consuetudini Romanae consentanea, non illa
 Dionis, qui ex his cum ipso collatis, erroris et
 incuriae sane quam est manifestus, ut iam ad Sueto-
 nium monuit etiam Casaubonus. Sed tamen nihil
 nos hoc loco ad accusationem Dionis descendere
 subigit, et superest ratio, qua illum tueri et ab-
 soluere possimus. Nec enim Censorem Triumviri
 fratrem fuisse vsquam dicit, et erravit ipse Onu-
 frius, quum in Fastis ann. 732. *Dionem errasse,*
ait qui hunc Triumviri fratrem scripsit. Nusquam
 ille, inquam, hoc scripsit, sed tantum, *αὐτὸν τότε
 θανατωθέντα*, ipsum etiam, quum proscriptio fuit
 facta, inter occidendos relatum: quod facile ego

factum credo. Nequaquam enim a vero abhorret, in faeuissima illa proscriptione patrem Paulum vna cum filio adolescente caedi ab acerbissimis tyrannis destinatum. Quis nescit sceleratam illam tabulam cepisse pariter Cicerones vtrosque, patres et filios, cum multis aliis, quos inter etiam puerum fuisse referunt, cui prius virilem dederint togam, vt virum occidisse viderentur. Quapropter et Paulum Lepidum vna cum patre fugisse in Bruti castra, eumque *Lepidum* esse suspicor, qui cum parte copiarum a Bruto contra Caesarem et Antonium iam profecto, Cretae ad eam sibi adiungendam relictus fuit, teste App. *ἐμφυλ.* V. init.

Vnum adhuc obmurmurantes audire mihi videor, qui L. Paulus, et M. Lepidus fratres germani esse potuerint, diuersarum familiarum gerentes nomina, et ita quidem, vt minor paterna habeat, maior aliena contra consuetudinem Romanorum. Fateor equidem lubens, solenne et frequentissimum fuisse apud Romanos, vt filius natu maximus non modo cognomen, sed et praenomen paternum acciperet. Perpetuum tamen fuisse nego. Quid enim? nonne M. Crassus, qui in Parthis periit duos item habuit filios, et maiorem quidem, qui vna cum patre occidit, *Publium* auito, minorem *Marcum* paterno praenomine. Quis ignorat M. Senecae Rhetoris filios hoc secundum aetatem ordine *Nouatum*, *Senecam* et *Melam*? Quis item ex Suetonio non didicit, L. Orthonem M. F. imperatoris patrem duos sustulisse filios *L. Titianum* et *minorem Marcum cognominem sibi*. In libera tamen Rep. exempla eiusmodi rarissima esse iterum agnosco, et ea, quae reperiuntur, inde profecta existimo, quod filius natu maximus, qui patri vt plurimum in omnia succedebat nomina, fato

fato abreptus fuerit, vel adoptione in aliud nomen, transferit, postquam susceptus iam esset secundus, atque ita demum tertio, vel vltiore gradu qui nasceretur, imponi iterum paternum nomen contigerit; Certe M. Lepidus Triumviri pater maiorem L. Paulo filium habuit, quem haud dubie suo nomine *M. Lepidum* appellauerat. Sed quum eum postea in adoptionem Scipioni dedisset, nato iam, vt reor, Paulo, suum illud nomen in filio natu minimo repetiit: Atque ita procul dubio euenit, vt Triumvir potissimum, quamuis fratre suo minor, patri *ἐπίνομος* fuerit. L. vero Pauli nomen qui in mentem venerit patri, vt filio suo daret, neminem mirari oportet, quum eo tempore inualescere maxime coeperit, vt antiquissima gentium suarum et praecipue illustrium in iis hominum cognomina, quae iam in vsu esse desierant, ex omni vetustate deligerent, iisque filios suos ornarent, licet ipsi reuera ab illis, quorum nomen repetebant, progeniti non essent. Sic relatos tunc temporis ex antiquitate videmus in Oppiam gentem, *Cornicinos*, in Valeriam *Publicolas*, *Potitos*, *Volusos*, et *Maximos*, in Furiam *Camillos*, in Liciniam *Caluos* et *Stolones*, in Corneliam *Cassos*. Similiter itaque quum in gente Aemilia L. Pauli nomen vere clarissimum esset, sed iam vna cum ipso extinctum et oblitteratum, visum est M. Lepido patri dignum, quod reuocatum filio suo iterum imponeret, et ita memoria tam insignis viri, gentilis sui, se iactaret apud populum, cui haud dubie gratissima accidere debuit recordatio illius, qui victo Perseo tantam pecuniae summam in aerarium intulit, vt exinde tributum pendi desierit. Quam rem etiam pronepotes huius M. Lepidi adeo ad suam gloriam pertinere existimarunt, vt in

elegantissimis denariis, de quibus cap. VI. prolixius agam, effigiem Pauli erigentis tropaeum, vinctique Persei cum duobus filiis, signatam aeternitati tradiderint, neque id habuerint satis, sed insuper TER adscribendo, toties illum eiusmodi tropaeum de fugatis et victis hostibus constituisse significarint. Quod et in aliis fecere nummis, quos Vrsinus quidem non habet, sed Sigonius et Onufrius viderunt, in quibus ipsa tria tropaea expressere. Summam ergo hanc summi viri gloriam Triumviri pater homo plus satis ambitiosus et popularis, qui ceteram Aemiliorum prolem inter Syllae ponit satellites apud Sallust. I. Hist., quum ad se proprie liberosque suos trahere studeret, illi L. Paulo et aequali eius M. Lepido Pontifici Max., qui duo olim praecipua Aemiliae gentis fuerant ornamenta, cognomines esse voluit ex more illius temporis duos filios, quos solos domi suae habebat. Quo exemplo maior horum L. Paulus ea deinde nomina in suo filio, quem vnum sustulisse videtur, coniunxit, appellando, *L. Aemilium Paulum Lepidum* vel *Paulum Aemilium Lepidum*. Is vero postea, quum plures genuisset, ea iterum diuisit, et ad aui exemplum, vnum *L. Aemilium Paulum*, alterum *M. Aemilium Lepidum* dixit. Praeter hos an alios habuerit Paulus iste Lepidus incertum quidem; habuisse tamen credibile est, quandoquidem Cornelia vxor illius apud Propert. l. IV. eleg. vlt. multos filios (nam filia vna tantum in ead. eleg. memoratur) sibi ex eo natos signifiare videtur, ita virum alloquuta:

Et bene habet; mater nunquam lugubria sumsi:

Venit in exsequias tota caterua meas.

Nunc

Nunc tibi commendo communia pignora natos :

Haec cura et cineri spirat inusta meo.

Fungere maternis vicibus pater ; illa meorum

OMNIS erit collo TVRBA ferenda tuo.

Oscula quum dederis tua flentibus, adice matris.

TOTA domus coepit nunc onus esse tuum.

Proinde quod *Paulum* modo et *Lepidum* ibidem paulo ante nominavit Poeta, eo forte factum, quod ceteri infantes essent ; certe vnum adhuc inuenisse me non dubito, paterno praenomine, et antiquo item ac celebri gentis istius cognomine a fratribus suis distinctum, *Paullum Aemilium Paulli F. Pal. Regillum*, XV. virum sacris faciendis, Praefectum Urbis Iuri Dicundo, Quaestorem Ti. Caesaris Aug. Patronum Saguntinorum, inscr. Grut. 9. p. 348. Nempe Paulis et Lepidis in Aemilia gente proximi gloria habebantur Regilli veteres, sed praecipue L. Aemilius Regillus, qui naualem de rege Antiocho egit triumphum ; atque ideo etiam illum inter maiores suae gentis fuisse, Paulus Lepidus filii sui nomine significare, eoque hunc filium a fratribus reliquis distinguere voluit, quamuis Lepidi non magis ex Regillis quam ex Paulis, imo contra Regilli ex Lepidis fuerint orti, vti constat ex Cicerone ad Attic. XII. 24. vbi ex antiquis illis *Regillum Lepedi filium* nominat. Quemadmodum ergo Tiberii tempore fratres fuere L. Paulus, M. Lepidus et Paullus Regillus, Pauli Lepidi Censoris filii, ita et auum illorum L. Paulum fratrem germanum fuisse M. Lepidi Triumviri, nemini, opinor, absurdum amplius videbitur.

Sic porro *Paulus Fabius Maximus* (quandoquidem et de eo dicturum me recepi) et *Q. Fabius Maximus Africanus*, fratres haud dubie, quoniam

vterque Q. F. Q. N. et alter proximo statim post
 alterum anno Consul fuit, ita a patre suo appel-
 lati sunt, quia abauus eorum filius fuit naturalis
 L. Pauli et frater P. Scipionis Africani Aemiliani.
 Paulo Fabio eam fuisse nominis causam, non
 adoptionem aliquam, quam Pighius finge-
 bat, manifestum est, non modo ex peruulgata illius tem-
 poris consuetudine, sed vel praecipue ex eo, quod
 is insuper filium suum *Paulum Fabium Persicum*
 dixit, excogitato etiam nouo cognomine non alia
 de causa, quam vti eo clarius adhuc testaretur,
 inter progenitores suos fuisse nobilissimum illum
 virum, qui Persen Regem Macedoniae vicit, fu-
 gauit, cepit, et in triumphum duxit cum duo-
 bus filiis *Africani* cognomen ex corrupto Dionis
 lib. LIV. indice, Fastisque Siculis, et Cuspiniani
 Fabio abiudicarunt, Iuloque Antonio eius in Con-
 sulatu Collegae tribuerunt magno consensu, sed
 et errore, Viri & *ρυχόντες* Sigonius, Onufrius,
 Lipsius, Torrentius et Casaubonus, ausi insuper
 Suetonii in Claudio cap. 2. vel fidem vel lectio-
 nem incusare, donec doctiss. Rupertus in epist.
 XXVII. ad Reines. Suetonium asseruit, et Fabio
 suum cognomen restituit ex nummo Goltziano.
 Nam Dionis index reuera non contra illos, vti
 putabat Rupertus, sed pro illis stare censendus est,
 vt in quo *Africani* cognomen antea Antonio, sed
 nunc ex emendatione demum vel Rob. Stephani,
 vel G. Xylandri, subnixa Suetonii loco, vti patet
 ex illorum notis, Fabio adiungitur. Verum ne-
 que ille Dioneus index, in quo multa foede transpo-
 sita et vitiata esse nemo ignorat, neque Fasti illi
 Graeci non minus adulterati, viros summos adeo
 a vero abduxissent contra Suetonii aperta verba,
 si nominis istius ex vetustate tunc repetiti ratio-
 nem

nem habuissent perspectam; quae ut in Iulo Antonio nulla fuisse potuit, sic in Fabio verissimam, licet necdum animaduersam, dedisse me nunc opinor. Et ne vlllo modo amplius de hoc eius nomine dubiteretur, quoniam diligentissimis supellec-tilis nummariae indagatoribus suspecta saepe est in iis nummis, qui nusquam in aliorum arcis reperiuntur, Goltzii fides, adferam testimonium omni exceptione maius, quod Rupertum fugit; marmor dico vetustissimum Tiberii tempore positum apud Gruter. 5. pag. 627. in quo huius Fabii libertus occurrit, hoc modo appellatus: *Q. Fabius Africani L. Cytifus*. Bene habet, quod ille, ut omnem nobis dubitationem tolleret, patroni sui non praenomen, ut solebant ceteroquin antea, sed cognomen posuit, id quod illo iam tempore saepe etiam fiebat, quoniam singuli homines non amplius tunc praenomine distinguebantur aut cognosci poterant, sed cognomine. Atque ita in aliis lapidibus *M. Aemilius Lepidi L. Felix*. *M. Vipsanius Agrippae L. Troilus*. et apud ipsum Cicer. famil. XIII. 69. *C. Curtius Mitbres, libertus Postumi*. Ad eundem hunc Fabium Africanum aliquot seculis post, Constantini M. tempore vel genus suum retulisse, vel quae alia de causa nomen eius secutus videtur ex more istius aevi *C. Camellius Africanus Fabianus Honoratus* ex colonia Aelia Hadr. Zama Regia, de quo inscr. 1. p. 364.

Quoniam vero casu delatus sum ad Iulum Antonium, Triumviri filium, eadem opera illius quoque et fratris eius nomina, quia obscura hactenus, nec intellecta fuere viris doctis, ex hoc eodem fonte deducenda esse, operae pretium futurum me puto, si ostendam. Quum M. Antonius duos ex Fulvia sustulisset filios, nec in paterna gente,

re, quae ante avum suum, oratorem illum clarissimum, ignobilis iacuit, vlla reperiret illustria nomina, ad ipsos generis sui paterni maternique Auctores decurrit. Nec enim *Iulum* ille appellavit in honorem C. Caesaris Dictatoris, vti volunt Onufr. de Nomin. p. 54. et Torrent. ad Horat. od. IV. 2. Sed vt ostenderet se per maternum genus (matrem enim habuit Iulium nobiliorem ipso Dictatore, vtpote natam consulari familia, quum Dictatoris esset praetoria) descendere a *Iulo* Aeneae filio, quemadmodum vt significaret similiter paternum genus et nomen, venisse ab *Antone* filio Herculis, maiorem suum filium vocavit *Antullum*; atque ita vtriusque gentis progenitorum nomina duobus suis filiis imposuit. Graeci, Plutarchus, Appianus et Dio *Antullum* quidem ex consuetudine linguae suae V. Romanum ante geminum LL. mutando in T. Ἀντιλλόν vocant, pro quo, quia corrupte alicubi legitur Ἀτυλλον, Torrent. ad Sueton. August. c. 17. *Atyllum* illi cognomen fuisse credere se testatur, satis eo ipso declarans, ignorare se prorsus, quale fuerit illud nomen; sed verum fuit, vt dixi *Antullus*, quod ὑποκοριστικόν est ab *Antone*, pro *Antonillus*, nam N. in eiusmodi figuris semper eliditur; vt videre licet in *Mesalla*, *Hispalus*, *Sabellus*, *Patella*, *Villum*, *Corolla*, quae declinata a *Messana*, *Hispanus*, *Sabinus*, *patina*, *vinum*, *corona*; atque ita descendit ab homine, *homullus* Ciceroni in *Pison*. c. 25. a *lenone*, *lenullus* Plauto *Poen*. 2. 25. et a *Petrone* *Petrullus*, ab *Aprone* *Aprullus*, a *Pedone* *Pedullus* in lapidibus. Nihil opportunius et magis accommodatum ad hanc rem dari nobis potest monumento illo apud Gruter. pag. 656. quod posuit *D. M. Pusoniae P. F. Pedulae* (antique pro *Pedulae*)

lae) *P. Pusonius Peto alumnus*. Ipsum nomen *Antullus*, ne de nostra scriptura dubitetur, exhibet Inscr. 13. p. 864. vbi *Q. Saluidienus C. L. Antullus* nominatur, ex qua, vt hoc in transitu moneam, emendanda est 9. p. 967. quae eadem est, sed in plerisque vitiosius scripta, in qua male etiam hic homo appellatur *Q. Saluidenus C. L. Pantullus*. Vrsinus ad familiam Saluiam ex libro veterum Inscript. Romae impresso adfert quendam *C. Saluidienum C. L. Antulum*, sed haud dubie idem is est, et ex eodem lapide petitus. *Vatinia Antulla* inter Piccartinae collectionis reperitur Inscriptiones, quas vulgatas habemus in epist. XLI. Ruperti ad Reines. Martialis denique Epig. l. 114. et 116. *Antullam* Faenii filiam immatura morte abreptam celebrat.

Supereft, antequam desinam, explicandus Aemiliae gentis denarius, inscriptus ab vna parte, *PAVLVS. LEPIDVS. CONCORDIA*. cum effigie velata ipsius Deae, ab altera varie, modo *PVTEAL. SCRIBON*. modo aliter. Existimat Vrsinus signatum esse a Paulo Lepido Triumviri, vt ait, fratre adoptiuo, ad significandam restitutam sibi cum eo fraternam concordiam, et insuper pro adoptionis symbolo concordiam et pietatem in denariis veterum saepe se animaduertisse testatur: quod ego me fateor, certe in Consularibus illis nummis nunquam deprehendisse. Sed quum de adoptione ista vanissimum sit commentum, et Paulus Lepidus neque Triumviri frater fuerit, neque alium fratrem habuerit, ac L. Paulus post proscriptionem suam cum fratre in gratiam, vel certe Romam, non redierit, omnino exillimo denarios istos a duobus Pauli Lepidi natu maximis filiis L. Paulo et M. Lepido profectos esse,

in

in qua sententia etiam Passeratium ad Propert. el. ult. esse video. Nempe quia olim inter eadem illa nomina, auum scilicet suum L. Paulum et eius fratrem Triumvirum M. Lepidum, infamis discordia palam obtinuerat, voluerunt isti hoc pacto suam e contrario testari concordiam. Certe duorum fratrum nummo conuenientissimum est Concordiae nomen et effigies. Tiberius viuo Augusto *Concordiae templum* exstruendum sibi sumsit an. V. C. 747. vt id suo proprio ac fratris Drusi nomine inscriberet, mutuum, quae inter eos erat, beneuolentiam publice hac re declaraturus, Dio lib. LV. Quod et fecit anno 764. licet fratre iam mortuo, eam aedem dedicans, teste eodem lib. LVI. Idque confirmat etiam Suet. Tib. c. 20. *Dedicauit et Concordiae aedem, item Pollucis et Castoris suo fratrisque nomine.* Castorum enim templo quoque suum et fratris iam defuncti nomen inscripsit, vt se mutuo amore et concordia alteros fuisse Castores populo persuaderet. Dio lib. LV. an. 759. τὸ Διοσκύρεον ὃ Τιβέριος καθιερώσας, ἔ τὸ αὐτῆς μόνον ὄνομα αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐκείνου (Drusi) ἐπέγραψε. Similiter postea Seuero Aug. mortuo decreuit Senatus, vt ad retinendam concordiam filiorum eius, Antonini Caracallae et Septimii Getae sacrum fieret cum ceteris Diis, tum *ipsi concordiae*, vti docet nos ex eodem Dione Xiphilinus initio l. LXXVII. Quin immo etiam in Aurelii Caesaris nummo in auersa cernitur et nominatur *Concordia* stans inter Diuos fratres, siue M. Aurelium Antoninum et L. Aurelium Caesares, necdum Augustos, eosque extento velo coniungens, vti recte censet doctiss. Annotator ad Principis Arschot. tab. XLV. n. 4. cui lubens debere me fateor sequentia Petri Chrysologi ex Serm. 54. verba,

verba, sententiae nostrae adcommodatissima: sicut frequenter fieri videmus, ubi regum vel FRATRVM tabulae depinguntur, ut inter utrosque unanimi-
 tatis declarentur insignia, artifex pictor femineo habitu post tergum utriusque concordiam statuit, quae bra-
 chiis utrumque complectens indicet, quod hi, qui vi-
 dentur, corporibus separati, sententiis et voluntate
 conueniant. Multum me etiam confirmat auersa
 pars Aemiliorum denarii exhibens Puteal Scribonii.
 Nam quod praestantissimus Ictus Iac. Raeuardus
 Varior. l. 5. c. 8. Puteal Libonis in nummis expresse
 referri ad concordiam iudicium sententiarumque euen-
 tum bonum censet, quia in anteriore illorum parte
 vel Bon. Euent. vel Concordia scribitur, eoque
 Symmachi locum accommodat, ubi ara concordiam
 tenere omnium dicitur, non mediocris est lapsus viri
 clarissimi. Nihil enim ad Concordiae Deae effi-
 giem, quae fratres Aemilios tantum respicit, et
 sine vlla mutatione in ceteris quoque illorum ex-
 pressa est nummis, quorum auersae aliud quid ex-
 hibent, pertinet puteal Libonis, nihil ad puteal
 ara ista Symmachi, quae, uti ex eo ipso manife-
 stum est, victoriae fuit, ad quam in leges Impera-
 torum et verba iurabat Senatus, ideoque istius re-
 ligionis praesentia iuratus ordo omnia decernebat
 cum fide et concordia. Sed hanc Raeuardi opi-
 nionem fati iam confutarunt Scaliger ad festum V.
 Sceleratus (Nam Raeuardus, quem illic Scioli cu-
 iusdam nomine notat) tum Torrentius ad Horat.
 Satyr. II. 6. 35. Hic ergo cum Vrsino ad famil.
 Scriboniam vult nummos illos L. Liboni cum Paulo
 Lepido communes fuisse. At quae causa Libonem
 coniunxisset in publicis nummis cum Paulo Lepido,
 immo cum concordia eius, quae nullum utique ad
 Libonem proprie habet respectum, cum ipsa ea-
 dem

dem semper etiam cum aliis, et diuersis quidem posticae partis typis et inscriptionibus reperitur in vno nummo coniuncta? Ego non dubito a Pauli Lepidi filiis profectos esse hos nummos, qui quum in omnium horum anteriore parte constanter sua scripsissent nomina, iisque concordiam addidissent, in auersa, sicuti in quibusdam L. Pauli tropaea et victorias expresserunt, vt ita clarissimum illum virum, suae fuisse gentis hominem declararent, sic in aliis eadem plane ratione Puteal Scribonii Libonis signarunt, vt per illud (solenne enim hoc Libonum familiae symbolum et insigne patet etiam ex aliis istius familiae nummis, quorum altera in parte *Bonus Euentus* notatur) se etiam ex Scriboniis Libonibus per matrem ortos, ac Scriboniam illam Augusti coniugio nobilissimam feminam, auiam suam maternam, adeoque C. et L. Caesares suos esse consobrinos significarent. Mater enim eorum Cornelia, filia erat Scriboniae istius, et soror vterina Iuliae Augusti filiae, id quod nos docet Propert. in saepius iam laudata Elegia. Et profecto digna tunc temporis res erat ostentatione, coniunctum esse sanguine Caesareae domui. Ideoque eadem fere, *amitam Scriboniam, quae quondam Augusti coniux fuerat, consobrinos Caesares, plenam imaginibus domum ostentat* infelici iuueni Druso Liboni, iisque *hortatur ad luxum* insidiator primum, dein accusator eius Firmius Catus apud Tacitum An. II. 27. Neque nouum aut insolens Romanis, materno etiam genere, siquidem nobile illud et illustre esset, (quid autem illustrius tunc propinquitate Caesarum?) se efferre et gloriari. Antonium vidimus filio/ minori nomen imposuisse non ex coniugis suae, sed matris potissimum gente, eiusque auctore petitum: quemadmodum fere Iu-
lius

lius quoque Sabinus Lingonum Princeps *Caesarem se ipsum salutare iussit, quod proavia sua Diuo Iulio per Gallias bellanti corpore et adulterio placuisset.* Tacitus histor. IV. 54. et cap. 67. Ipse Caesar quum aviam haberet Marciam, illius non minus quam avitum vel paternum sibi genus in laudatione amitae his verbis extulit: *Amitae meae maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus coniunctum est: nam ab Anco Marcio Marcii sunt Reges, quo nomine fuit mater; a Venere Iulii; cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et ceremonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt Reges, quae servavit nobis Suet.* in Caes. c. 6. Sed maxime cum his Aemiliorum nummis convenit, tum quod Q. Pompeius Rufus in aliis a se cufis itidem ab vna parte expressit effigiem, nomen, et Consulatum avi paterni sibi cognominis, ab altera materni, L. Syllae Dictatoris, hominis longe clarissimi, atque ita paternum et maternum genus ille quoque in vno nummo coniunxit, seque a duobus avibus Consulibus pariter, et nobilissimis viris ortum hac ratione significavit; tum quod de Galba Imperatore traditur, qui similiter plane, vt Aemilii, non tam matris Mummae Achaicae genere, quamvis et hoc nobilissimum fuerit, quam aviae maternae, quae Q. Catuli filia, gloriari vnice (V. Plutarchum) solebat, atque adeo, vt, sicuti isti in nummis, sic ille *in statuarum titulis* suis nominibus paternum genus significantibus, *pronepotem se Q. Catuli Capitolini semper adscriberet* teste Suetonio cap. 2. vnde et apud Tacitum Histor. I. 15. ad Pisonem, quem adoptabat: *Tibi insigne SVLPICIA ac LVTATIA decora nobilitati tuae adiecisse.* Ita proinde Paulo quoque

L

et

et Lepido fratribus gloriosissimum tunc visum est, et idcirco publice in his nummis, quomodocunque possent, declarandum, non tam Corneliam se matrem, quam auiam habere Scriboniam, quae Caesaris Augusti vxor, sola eius domum prole auxerat.

Cui rei simili fere ratione et inter reges Romanos Ancus Marcius semper aui sui materni, nomine repetito *Numae nepos* dicitur, ita Liuius, Florus, Victor, Dionysius, Plutarchus, et ceteri omnes, qui nunquam, quo patre fuerit ortus, eius nomini addunt, sed qua vel matre vel auo, quia inde omnis eius nobilitas. Hinc Seneca epist. 108. *duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Seruui matre dubitatur. Anci pater nullus; Numae nepos dicitur.* Nullum Anci patrem dicit, non quod reuera patrem inter homines non habuerit, sed quod ignobilem, si cum matre compares, ideoque ab historicis non memoratum, et ex eo plerisque postea ignotum. Sic de Seruio Liu. IV. 3. *Seruium Tullium post hunc captiua Corniculana, patre nullo, matre serua ingenio et virtute regnum tenuisse. Patre nullo i. e. ignobili, ignoto et ab historicis praeterito.* Horat. Satyr. I. 6.

*Ante potestatem Tulli ac ignobile regnum
Multos saepe viros, nullis maioribus ortos,
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos.*

Melchizedekum in diuinis litteris similiter dici *ἀπάροξα*, nullo patre, obseruant Theologi, quia et illius pater quis fuerit, in veteri codice nusquam declaratur. Posses itaque de Anco fere dicere, quod Virgil de Drance XI. Aen.

— — *Genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat,*

quia

quia pater priuatus, ignobilis, et peregrinus, mater regis Romani filia. Vnde Liu. lib. I. *Ancum Sabina matre ortum, nobilemque vna imagine Numae esse.* Per vnum Numam maternum auum nobilis erat, ideoque et eius nepos semper vocabatur, vt diximus. At cur igitur Sabinam illi obiicit matrem? Lege omnino ex iam dictis, *Sabino patre.* Idque volunt euidenter etiam antecedentia, in quibus narrat auctor, quomodo Tanaquil, quum videret Lucomonem virum suum sperni ab Etruscis, vt exule aduena ortum, consilium migrandi alio ab Tarquiniis, patria sua, ceperit, Romamque ad id elegerit. Sed qua causa eam potissimum? Non alia, quam quod *in nouo populo, vbi omnis repentina atque ex virtute nobilitas sit, locus erat futurus forti ac strenuo viro, quamuis peregrino, regnasse enim ibi Tatium Sabinum, arcessitum in regnum Numam a Curibus, et Ancum Sabino patre ortum, nobilemque vna tantum imagine Numae esse.* Fuisse itaque inter quatuor vel quinque reges, duos peregre natos, et aliunde in regnum ciuitatemque adscitos, et vnum, quamuis ipsum quidem Romanum, peregrino tamen patre, ortum, et a materno solum auo nobilem. Quis credere poterit Liuium vel Tanaquilem Anci ignobilitatem posuisse in eius matre, per quam ipse vtique eum nobilem fuisse, materno scil. auo imagine, continuo addit; non contra in patre, in quo tamen maxime nobilitas alicuius vel ignobilitas spectari solet, et de quo multo amplior hanc in rem contra Ancum dicendi erat materia, quippe qui ex Sabinis cum Rege Numa et patre suo M. Marcio Anci auo Romam aduenit, nullam, secundum ipsum Liuium, imaginem, quae honoris et nobilitatis signum, filio suo Anco reliquit, et quamuis filii regno illustratus

videri possit, adeo tamen nominis sui famam et omnem fere memoriam nimium quantum praefulgente vxoris Pompiliae genere et splendore, amisit, vt a Seneca *Anci pater nullus* fuisse dicatur. Ex vulgata lectione existimes paternum Anco genus fuisse Romae nobilissimum, certe, quod tamen falsissimum, longe nobilius materno, quia Liuius, qui ex persona Tanaquilis omnia eiusmodi in Regibus Romanis conquirat, quae hominem peregrinum et aduenam in spem honorum, immo et ipsius regni in ea ciuitate consequendi adducere queant, silentio illud plane praeterierit, tanquam si in eo nihil reperiret, quod eiusmodi spem nouo ciui facere posset; et contra in matre Anci, licet regis Romani filia, Sabinam originem memorarit, quasi non omnes fere Romani eo tempore et paulo ante matre externa per raptum Sabinarum aliarumque virginum fuerint nati. Nec tamen in iis ipsis Ancum numerauerim, qui patrem quidem habuit Numam Marcium ex Sabinis oriundum, sed matrem haud dubie Romae natam. Etenim Plutarchus in Numa duas de ea opiniones fuisse tradit, quarum altera quidem ex Tatia T. Tatii regis filia susceptam eam, antequam Numa ad imperandum Romam accesseretur, adfirmet; altera autem ex Lucretia, quam Numa iam ad regnum accitus Romae in matrimonio habuerit, genitam statuat. Posterior multo mihi verisimilior videtur, quippe quum Numa moriens, postquam Romae tres et quadraginta annos regnasset teste Liuius, filiam suam in ea reliquerit aetate, vt paruulum haberet filium, hunc ipsum Ancum, vix quinque tunc annos natum, et tamen vt videtur etiam omnium, si quos praeterea habuit, primum et maximum. Corruerunt haud dubie Liuium scioli,
quia

quia nihil in eo de patre Anci legerant, matrem vero in superioribus nominari et Numae filiam dici, ipsumque Numam Sabinum fuisse non ignorabant.

C A P V T I V.

Quod aliis quam plurimis accidit, qui arduis se negotiis implicant, vt multitudine rerum gerendarum saepenumero obruantur, nec semper suo quidque loco et ordine administrare queant, multa etiam negligant, nec animum aduertant, quae tamen postea alieno iam tempore, vtilia esse et fuisse deprehendunt; idem etiam illis, qui ad historias populi multis rebus domi bellique gestis inclyti ab ipso initio, habita temporum ratione condendas se adiungunt, non raro vsu venire necesse est. Et hinc reperias saepe, etiam ab accuratissimis scriptoribus praesertim rerum Romanarum, quibus nullae sunt ampliores, suo loco et tempore praeteritum, quod deinde tamen, quasi iam ante traditum, per occasionem verbo tantum refertur, siue memoriam eorum fugerit, quum iustior de illo agendi erat locus, siue ipsi de industria ac breuitatis studio praetermiserint, et ex narratione posteriorum intelligi voluerint priora eiusdem negotii. Multa istius generis exempla, obliuionem quandam in superioribus commissam arguentia, et saepe, ne inconstantiae aut falsitatis ex se ipsis conuincantur auctores, isto modo excusanda, adferri possent ex variis, qui ab Vrbe condita res populi Rom. vel saltem partem earum aliquam Chronologica serie sunt persecuti. Nos tamen vno nunc Liui contenti, ex eo talia quaedam in hoc

caput coniciemus, maxime vt viam muniamus emendationi, per quam maioris eum incogitantiae crimine a Glareano ipsi impacto, et a nemine adhuc depulso liberare conabimur.

Tale ergo est, quod, cum accurate et multis egisset lib. 1. de Seruiana Reip. Rom. ordinatione, addidissetque inter alia, eum ordinem, qui postea post expletas XXXV. tribus in suffragiis ferendis obtinuerit, ad institutam tunc ab Seruio summam non conuenire, et tribus Seruii tempore ad centuriarum in comitiis Centuriatis distributionem numerumque, sicut postea, nihil pertinuisse, dein lib. V. c. 18. subito *tribuum iure vocatarum* in comitiis centuriatis, quibus Tribuni militum consulari potestate creabantur, mentionem facit, quamuis nusquam ante exposuisset istam maximi momenti in reip. Rom. praecipua parte factam mutationem, h. e. quo tempore, causa, et modo tribus in istis comitiis cum centuriis misceri, et ad earum distributionem iam pertinere, quod de Seruianis tribubus negauerat, coeperint. Sic lib. III. cap. 31. *legem de Auentino publicando latam esse*, nec quicquam aliud dicit. At deinde cap. 32. extr. quarto iam anno post per occasionem *legem Iciliam de Auentino* simpliciter nominat. Quo loco significare videtur vel saltem nobis coniectandum relinquere, eam quam superius de publicando Auentino latam tradiderat, ab Icilio quodam latam. At cur hocce modo id tunc demum, et non priore loco, quo ex professo lata illo anno dicitur, verbo significauit, vt certi de eo esse Lectores eius possent? Nam absque Dionysio esset, qui lib. X. c. 8. a L. Icilio Tribuno pl. de Auentino plebi concedendo, h. e. publicando, rogatam esse legem narrat, ex Liuiο quis id pro certo affirmare auderet?

Lib.

Lib. IX. c. 34. in oratione P. Sempronii Tribuni pl. aduersus Ap. Cl. Caecum Censorem: *Vrbs eo lustro capta est, quo, demortuo Collega C. Iulio Censore, L. Papirius Cursor, ne abiret Magistratu, M. Cornelium Maluginensem Collegam subrogauit. Et quanto modestior illius cupiditas fuit, quam tua Appi? Nec solus, nec ultra finitum lege tempus L. Papirius Censuram gessit; tamen neminem inuenit, qui se postea auctorem sequeretur: omnes deinceps Censores post mortem Collegae se magistratu abdicarunt.* Notabilis ergo inprimis fuit illa Censura, quoniam eo lustro vrbs capta, sed vel maxime ipse Censor L. Papirius, qui duos habuit Collegas, alio in locum defuncti suscepto, quod nunquam postea factum. Operam tamen perdes, si in superioribus eius mentionem quaeras, vel Censoris designati, vel Censuram gerentis, aut denique vllius rei ab illo in hoc Magistratu, vel per se solum, vel cum Collegis gestae. Tantum lib. V. c. 13. *C. Iulium Censorem decessisse, inque eius locum M. Cornelium susceptum, quae res postea religioni fuerit, quia eo lustro Roma sit capta:* quasi praetereundo refertur, ne nominato quidem vsquam L. Papirio, nec Censorum istius lustri memorata designatione, quamuis ceteroqui Liuius ex instituto suo diligenter, qui quoque tempore creati fuerint Magistratus, inprimis Consules, Censores, Dictatores cum suis Equitum Magistris exponere soleat. Tamen et lib. V. c. 40. *Magistrum Equitum L. Valerium a Veis abducere exercitum,* a Dictatore Camillo iustum dicit, quamuis de declarato hoc Equitum Magistro nullum item verbum antea fecisset. L. Postumium Megellum Aedilem Curulem fuisse, et in eo Magistratu aedem Victoriae ex mulctaticia pecunia faciendam curasse, satis habuit Liuius in secundo

demum eius consulatu, in quo eam dedicauit, nos docere lib. X. c. 33. Sic lib. XXII. c. 33. aedem Concordiae biennio ante per seditionem militarem a L. Manlio Praetore votam scribit; at lib. XXI. vbi de eo Praetore egit, resque eius gestas et difficillimam pugnam exposuit, prorsus nec aedis ab ipso votae, nec seditionis militaris meminit.

Tale est, quod turbauit viros doctissimos, et ad non necessariam crisin adegit, quum legerent lib. XXXIII. c. 44. Ver sacrum ex Pontificum iussu factum, quod *A. Corn. Mammula Praetor vouerat Cn. Seruilio C. Flaminio Coss.* Nam illo anno non modo nusquam reperitur nomen Mammulae Praetoris, sed et contra *M. Aemilius Praetor ex Collegii Pontificum sententia omnia ea vt mature fiant, a Senatu curare iussus* dicitur XXI. 9. Inter omnia ea erat et ver sacrum vouendum. Ergo Sigonius collatis inter se his locis, nisi librarius in nomine Praetoris peccauerit, lapsum memoria auctorem pronunciat. Pighius scripsisse Liuium lib. XXI. censeat *M. Aemilium Praetorem cum Collegis ex Pontificum sententia.* Ego neutri accesserim. Nec enim Liuius tradit, vt iam obseruauit magnus Gronouius, Aemilium vouisse ver sacrum, immo nec vouere iussum, sed tantum curare, vt omnia quae Decemviri Patribus retulerant, mature fierent ex Pontificum sententia. Illa vero omnia non a solo Aemilio, nec a solis eius Collegis, sed quaedam etiam ab aliis facta, veluti aedem Veneris Erycinae a Fabio Dictatore votam, quum ex proximo statim capite constet, cur ea potissimum, quae lib. XXXIII. de vere sacro a Mammula Aemilii Collega voto referuntur, repugnare existimabimus modo laudatis verbis e cap. 9. libri XXI. Si quis in his lapsus, non ille a librariorum incuria,

ria, nec inconstantia Liuiana profectus est, sed in eo consilium, quod non accurate exposuit Liuius libro XXI. quo oportuerat, sacrum illud ver a Mammula votum, et porro a quo quidque omnium illorum, quae ut fierent ex Pontificum sententia, Aemilius, Praetor forte Urbanus, curare erat iustus, et istius anni Magistratus diuisis inter se partibus fecisse videntur, factum fuerit. Sed profecto leuis est culpa, talia praetermisisse illo anno, qui quam plurimis aliis, et quidem grauissimis rebus historicos vnus omnium vel maxime occupat, et onerat. Haesitarunt et in eo, quod lib. IX. c. 8. Tribuni pl. subito appellantur homines, qui tantum quod ex Caudinis Furculis, cum ceteris sub iugum missi, domum redierant. Nempe neglexerat Liuius referre, eos cum in castris adhuc essent, designatos, et domum iam reuersos, statim Tribunatum iniisse.

Sed et vrbes saepe numero inuenias magna varietate modo Romanorum, modo hostium in potestate, nec tradi ab auctore, quomodo ab his ad illos peruenerint, adeo ut aliquando bis idem oppidum eodem in libro a Romanis legatur captum, qua in re haud scio an Liuius excusari plane possit. Luceria oppidum appellatur lib. IX. c. 2. bonorum ac fidelium Romanis sociorum, ideoque illos, quum credidissent, decepti a captiuis, obsideri id a Samnitibus, ut suppetias ei ferrent, profectos, in Furculas se Caudinas praecipitasse: deinde vero cap. 12. et 15. a Samnitibus tenetur, et a Romanis oppugnatur, atque ad deditiorem redigitur. Quomodo autem in Samnitium potestatem deuenit, suae voluntate deditum, an vi subactum, nusquam a Liuius proditum. Allifas Samnitium in ditionem Romanorum venisse Coss. L. Papirio, C.

Poetelio, traditur VIII. 25. at postea iterum a C. Marcio Rutilo de Samnitibus vi capi, Rutilo et Q. Fabio Coss. IX. 38. Similiter Bouianum, Samnitium Pentrorum caput, expugnatur a Consule C. Iunio Bubulco lib. IX. c. 31. Non sine causa ergo miratur Glareanus, etiam cap. 44. a Coss. Postumio et Minucio oppugnari item, et capi. Sigonius quidem, vt ei occurrat, posteriore loco pro *Bouianum* ex Diodoro legit *Bolam*. Sed refragantur illi omnes manuscripti, teste Gronouio, quos certe vix verisimile, ter (nam toties nominatur hoc oppidum illo in capite) eundem plane in modum et tam grauius fuisse corruptos. Et praeterea lib. X. c. 12. idem oppidum denuo aliquot annis post, a Cn. Fulvio vi captum dicitur. Et tamen postea iterum ita de eo loquitur auctor cap. 41. quasi semper Samnitium fuerit, quandoquidem iis proelio victis a Consule L. Papirio, nobilitatem eorum et Equites Bouianum, perfugisse tradit. In his sane vel erroris ex se ipso argui potest Liuius, commissi, dum imprudens alios aliis locis sequitur auctores, inter se in annis capti a Romanis oppidi variantes vel, si vere toties fuit in Romanorum potestatem redactum, illud certe in diligentia eius summo iure desiderabitur, quod nusquam ad effugiendam incogitantiae speciem, ne verbo quidem significauit, identidem ab hostibus fuisse recuperatum.

Simile est, quod Bomilcar Poenus, postquam cum classe sua Syracusas venerat, inde iterum in Africam velis datis transmisisse lib. XXIV. c. 36. legitur, non quasi ad certam aliquam rem profectus, eaque confecta rediturus, sed simpliciter quasi in perpetuum illam urbem relicturus. Et tamen lib. XXV. c. 25. iterum ex portu Syracusano

no profectus vela in altum dedisse, edoctisque Carthaginensibus, in quanto res Syracusana discrimine esset, post paucos dies redisse dicitur. Rediisse et antea, licet id tunc memoriae mandare neglexerit Liuius, ex posteriore hoc loco intelligimus. Sic P. Scipio, superatis in Hispania Poenis, *L. Scipione fratre Romam missō, et Hannone hostium Imperatore, ceterisque nobilibus captiuis*, ipse Tarraconem concessisse traditur XXVIII. 4. At cap. 17. anno sequente similiter *L. Scipio cum multis nobilibus captiuis nuncius receptae Hispaniae Romam missus* legitur, nulla neque antea eius reditus in Hispaniam, neque hic superioris missionis facta mentione. His simile putat Castilioneus illud Sallustii in bello Catilinario, quod cap. 24. Catilina pecuniam Faesulas ad Manlium quendam portasse h. e. portari curasse, et postea cap. 27. eundem Faesulas misisse dicitur. *Igitur C. Manlium, inquit, Faesulas, atque in eam partem Etruriae, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat.* Haec Castilioneus intelligendum dicit, postquam Faesulis iam fuerat, reuertisse Manlium Romam, et inde iterum eo a Catilina missum. Sed putem ego potius Manlii mentionem posteriore quoque loco fieri, quia voluerit Sallustius, quo quemque Catilina miserit, coniunctim illic exponere, licet ille aliquandiu ante Faesulos a Catilina dimissus iam fuerit. Alius interpres in Iugurtha cap. 102. ubi Bocchus Mauritaniae Rex in excusationem sumpti aduersus Romanos pro Iugurtha belli adfert: *Numidiae partem, vnde vi Iugurtham expulerit, iure belli suam factam, eam vastari a Mario pati nequiuisse:* ille intelligi his censet, quod supra

cap.

cap. 96. Iugurtha Boccho, vt certius eum suis partibus adiungeret, *Numidiae tertiam partem promississe* dicitur. Verum id nequaquam respexisse potuit Bocchus, cum promissio ista demum ante proximum proelium fuerit facta, et quidem, non vt statim Bocchi fieret illa tertia Numidiae pars, sed finito demum bello, sub conditione, si aut Romani Africa expulsi, aut integris Iugurthae finibus bellum compositum foret. Dicendum ergo de eo, quod hic, seu vere, seu falso, ait Bocchus, nullum in superioribus occurrere verbum. Et recte sane, quoniam ad Romanos, eorumque cum Iugurtha bellum proprie non pertinebat, quod de eodem *vi et iure belli*, si vere ita accidit, ceperat Bocchus.

Non ita recte Livijs, qui lib. XXIII. c. 21. litteras a T. Otacilio Propraetore in Sicilia ad Senatum tunc datas refert, quibus nunciabatur *P. Furium Praectorem cum classe ex Africa Lilybaeum venisse, ipsum graviter saucium in discrimine ultimo vitae esse*; immemor, vt videtur, nihil prorsus in superioribus se edocuisse lectorem, id quod debuerat, de ista Furii in Africam expeditione, neque quid rerum ibi gesserit, neque quo casu, quove in proelio fuerit sauciatus, quamvis, rem profecto multo minoris momenti, classem ad Ostiam stantem a M. Cl. Marcello, Canusium ad exercitum post cladem Cannensem misso, ei traditam; annotare non neglexerit lib. XXII. c. 57. Publium quoque Sempronium Tribunum militum, quum victo iam et occidione pene occiso ad Cannas Romano nomine et castris erumperet per medios hostes cum sexcentis tantum militibus, a ceteris, qui erumpere non audebant, fuisse retentum discimus, non eo loco, vbi de ista eruptione agit, sed
 postea

postea ex oratione T. Manlii contra redimendos captiuos cap. 60. Man. Pomponio prorogatum dicitur lib. XXIV. c. 10. imperium in agro Gallico, quum nusquam antea in eam prouinciam missus reperiatur, quod certe magis, quam alterum illud, notandum fuerat.

Sed et de variis prouinciarum permutationibus, saepe a Liuiο praeteritis, qua re non raro euenit, vt Praetores aliosue, rem publicam repente, nec opinantibus lectoribus, in aliis gerere memoret prouinciis, quam quas ipsis superius euenisse scripserat, et in iis, in quas ante missos dixerat, prolixè disputauimus in nouissima Liuii Gronouiana editione ad lib. XXV. c. 41. quem locum pene conclamatum, tum aliis argumentis, tum praecipue huiusmodi exemplorum obseruatione clarissime, ni fallor, vindicauimus contra mirificas illas coniecturas, quibus eum integra uocabula inferendo, eliminando, transponendo vexabant uiri in Liuiο ceteroqui uersatissimi Sigonius et Pighius, non ferentes Cethego dici Apuliam euenisse, quum postea eum Siciliae praeesse, et Apuliam Consulibus tribui uiderent. Cui loco alium nunc addam, non minus illustrem, et quem Pighius ista re non animaduersa, prodigiose itidem corruptum censet, atque audacissimis coniecturis corrigere ac supplere conatur. Q. Claudius Praetor fit et Tarentum accipit prouinciam an. V. C. 545. M. Cl. Marcello V. et T. Quintio Crispino Coss. Liv. XXVII. c. 21. Prorogatur ei anno seq. imperium in eadem prouincia cap. 36. unde et cap. 38. dicit Auctor Collegam Liuii Salinatoris, Claud. Neronem *ex duobus Consularibus egregiis exercitibus, et tertio, cui Q. Claudius Taranti praecesset, electionem habere.* Quod ipsum noto, quia et illud, quod de tertio Q.

Q. Claudii exercitu Consuli concessio, si eo uti vellet, hic tradit, supra cap. 35. ubi, qui exercitus Consulibus fuerint decreti, ex professo exponit, prorsus praeteriit: tantum Neroni, *utriusq; mallet, Consulium prioris anni, exercitum sumeret, permiffum* illic ait Lib. XXVIII. c. 10. prorogatur ei iterum imperium: *Q. Claudio, ut Tarentum, C. Hostilio Tubulo, ut Capuam provinciam haberet, prorogatum in annum imperium est.* Sequenti anno, qui iam est ab Vrbe cond. 548. *ceteris praeter Consules, Praetoresque, qui exercitibus provinciisque praefuturi erant, prorogata imperia dicitur* lib. XXVIII. c. 45. At proximo huic anno decretum traditur lib. XXIX. c. 13. *ut T. Quintius Tarentum, C. Hostilius Tubulus Capuam Praetores, sicut priore anno, cum vetere uterque praesidio obtinerent.* Ad superiora vero si recurras, non T. Quintius Tarentum priore anno, sed Q. Claudius obtinuisse utique ex Liuii historia debuit. Quapropter Pighius Annali 547. Liuium in his clamat vel misere mutilatum, vel a sua ipsius historia aberrare, et a Plutarcho quoque dissentire, qui T. Quintium (intellige, non Crispinum, dudum iam mortuum, sed Flammininum) circa haec tempora post obitum Marcelli Tarento praefuisse scribat. Existimat ergo ex nominum similitudine *Q. Claudii Flamminini*, (quamuis male hoc ei cognomen tribuatur, qui *Flamen*, non Flamminus fuit dictus, ut docuit $\delta \pi \acute{\alpha} \nu \nu$ ad lib. XXVII. 21.) et *T. Quintii Flamminini* deprauatum et truncatum esse Liuium lib. XXVIII. 10. atque ibi rectius omnino et veritati historicae conuenientius lectum iri, immiffis quae aliis et maiusculis edi literis curauit: *Q. Claudio Flamminino T. Quintius Flamminus successor extra ordinem datus, obtineret ut Tarentum:*

tum: C. Hostilio Tubulo, ut Capuam prouinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. Sed primo incassum Plutarchi auctoritas Liuius opponitur, quum ille annum non exprimat, quo T. Quintius primum Tarento fuerit praepositus, sed solummodo eum sub Marcello vltimum Consule Tribunum mil. fuisse, et postea Tarento, regione circa Tarentum praefuisse. Deinde omnis tam immodeste Liuium emendandi atque interpolandi ratio plane collabitur, si quod satis superque hoc capite iam declaravi, intelligas et agnoscas, frequenter ei rerum multitudine, quas exponere susceperat, veluti obruto, accidisse, ut aliquid poneret, tanquam si de eo in superioribus iam vberius egisset, quamuis reuera nusquam ante eum meminerit, ut adeo parum sibi aliquando constare videatur, praesertim in his prouinciarum permutationibus, quas non accurate vbique et discrete, ut oportuerat, literis eum mandasse ad laudatum libri XXV. locum abunde probauimus. Iam quod ad T. Quinctium proprie attinet, non dubito illum proximo anno, quo generatim ceteris, qui tum prouincias habebant, *prorogata imperia* scribit Liuius, Q. Claudio successisse; eamque vnam in prouinciis tunc factam mutationem eum istuc annotare fuisse oblitum, et tamen postea, quasi suo loco annotasset, locutum: vel satis habuisse sequenti eam anno et libro, dum breuitati studet, verbo significare.

Nunc videamus porro, an ex ista Liuii, pene dixerim consuetudine, sicuti reiecimus illam sine vilo more modoque tentatam a Pighio emendationem, sic contra modestissima crisi succurrere Liuius possimus lib. I. c. 30. propter quem maxime locum pleraque haec a nobis obseruata et annotata primitus

mitus fatemur. Dicit valuisse apud Veientes, ne Sabinos, sollicitati ab iis, publico auxilio adiuuarent, *pactam cum Romulo induciarum fidem*. Atqui iam ante contra Tullum, rupta illa induciarum cum Romulo fide, bellum gesserant, vna cum Fidenatibus. Supra cap. 27. *Tullus aduersus Veientem hostem dirigit suos: Albanos contra legionem Fidenatium collocat*. Vide et Dionys. Halic. III. 6. et Festum V. *Septimontio*, qui etiam urbem Veientium a Tullo oppugnatam ait. Nullae ergo tunc amplius erant induciae cum Romulo pactae, pactae quidem in centum annos, sed gesto nouissime bello violatae iam, ruptae et abolitae. Glareanus Liuium memoria lapsum putat. Sigonius, qui Glareani censuras diligenter vbique examinat, et, si potest, refutat, hic tamen, quasi acquiescat, et nihil habeat, quo Liuium excuset, tacet. Sed profecto nimius ille foret memoriae lapsus, nimia ac Liuii prorsus indigna incogitantia, rei tam modo memoratae statim fuisse oblitum. Tertio enim abhinc capite de isto Tulli contra Fidenates et Veientes bello egit, immo hoc ipso etiam in loco a Sabinis scribit sollicitatos ad defectionem a Romanis Veientium animos *ob residuas bellorum iras, sed valuisse apud Veientes pactam nouissime, vt censeo, induciarum fidem*. Existimo autem, quoniam Liuius in superioribus nihil prorsus de exitu istius belli, aut pace inter Veientes et Romanos post horum victoriam restituta tradidit, abductus, vt videtur, narratione noui et inusitati supplicii, quo perfidiam Albani Ducis vindicauit Romanus, existimo ergo Veientes, composito tunc bello, Romanis seu eorum Regi Tullo Hostilio obligasse iterum suam fidem, pactis denuo in centum annos induciis: idque Liuium hoc demum loco per occasio-

nem

nem significare, scribendo: *valuitque apud Veientes pacta cum Tullo induciarum fides*: Sciolos vero, quia nihil ante de induciis *cum Tullo* pactis legerant, temere fati, sed more suo, *Romuli* nomen hunc in locum intulisse, quippe a quo Veientibus *agri parte mulctatis in centum annos inducias datas* (supra cap. 15.) meminerant. Atque ita plane *Liuius* lib. IV. c. 30. induciarum ad finiendum prius bellum cum iisdem Veientibus pactarum meminit demum initio alterius belli: *Cum Veientibus nuper acie dimicatum ad Nomentum et Fidenas fuerat, induciaeque inde, non pax facta, quarum et dies exierat, et ante diem rebellauerant*. De bello a Romanis contra Fidenates et Veientes gesto, pugnaque ad Nomentum et Fidenas pugnata, captisque ipsis Fidenis, ac Veientibus metu similis excidii exterritis, et nequidquam sollicitantibus ad commune bellum duodecim Etruriae populos supra capp. 21. 22. 23. egerat, at de induciis vel quocumque modo compositum fuerit bellum, ibi ne γὸν quidem. Multum me etiam in hac emendatione confirmat, quod cap. 42. libri I. auctor ait, *Peropportune ad praesentis quietem status bellum cum Veientibus (iam enim induciae exierant) aliisque Etruscis sumptum, scil. a Seruio*. Quibus verbis, si ad aliquem, non ad alium certe, quam hunc respexit, tentatum a me locum, nec alias intelligere potuit inducias, quarum quidem in superioribus meminerit, nisi has a Veientibus cum Romanis et Tullo in centum rursus annos ex mea sententia renouatas. Nam quas Romulus antea in centum annos iis concesserat, si maxime valuissent semper, tamen iamdiu ante Seruii imperium, immo iam ante Tarquini Prisci, exiisse debuerunt. At induciae cum Tullo in totidem

M

annos

annos quocunque eius imperii anno, pactae necessario sub Seruio demum suum decucurrerunt tempus. Nam Tullus regnavit annos XXXII. Ancus XXIV, Tarq. Priscus XXXVIII. Seruius denique XLIV. ex quo manifestum, quocunque Tulli anno initium centum annorum ponas, desinere illos in Seruiano imperio.

His tot exemplis, quibus patet Livium aliquando suis in historiis aliquid paetermisisse, idque clare satis colligitur ex sequentibus, quippe ubi saepe eius, tanquam antea vberius relati, ieiunam prorsus facit mentionem, subiungam aliud, simile prorsus culpa, sed tamen re contrarium. Nam infinita illa rerum et imprimis bellorum multitudine, quam enarrandam susceperat, etiam ita occupatus aliquando et distractus animo fuisse videtur, ut quod iam ante tradiderat, eius similiter plane oblitus, iisdem pene verbis alio deinceps loco, quasi novum et necdum expositum repetierit. Notat Sigonius ad XLV. 15. de Notis Censorum, de quibus ibi auctor, scripsisse illum etiam lib. XLIII. c. 15 et 16. miraturque eum quasi sui oblitum, eadem hoc etiam libro, quod facere haud solitus sit iterasse. Verum leue hoc est, si compares cum eo, quod tamen ille iam ante fecerat, eiusdem hominis ouationem bis, et quidem eodem in libro, sed diuersis locis, quasi priorum immemor, narrans. *Per eosdem dies* (ait lib. XXXVI. c. 21.) *et M. Fulvius Nobilior, qui biennio ante Praetor in vltiorem Hispaniam erat profectus, ouans urbem est ingressus: argenti bigati praese tulit centum et XXX. millia, et extra numeratum XII. millia pondo argenti: auri pondo CXXVII.* Iam cap. 39. *Per eosdem dies M. Fulvius Nobilior ex vltiore Hispania ouans Urbem est ingressus: ar-*
genti

genti transtulit X. millia pondo, bigati argenti centum et XXX. aur. CXXV. Nulla huius tam superuacuae repetitionis idonea reddi potest causa, nec aliam fuisse arbitror, nisi quod cum diuersis aucto-ribus in eo libro et anno esset vsus, et in illis ean- dem rem reperisset, posteriore in loco alium se- quenti memoriae vitio latuerit rem istam iam ante ex alio a se esse relatam. Corruptas etiam puto posteriore in loco numerorum notas in vulgatis edd. et pro X. et CXXV. ex priore reponendum XII. et CXXVII. cui emendationi astipulatur ve- rustus Codex Magontiacensis.

Similiter autem Appianus quoque C. Cassium in Syria octo legiones Caesarianas, tres Murci, tres Crispi, duas Bassi, bis eodem modo adiunxisse sibi refert diuersis in locis, quae, quia longiora, pene inuitus, sed tamen, quia ad id, quod demon- strare hic volo, pertinent, et praeterea cura etiam nostra indigent, adscribenda duxi: Prior Εμφυλ. γ. n. 575. Γάιος Κάισαρ ὅτε Συρίαν διώδεε, τέλος ἐν αὐτῇ καταλελοιπέι, τὰ ἐς Παρθυαίους ἤδη διανοόμενος. Τέτα τὴν μὲν ἐπιμέλειαν Καικίλιος Βάσσος ἔχει, τὸ δὲ ἀξίωμα Ἰάλιος Σέξτος, μετράκιον αὐτῷ Κάισαρος συγγενὲς. ὅπερ ἐκδικατωμένων ἐς τρυφήν, τὸ τέλος ἀσχημάτως ἐπήγετο πανταχῶ. Μεμφυμένῳ δὲ τῷ Βάσσῳ ποτὲ ἐνύβρισε, καὶ καλῶν αὐτὸν ὕπερον, ἐπεὶ βουδῶς ὑπήμασεν, ἄγαν ἐκέ- λευσεν ἔλκοιτας. Θορύβῳ δὲ καὶ πληγῶν γενομένων, ἢ στρατιῇ τὴν ὕβριν ἀφείρατα, τὸν Ἰάλιον κατηκόντισε. καὶ εὐθύς ἦν μετάνοια, καὶ δέος ἐκ τῷ Κάισαρος. Συνομό- σουντες ἦν, εἰ μὴ τις αὐτοῖς συγγνώμη καὶ πίστις γένοιτο, μέχρι θανάτου διαγωνισῶσαι, καὶ ἐς αὐτὸ Βάσσον ἀναγκά- σουντες, ἄλλο συνέλεξαν τέλος, καὶ συνεγύμνασαν. Ὡ δὲ μὲν τιτι περὶ τῷ Βάσσῳ δοκῆ. Λίβωνι δ' ὅτι τῆς Πομπηίης στρατιῆς γενόμενος καὶ μετὰ τὴν ἥτταν ἰδιωτεύων ἐν Τύρῳ, διέφθαρὲ τινὰς τῶ τέλος, * διεσχρήσαντο τὸν Σέξτον, καὶ

τῷ Βάσσῳ σφᾶς ἐνεχείρισαν. ὁποτέρως δ' ἐγένετο Σέξτον Μᾶλλον οὐδὲ μετὰ τριῶν τελῶν ἐπιπεμφθέντα σφίσιν ὑπὸ τῷ Καίσαρι, ἐγγρατῶς ἀπεμάχοντο ἕως ὃ Μᾶλος ἐπεκαλεῖτο Μινίκιον Κρίσπον ἡγόμενον Βιθυνίας, καὶ ἀφίκετο αὐτῷ βοηθῶν ὁ Κρίσπος τέλεσιν ἄλλοις τρισίν. ὡς δὲ ὑπὸ τῶν ἐπολιόρχων, ὁ Κάσσιος σὺν ἐπέεζα καταλαβὼν, τότε τῷ Βάσσῳ δύο τέλη παρελάμβανεν αὐτίκα, καὶ τὰ τῶν πολιορκητῶν αὐτὸν ἐξ, Φιλίππε παραδόντων, καὶ ὡς ἀνθυπάτῳ κατηκόων γενομένων. ἐψήφισο γάρ, ὡς μοι προέβηται, πάντας ὑπακᾶν Κασσίῳ τε, καὶ Βράτῳ. Ἀρτε δὲ καὶ Ἀλβιηνὸς ὑπὸ Δολοβέλλα πεμφθεὶς εἰς Αἴγυπτον, ἐπανῆγεν ἐξ αὐτῆς τέσσαρα τέλη, τῶν ἐκ τῆς ἥσσης Πομπηίας τε, καὶ Κράσσε διαβριφέντων, ἢ ὑπὸ Καίσαρος Κλεοπάτρας καταλελαμμένων. Καὶ αὐτὸν ὁ Κάσσιος ἀδὲν προπευσμένον, ἐν τῇ Παλαισίνῃ περιέλαβέ τε, καὶ ἠνάγκασεν αὐτῷ προδέδαι, δάπαντα τοῖς τέσσαρσι μάχεδαι πρὸς αὐτῷ. Ὡς δὲ μὲν δὴ Κάσσιος ἐκ παραδοξῆς δυόδεκα τελῶν ἀθρόως ἐκράτα, καὶ Δολοβέλλαν ἐκ τῆς Ἀσίας σὺν δύο τέλεσιν ἐλόντα τε, καὶ εἰς Λαοδίκειαν ὑπὸ οἰκειότητος ἐσδεχθέντα, περικαθήμενος ἐπολιόρχα, καὶ ἡ Βελή ματῆσα ἐψήφιστο. Hinc porro iam ad res Macedoniae transit, et inde iterum ad res Italiae, a quibus et proeliis circa Mutinam ad haec narranda deuenerat, ut adeo ista de Cassio illis temporibus in Syriam profecto, et tot legiones in suam potestatem redigente, exposita hic ex professo et separatim alienis plane rebus interposuerit, quod haud dubie non fecisset, certe minime fuisset opus, si omnia deinceps, quum res a Cassio et Dolabella in Syris gestas longius exsequitur, repetere iam tunc in animo habuisset. Alterius loci verba, sunt Εὐφουλ. Δ. η. 623. Ἐπὶ δὲ τῶν Κάσσιος φθάνει Δολοβέλλαν, εἰς τὴν Συρίαν ἐμβάλων, καὶ σημεῖα τῆς ἡγεμονίας ἀπέχε, καὶ δυόδεκα τέλη στρατῷ Καίσαρι ἐκ πολλῶν στρατευόμενα, καὶ γεγυμνασμένα προσέλαβεν ἀθρόως.

(Nonne

(Nonne haec sufficere illi debuissent, si meminisset, iam superiore libro separatim de his XII. legionibus, ut in Cassii potestatem venerint, a se esse expositum? sed pergit, etiam hic de singulis acturus, eoque facto statim ad Dolabellam transgressurus,) ἔ τὸ μὲν ἐν αὐτῶν ὁ Καῖσαρ ἐν Συρίᾳ καταλελοίπα, τὰ ἐς Παρθυσάκας ἤδη διανοόμενος. Τὴν δὲ ἐπιμέλειαν αὐτῆ ἐπατέτραπτο μὲν Καικίλιος Βάσσος, τὸ δὲ ἀξίωμα εἶχε νεανίας αὐτῆ Καίσαρος συγγενής, Σέξτος Ιάλιος Εκδισατώμενος δὲ ὁ Ιάλιος τὸ τέλος ἐς τρυφὴν ἐπήγετο ἀοχημόνως, καὶ ἐπιμεμφομένῳ τῷ Βάσσῳ ποτὲ ἐνύβοισε, καὶ καλῶν ὕπερον, ἐπεδὴ βραδέως ὑπήκεν, ἄγειν αὐτὸν ἐκέλευεν ἔλκοντας. Θορύβῳ δὲ ἀοχημόνος, καὶ πληγῶν ἐς τὸν Βάσσον γενομένων, ἐκ ἐνεγκῆτα τὴν ἄψιν ἢ στρατιὰ, τὸν Ιάλιον συνηκόντισε. Καὶ ἐνθὺς ἦν μετάνοια, καὶ δέος ἐκ τῆ Καίσαρος. συνομόσαντες ἐν ἀλλήλοις, εἰ μὴ τις αὐτοῖς συγγνώμη καὶ πίστις γένοιτο, διαγωνισέσθαι μέχρῃ θανάτῳ, τὸν Βάσσον ἐνταῦθα συνηνάγκασαν. τέλος δὲ στρατεύσαντες ἕτερον, συνεγύμναζον ἄμφω, καὶ Σέξτον Μάρκον ὑπὸ Καίσαρος αὐτοῖς σὺν τρισὶ τέλεσιν ἐπιπεμφθέντα γενναίως ἀπεμάχοντο. Μάρκῳ οὖτ' ἦκεν ἐπίκρος Μινίκιος Κρίσπος ἐκ Βιθυνίας μετὰ τριῶν τελῶν ἄλλων, καὶ τὸν Βάσσον ἐπολιόρκην ὁμῶ πάντες ἐξ τέλεσιν ἤδη. Κάσσιος ἐν τὴν δε τὴν πιλιουρκίαν σασδῆ καταλαβὼν, τὸν τε τῆ Βάσσε στρατὸν αὐτίκα παρελάμβανεν ἐκόντα, καὶ ἐπ' ἐκείνῳ τὰ Μάρκῳ τέλη, καὶ Μινικίᾳ κατὰ τε φίλιαν αὐτῷ παραδιδόντων, καὶ κατὰ τὸ δόγμα τῆς Βελῆς ἐς πάντα ὑπακχόντων. ἄρτι δὲ καὶ Ἀθληνὸς ὑπὸ Δολοβέλλα πεμφθεὶς ἐς Αἴγυπτον ἐπανῆγεν ἐξ αὐτῆς τέσσαρα τέλη, τῶν ἀπὸ τῆς ἥσσης Πομπηίᾳ τε, καὶ Κράσσε διαφθιφέντων, ἢ ὑπὸ Καίσαρος Κλεοπάτρας καταλελειμμένων. Καὶ αὐτὸν ὁ Κάσσιος ἐν τῇ Παλαισίῳ, τῶν ὄντων ἄδεν προπεκυσμένον, ἄψιν περιέλαβέ τε, καὶ ἠνάγκασε προδέσθαι οἱ, καὶ παραδέσθαι τὸν στρατὸν, δέσαντα τέσσαρσι τέλεσι μάχεσθαι πρὸς ὀκτῶ. ἔτω μὲν ὁ Κάσσιος ἐκ παραδόξῃ δυόδεκα τελῶν

ἀρίστων ἀφροῦς ἐκράται, καὶ αὐτῷ τινὲς καὶ Παρθυαίων
 ἰπποταξόται συνεμάχην, δόξαν ἔχοντι παρὰ τοῖς Παρ-
 θυαίοις, ἐξ ἧς Κράστω ταμιεύων, ἐμφρονέτερος ἔδοξε τῆς
 Κράστω γενέσθαι. Διλοβέδω δὲ etc. Vides Lector
 superuacuum profusum rerum iam ante eodem modo
 et aequè prolixè relatarum repetitionem. Sed
 purgemus haec obiter, et simul quid in Appiani
 diligentia desiderari in his possit, ostendamus.
 Posteriore loco: τὸν Βάσσου ἐνταῦθα συνηνάμασαν,
 lege ἐς ταυτὰ h. e. Bassum iureiurando eodem et
 ad eadem consilia adegerunt. Antea dixerat, καὶ
 ἐς αὐτὸ Βάσσου ἀνογκάσαντες, vbi item melius forte
 sit ταυτὸ. Priore loco, καὶ τὸν Διλοβέδω ἐν τῆς
 Ἀσίας σὺν δύο τέλεσιν ἐλόντα, immo ἐλθόντα. Lacuna
 est ante διεχρήσαντο τὸν Σέξτον. Credo excidisse, ὅτι
 δὲ, nempe corrupti illi milites. Sed maxime in
 nominibus propriis, vt vbique, ita et hic vitiata
 est Appiani historia. *Albicum* Dolabellae Lega-
 tum lib. III. interpret etiam in versione appellat,
 qui tamen *Allienus* non modo in ipso Appiano po-
 stea nominatur, sed et cum praenomine *Auli* in
 Epist. Cassii ad Cicer. Famil. XII. ep. 11. et 12.
*Quatuor legiones, quas A. Allienus ex Aegypto ad-
 duxit, traditas ab eo mihi esse scito.* Vide et
 Philipp. XI. Porro *Sextium Murcum* (Μῆρκον enim,
 non Μῆδρον legi necessario debet) et *Minucium
 Crispum* Cicero Philipp. XI. atque alibi *L. Sta-
 tium Murcum*, et *Q. Marcium Crispum* vocat,
 cumque eo ceteri omnes: vt nesciam librariorum
 an ipsius Appiani is sit error, quod utroque loco
 peruerse adeo illorum nomina scribuntur. Malim
 tamen librariis adscribere, quia occurrunt illi, et
 eodem quidem modo nominati, apud omnes pene,
 qui huius temporis res memoriae mandarunt, adeo-
 que notiores ferme sunt, quam vt ita in utroque
 simul

simul errare potuerit Appianus, eaque causa factum videtur, vt sicuti alia pleraque nomina propria, etiam gentilitia, maxime si celebria sint, sic etiam haec propter virorum insignem celebritatem olim a festinantibus scribis primis tantum literis fuerint notata, quas deinde alii aetate et scientia longe inferiores pro suo captu peruerse videntur esse interpretati. Certe horum hominum culpam esse non dubito, quod in priore loco *Λιβων* legimus, quum haud dubie Appianus *Λιβίου* scripserit, *Linium* alterius de Basso, Pompeiano scil. sententiae auctorem citans. Libonis enim Annales apud Ciceronem quidem inuenio, sed in quibus de huius temporis rebus agi non potuit. Liuius vero Bassum, id quod illic Appianus memorat Pompeianarum fuisse partium prodidit lib. CXIV. Audi epitomen eius, quamuis et in illa vehementer etiamnum adulterata sit haec Bassi historia: *Bellum in Syria Caecilius Bassus Eques R. Pompeianarum partium excitauit relicto a legione Sexto Caesare, quae ad Bassum transferat; occisoque eo Caesar Scipionem Praetorem, vel potius, vt vult Gronouius, Proconsulem, Afranium, Iubamque vicit ad Thapsum.* Volunt haec, C. Caesarem Dictatorem bellum a Basso excitatum oppressisse occiso Basso, eoque facto deinceps in Africa vicisse ceteros Pompeianos. Sed recte monuit Sigonius, nouum orationis principium a voce *Caesar* faciendum esse. Quod tamen quia tantum pro auctoritate monuit, non docuit aut probauit, et commodior videbatur vetus distinctio historiae ignaris, dicto audientes alios non habuit, lectoresque Liuii, quorum longe maxima pars, vt constat, non simul legit omnium notas, nihil vel parum illa admonitione iuuantur. Vt ergo historiae sua constet fides, non

modo ante *τὸ* *Caesar* distinguendum censeo, sed et delendam proximam uoculam, legendumque *relictō a legione Sex. Caesare, quae ad Bassum transierat, occisoque. Caesar Scip.* etc. Nempe Sex. Caesar relictus a legione et occisus fuit opera Bassi, qui, eo facto, bellum excitauit Dictatori Caesari, sed a Caesarianis Statio Murco, et Marcio Crispo contra eum missis oppugnatus fuit, neutiquam tamen ante necem Caesaris occisus vel mortuus. Appianus autem fati habuit sententiae, quam Liuius prodidit, meminisse, sed ipse, ut ex posteriore loco patet, illa neglecta praetulit alteram. In quo ego et eum, et omnes, quos sequitur, parum diligentes rerum istarum indagatores fuisse, pronunciare nihil vereor. Nam Caecilium hunc Bassum vere Pompeianum fuisse, et falsis rerum Africanarum rumoribus excitatum bellum in Syria Caesari reparare studuisse, vel ex Ciceronis ad Caesarem ipsum oratione pro Deiotaro didicisse potuissent, quippe quae auctoritate omnibus aliis historicorum scriptis hac in re longe praestat, quum Cicero ciuili bello ipse interfuerit, Pompeianos atque Caesarianos non ignorauerit, et si maxime errasset, errorem illum haud dubie admonitus a Caesare, qui certe suos a Pompeianis distinguere nouerat, correxisset, quum eam orationem edidit, ille ergo aperte Liuium tuetur, uerum tamen ut nunc quidem in Gruteriana et aliis editionibus legitur, minime intelliges, de quo loquatur, quandoquidem ibi peruersē prorsus sed uisitato in his nominibus lapsu *Caelius* uocatur Bassus ille, quamuis Pall. et Lambiniani codd. uerum eius nomen *Caecilius* praeferant, eoque fati indicent, de ipso, in quem tempus, locus, et res ipsa uice conuenit, in ea oratione agi. Verba sunt,

sunt, vt legi oportet, cap. 8. *At misit (Deiotarus) ad Caecilium, nescio quem; sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula coniecit. Et deinde: Sed tum cum ad Caecilium mittebat, vtrum causam illam victam esse nesciebat, an Caecilium istum magnum hominem esse putabat?* Manifestum hinc fuisse Pompeianum, quod est, fuisse in causa illa, quam victam non ignorabat Deiotarus. Iterum cap. 9. *Secutum est bellum Africanum. Graues de te rumores sparsi, qui etiam furiosum illum Caecilium excitauerunt.* Patet et hinc Caecilium Bassum, non coactum a militibus, sibi occiso Sex. Caesare mentuentibus, vt vult Appianus, sed rumoribus de clade Dictatoris Caesaris in Africa excitatum, vltro legionem ad necem Sexti Caesaris incitasse, corrupisse, et sibi adiunxisse, plane vt Dio lib. XLVII. qui in his Ciceronem et Liuium, vt oportebat, est secutus, et pluribus haec exposuit. Verum vt maxime Pompeii partibus in bello ciuili adhaesit Bassus, inuitus tamen postea legionem, quam Apameae habuit, Cassio tradidit, vt ipse Cassius ad Cicer. Famil. XII. 12. scribit. Quapropter etiam ab illo, cum ceteris, qui sub eo militare nolebant, dimissus tandem fuit, teste Dione, atque hinc forte nata ista Appiani de illo sententia, quasi Caesarianus fuisset, et a militibus coactus contra Caesarem arma sumere.

C A P V T V.

Quae ante Urbem Romam a Gallis captam, vastatam, ac incensam gestae, inque vetustis Romanorum Annalibus ex illo tempore reperiuntur

peritae ac memoriae proditae, ipse Liuius VI. 1. *res obscuras* vocat, quum vetustate nimia, veluti quae magno ex intervallo loci vix cernuntur tum quod rarae per eadem tempora literae fuere: una custodia fidelis memoriae rerum gestarum; et quod etiam, si quae in commentariis Pontificum, aliisque publicis priuatisque erant monumentis, incensa Vrbe, pleraque interiere. Ad quem locum respexit haud dubie Plutarchus in lib. de fortuna Rom. quum in eius extremo de Vrbe a Gallis occupata, sed mirifice seruata et liberata locutus ait: Ἀλλὰ τί δὲ περὶ ταῦτα διατρίβειν, ἢ σαφές ἔσθαι, ἔσθ' ἄριστον ἔχει, τῶ καὶ τὰ πράγματα διαφθαρέναι τῶν ἡωμαίων, καὶ συγχυθῆναι τὰς ὑπ' αὐτῶν ὑπομνηματισμὸς, ὡς Δίβιος ἐσήρηκε. Idem in Numa ipso initio Clodium ait in libello, quem appellauerit ἔλεγχον χρόνων, adfirmare, antiqua temporum et generum monumenta in Gallicis Urbis malis periisse.

Neque tamen res illis temporibus, et circiter gestas, eo solum, quod quae literis vel per Pontifices, vel per alios publice priuatimque mandatae tunc iam essent, in illa Urbis conflagratione maximam partem interierint, *obscuras* dicit Liuius, sed vel maxime etiam eo quod paucissima tunc litteris fuerint mandata, hoc est *rarae per eadem tempora fuerint litterae*, quas verissime vocat *unam fidelem custodiam memoriae rerum gestarum*. Et sane rarae adeo primis Urbis temporibus eae fuerunt, vt non modo res tunc gestae vberioribus litterarum monumentis non fuerint mandatae diligenter, et custoditae ad posteritatem, sed et vt annorum numerus ac memoria publice fuerit seruata tantum tantum clavo in parietibus sacrarum aedium per annos singulos fixo, qui inde proprie *Clauus annalis* dicebatur, vt vult Festus, vel ex

eo Paulus. Quin immo *lex fuit vetusta priscis litteris verbisque scripta, ut qui Praetor Maximus sit, Idibus Septembribus clauum pangat*, ait Liuius VII. 3. Subiungens porro, *eum clauum, quia rarae per ea tempora litterae erant, notam numeri annorum fuisse*: Denique non Romae tantum, sed et inter Etruscos idem olim obtinuisset, atque adeo, ex affirmatione et fide Cincii, *Volsiniis quoque clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiae, Etruscae Deae, comparere*. Postea tamen inualescente tandem litterarum usu, in desuetudinem ea res abiit, ideoque anno post Urbem conditam 391. captam 28. Dictator iussu Senatus *clauum figendi causa* fuit dictus, non ad numerandos eo annos, sed ad leuandam, quae tunc Ciuitatem affligebat, pestilentiam, quia, et tamen neque tunc ex litterarum monumentis, sed potius *ex Seniorum memoria*, ut dicto loco ait Liuius, fuerat *repetitum, pestilentiam quondam clauo ab Dictatore fixo sedatam*. Apud rusticos vero litterarum, vel memoriae per litteras seruandae, temporisque per annos ab Vrbe condita, aut alia ratione notandi ignaros plerumque et rudes, ac antiquae simplicitatis, ut plurimum, retinentissimos, numerans iste clauus diutissime in usu mansisse videtur. Nam Petronius pauperem et agrestem describens casam:

*At paries circa palea satiatius inani,
Fortuitoque luto, clauis numerabat agresteis.*

Ita enim malo, retinendo veterem tum scriptam, tum editam olim lectionem, quam quae coniectant viri doctissimi, pene in quot capita, in tot diuisi de hoc loco sententias, partim etiam, facta sane magna mutatione, istam clauum in pariete figendi consuetudinem in his verbis prorsus tollentes.

Nam

Nam alius *clausos munibat agrestes* quod Salmasii est: alius eruditionis fama non minor, *clausos umbrabat agrestes*: Durantius Casellius *clauus numerabat et annos*; denique alii *clauus numerabat agrestis* scil. in pariete, vel *clauis numerabat Agrestis*, scil. homo in pariete, vel *At paries etc. clauos numerabat agrestis*. Sensum ego vetustae et genuinae lectionis esse puto, parietem illum clauis, quos fixos continebat, numerasse, vel clauorum numero significasse singulos istius loci vel domicilii agrestes, eorumque aetatem seu annos. Ad aetatem enim suam suorumque declarandam potissimum his clauis vsi fuerunt agrestes et singuli homines habuere in pariete suos clauos aetatem ipsorum significantes, nouo quotannis ad priores addito, vel parietes habuerunt tales singulorum hominum clauos, et ita his clauis significarunt non modo annorum sed et ipsorum hominum in quaque agresti huiusmodi familia numerum. Et hoc est *paries clauis numerabat agrestis*.

Ceterum ex ista litterarum raritate necessario euenit, vt in rebus tam vetusto seculo gestis laboraret nunc aliquando Annalium fides. Nec raro ea de re conqueruntur ipsi veteres, veluti, quod ait Liuius II. 21. *Tantis erroribus temporum se implicari, vt nec qui consules fuerint, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate rerum digerere possit. Cura non deesset*, inquit Idem VII. 2. *si qua ad verum via inquiringentem ferret. Nunc famae rerum standum est, vbi certam derogat vetustas fidem*. Atque hinc dum alii alios partim secure, patim etiam necessario sequebantur, et ita, vt nonnunquam *plura transcriberent*, quod de se fatetur Curtius IX. 1. *quam crederent*, quia subducere non sustinebant, quae ab antiquioribus accepe-

acceperant, et certa ad verum perueniendi via inquirentes destituebat, communia etiam omnium scriptorum in historia veteri occurrunt et nunc, et olim errata, quae tandem felix et diligens industria non imbecilla ratione, nec infirmo argumento detegit aliquando et refutat. Cicero de Cn. Flauio, Fastisque ab eo primum prolatis et publice propositis quod affirmauerat, Attico suo in dubium vocanti, *si secus sit*, reponit *commune esse erratum*, et se publicam prope opinionem secutum in Epist. VI. 1. et talia apud Graecos multa dari addit, *Quis enim non dixit*, inquit, *ἐὐπολεῖ τὸν τῆς ἀρχαίας* ab Alcibiade nauigante in Siciliam deiectum esse in mare? redarguit Eratosthenes, adfert eum, quas ille post id tempus fabulas docuerit. Defunctorium profecto argumentum! Num idcirco, pergit, *Duris Samius homo in historia diligens*, quod cum multis errauit, irridetur? *Quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit?* num igitur iacet Theophrastus, si id a Timaeo, tuo familiari, reprehensum est? Sic Liuius IV. 20. Omnes ante se Auctores de spoliis opimis A. Corn. Cossi ex titulo spoliis inscripto arguit. Quod tamen an iure et recte faciat, cap. VII. videbimus. Sed et nobilissimi belli Punici tempore Omnium prope Annales, *Fabium Dictatorem aduersus Hannibalem rem gessisse, tradere*, notat Idem XXII. 31. *Coelium etiam, eum primum a populo creatum Dictatorem, scribere, sed et Coelium et ceteros fugisse, vni consuli*, quoniam alter in pugna iam erat occisus, ius fuisse dicendi Dictatoris; Ille vero quia procul in Gallia aberat, nec moram territa clade ciuitas exspectare poterat, eo decursum esse, *ut a populo crearetur, qui pro Dictatore esset. Res vero inde gestas, gloriamque insignem Ducis et augentes titulum imaginis posteros, ut qui*

pro

pro Dictatore erat, Dictator crederetur, facile obtinuisse. Et sane ex hoc augendi titulos, honores, laudem, gloriam, et decus maiorum suorum studio, ut apud omnes populos, ita et apud Romanos adulteratam esse in multis, violatamque historiae fidem ipsorum testimonio et clarissimo exemplo, cap. seq. vberius probabimus.

Sed et maxime de antiquissimis Urbis rebus, quia certam derogabat vetustas fidem, et id circa famae praecipue fuit *standum* posterioribus scriptoribus, ea autem incertis rumoribus, vel obsoletis traditionibus plerumque subnixæ, res gestas populi sui vetustate obscuras in maius semper, immo in miraculum vsque extollere gestit nonnulla etiam istarum rerum pro veris tradita in Romanis historiis reperiri, quæ praecipua quidem sui parte vera sint, sed tamen adiuncta etiam habeant Poeticis fabulis et miraculis propiora, quam historicae fidei, et verisimilitudini, nemo, opinor, negabit, praesertim quum etiam ipsos *scribentium animos nimis ferme inclinare in vanum*, ipse Liuius dicat XXII. 7. vel saltem in gratiam patriæ suæ, aut illustrium in ea hominum vel familiarum nimis credulas saepe praebeant vanitati aures. Atque ideo Tacitus ab hoc vitio animi alienissimus *petit ab iis, quorum in manus cura sua venerit, ne divulgata atque incredibilia avidè accepta, veris neque in miraculum corruptis antehabeant.* Ann. IV. 11. Huius generis sunt *Numam* æquissimas leges et cerimonias sancientem *collocutum* ante cum *Egeria*, *Tarquinio* Prisco Romam aduenienti, et ad regnum ibi producendo *apicem ab aquila impositum* esse, in quæ non nimis diligenter anquirere nos iubet Cicero eosque qui vera hæc putent, irridet lib. 1. de Legibus. Talis etiam est, quæ expugnationi
Veien-

Veientium inferitur, fabula, immolante eorum Rege, vocem haruspiciis dicentis, qui eius hostiae exta profecuiſſet, ei victoriam dari, exauditam in cuniculo, mouiſſe Romanos milites, vt adaperto cuniculo exta raperent, et ad Dictatorem Camillum ferrent. De quibus Liuius V. 21. *Haec ad ostentationem scenae, gaudentis miraculis, aptiora, quam ad fidem, neque affirmare neque refellere operae pretium est.*

Similia quaedam priscae credulitatis et simplicitatis exempla Dionysius quoque Halicarnassensis in antiquioribus Romanorum Annalium conditoribus reprehendit, inque iis, quod de Fabia gente trecentos sex viros ad bellum cum Veientibus gerendum emittente, et tamen vnum modo impuberem puerum de tot gentilibus habente ac Romae relinquire ab illis traditur. Posterius enim multis ille argumentis lib. IX. cap. 5. conuellerē conatur. Nunquam tamen vel sic sententia eius mihi visa fuit probabilior vulgari, quamuis tamen et ipsam verear, ne tractu temporis vel incuria scriptorum peruerſe rem interpretantium vel lenitate famae, nobilissimae gentis, et per eam, patriae Urbis laudi ac gloriae plus aequo gratificantis, aliquantum a veritatis semita aberrauerit. Quamobrem et mihi venia velim detur, si Dionysii exemplo, et Liuii permissu, qui proxime laudato loco, *in rebus tam antiquis, si, quae similia veri sunt, pro veris accipiantur, satis habere se* profitetur, si inquam et Ego historiam rei multo antiquioris et diu ante captam Urbem gestae, diligentius hic excutere, quodque in ea pro verisimili non habeo, ideoque nec pro vero accipere possum, reiicere, et quid denique veri contineat, quid falsi mea sententia adpersum habeat, aperte expromere audeam.

Non

Non equidem in dubium vocare velim praecipuam rei gestae partem, nempe Fabios bellum Veiens sibi proprie depoposcisse, sumfisse, et gessisse, omnesque ad hoc bellum egressos, ab hostibus ad vnum caesos. De eo enim dubitare nos non finit, tum quod teste Dionysio, dies illius cladis inter atros et nefastos olim relatus, et semper postea habitus fuit, tum quod, vt ait Florus, *scelerato signata nomine, quae proficiscentes in proelium porta dimisit*. Quibus in verbis, vt hoc obiter moneam, nulla fatis iusta de causa maluit Freinshemius *sceleratae*, quia porta *scelerata* fuerit dicta. Nam porta, quae *scelerata* dicitur, *sceleratum* habet nomen, h. e. a scelere formatum, sceleris significationem prae se ferens. Sic *sceleratus vicus* ab Ouidio *infamis* dicitur, non vtique *scelerati*, sed *sceleris nomine*, quod idem plane est, et eadem ratione dicitur, ac apud Florum *scelerato nomine*. Verba sunt in Ibide v. 363. de Tullia Tarquinii

Infamemque locum sceleris quae nomine fecit.

Prorsus vt Valer. Max. IX. II. I. *Ipsam etiam vicum sceleris cognomine commaculauit.*

Ea vero porta quum teste Floro, cognomine suo memoriam rei, quae nullo alio modo melius conseruatur, ad posteros propagauerit, quis temere fidem derogare ausit praecipuae laudi atque ornamento nobilissimae Fabiorum gentis, per portam illam ad bellum priuatis copiis et viribus contra Veientes gerendum profectae, et occisione occisae? Verum tamen emisisse eam ad hoc bellum *trecentos sex milites, omnes patricios, omnes vnius gentis*, h. e. vere Fabios patricios, *quorum neminem Ducem sperneret, egregius quibuslibet temporibus*

bus Senatus, vt ait Liuius II. 49. cum ceteris, qui vno ore idem tradunt hic consentiens: et porro hanc tam numerosam militaris aetatis virorum gentem nullos infantes, nullos denique impuberes habuisse, praeter vnum, quem in Vrbe reliquerit, et a quo omnes postea Fabii fuerint procreati, quis facile credat? Certe Dionysius vt paulo ante significauit, etsi tot numero vere Fabios ad hoc bellum profectos et caesos prolixè pro vero narret pag. 580. edit. Sylb. tamen, quod de vno a tota gente Romae relicto puero, huic historiae a quibusdam, vt ait, adnectitur, ἔτε ἀληθὲς, ἔτε πιθανόν, ἐκ παρακλήσεως δὲ τινος πεπλασμένον ἀπὸ τοῦ ἀληθῆς, nec verum, nec verisimile, sed ex auditione quadam a vero aliena effectum pronunciat! Immo fieri non posse affirmat, vt illo tempore tot Fabii fuerint coelibes et ἀπαίδες, quoniam prisca lege, qui per aetatem possent, cogebantur vxores ducere, et liberos educare; Denique *fabulis et scenicis figmentis* simile ait, tot numero viris non fuisse paruulos infantes, vel impuberes fratres, vel vxores masculae prolis grauidas, vel etiam, si ita fuisset, patres eorum, militarem aetatem iam egressos deleta nobilissimae suae gentis omni iuuentute non iterum operam pro virili dedisse procreandis liberis, qui gentis illa clade magis adhuc nobilitatae nomen et sacra ab interitu seruarent. Censet ergo ex tribus fratribus Caesone, Marco, et Quinto Fabiis, qui proximis septem annis continuauerant in suo nomine, sibi inuicem succedentes, Consulatum, soli Marco fuisse superstitem filium, (nam is qui superfuit, puer impubes, reuera Marci fuit filius.) Quia vero praeter eum nullus alius deinde fuerit gloriae laude illustris, aut ad honores peruenerit, hinc

N

naratam

natam opinionem, eum solum ex omni gente tunc penitus sublata fuisse reliquum, vel solum in omni gente fuisse impuberem.

Haec quidem speciose prorsus ita disputantur, sed tamen omnes, qui proximis temporibus in Annalibus et Consularibus Fastis Fabii reperiuntur, vere ab hoc vno Marci Filio, Q. Fabio Vibulano, videntur orti, quandoquidem deinceps proximi patrem Quintum, auum Marcum remotiores auum, Quintum illum, habuisse istic leguntur. Praeterea si plures superfuissent tunc ex illa gente, haud dubie et illorum, si non omnibus, vel plerisque, saltem quibusdam etiam aliis horumue posteris proximis summus honor et Magistratus fuisset a populo delatus, propter recentissimam gentis gloriam, tristem recordationem patrum, ac tot pro patria fortiter pugnando caesorum gentilium, quos ipsos exeuntes, *Consulatus ac triumphos, omnia praemia ab se, omnes honores sperare* populus iusserat. Hanc ergo beneuolentiam quum in illis ipsis exercere non posset, nonne vltro et studiose, accedente praesertim, quae plurimum apud plebem valet commiseratione tot pariter pro se occisorum, deriuaturus esset in eorum liberos et nepotes, si ex iis superfuissent complures, vt statuit Dionysius, aequae ac in vnus Marci vnicum filium, quem solum alii ex omni gente superfuisse volunt, et in quem certe solum, pene adhuc puerum, et deinde in eius omnes, numero tres, filios multiplices mox consulatus, seu Consularis dignitatis Magistratus liberaliter contulit: Haud dubie non alia de caussa, quam quia non alii erant Fabii, vel certe pauci in quibus istud suum studium his beneficiis declarare poterat.

Denique

Denique quicquid argumentetur et contendat Dionysius, ceteri omnes scriptores, etiam post eum vulgatam tamen tuentur opinionem, posteritatisque tanquam veram et indubiam produunt. *Liuius Trecentos sex periisse satis constat, vnum prope puberem aetatem, relictum, stirpem genti Fabiae, dubiisque rebus Populi R. saepe domi bellicae vel maximum futurum auxilium.* Ouid. Faator. lib. II.

*Vt tamen Herculeae superessent semina gentis,
Credibile est ipsos consuluisse Deos.*

*Nam puer impubes, et adhuc non utilis armis
Vnus de Fabia gente relictus erat.*

*Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci
Cui res cunctando restituenda foret.*

Similiter Silius Ital. lib. VII. init. Festus in v. *Numerius*, Auctor Epitomes de Nominibus, quae Valerio Max. adiungitur, et Eutropius lib. I. *Fabii Cunctatoris* ut Ouidius, immo et Silius, ita Aurelius quoque Victor cap. 14. hac Fabiani belli et caedis occasione meminit: *Vnus ex ea gente propter impuberem aetatem domi relictus genus propagauit ad Q. Fabium Maximum, qui Hannibalem mora fregit, Cunctator ab obtrektoribus dictus.* Talia vero Auctorum loca, ut et ipsius Virgiliū lib. VI. verba,

*Quo fessum rapitis Fabii? Tu Maximus ille es,
Vnus qui nobis cunctando restituis rem,*

Seruium videntur induxisse in opinionem, quasi vnus ille a Fabiis Cremeram exeuntibus Romae relictus, fuerit is ipse, qui diu postea cum Hannibale bellum gessit: *Vnus, inquit, tantum superfuit Fabius Maximus, qui propter teneram adhuc pueritiam in ciuitate remanserat.* Hic postea quum

Hannibalis impetum ferre non possit, mora eum elusit, et ad Campaniam traxit. Falsum est, eum qui superfuit, cognominatum fuisse *Maximum*, quo cognomine primum ornatus est *Fabius Rullianus*, qui *Ambustis* successit, ut hi *Vibulanis*, quo nomine appellatus postea fuit ille impubes Romae relictus. Falsissimum vero illum esse eundem cum eo, qui postea, immo plus quam duobus seculis post, Hannibalis impetus cunctando elusit et fregit. Non minus oscitanter hac parte veteres legisse Orosius videtur, quum pro eo, quod illi vnum Romae impuberem ab exeuntibus Fabiis relictum tradunt, ipse vnum e clade euasisse, ad eam Romae nunciandam scribit II. 6. *Inducti in insidias circumuentique ab hostibus omnes ibidem trucidati sunt, vno tantum ad enunciandam cladem reseruato, ut miserius audiret patria perditos, quam perdidisset.*

Ceterum evidens ex his Dionysii auctoritatem a posterioribus plane sperni, et vnum solummodo Fabiae gentis ab omnibus memorari superstitem: haud dubie, quia constanter nimis a veteribus id fuerat traditum, quam ut ab aliis deinde potuerit negligi. Et sane nullam ego perspicio causam, quamobrem quispiam, si id ab antiquioribus diserte traditum non accepisset, primus vel prudens volensque finxisset, aut fingere fuisset ausus, vel imprudens affirmasset, quum neque ad gloriam gentis pertineat, neque cuiquam, qui id apud alios itidem non legisset, vel antea non audiisset, verisimile fieri, aut persuaderi facile posse videatur. Lubens enim assentior Dionysio, minime verisimile videri, si CCCVI. Viri fuerint in Fabia gente, nullos omnino fuisse in ea infantes, nullos pueros, praeterquam vnum illum Marci filium.

Nam

Nam ne putemus, eum forte vnum fuisse tenellum infantem, pueros autem etiam inter illos trecentos, vel vna cum illis fuisse eductos ad bellum, Liuius intercedit, qui eum ipsum *PROPE puberem aetatem* tunc fuisse adfirmat; id quod et ex Fastis Consularibus clarissimum est, vtpote ex quibus constat, illum decimo post caesos suae gentis homines anno id aetatis iam fuisse, vt Consulatum gesserit. Sed nihilo verisimilius videtur, quenquam rem tam non verisimilem, tamque absurdam et nihil ad gloriam vel gentis Fabiae, vel Urbis Romae augendam magnopere facientem historiae veteri de suo addere, vel tam absona et abhorrentia ab omni veri specie confingere, et in vulgus spargere primitus fuisse ausum.

Quamobrem alia ratione iste veterum consensus hac in re conuellendus est, alioque pacto rei veritas indaganda, et a falso secernenda. Nimirum nunquam ego quidem crediderim trecentos sex patriciae Fabiae gentis fuisse tunc in Vrbe viros militaris aetatis, quamuis id omnes affirment. Quid enim? An nemo ex tot nobilissimis patriciis, praeter tres illos fratres Caesonem, Marcum, et Quintum, qui per septem continuos annos Consulatum gesserunt, nemo, inquam, praeter hos isto summi honoris et imperii, alioque quo Magistratu dignus Populo R. fuisset visus? Contra Liuius *neminem illorum*, ait, *Ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus Senatus*. Et Ouidius

E queis Dux fieri quilibet aptus erat.

Nemo tamen ex ceteris, omnibus ad Consulatum peruenisse vsquam legitur, nisi illi fratres et hi quidem per integrum septennium; qui tamen haud dubie, vt credibile est, quum tanta apud Patres

et plebem gratia florent, etiam alium quempiam ex tot agnatis et gentilibus, si tot habuissent, ad illam *ἐπιώνυμον ἀρχὴν* h. e. imperium in Vrbe Roma summum, quod tempori et annis nomen dabat extraxissent quippe qua re minorem inuidiam sibi et familiae suae erant conflaturi quam toties per tres fratres Consularum continuando. Verum ea Consulatus continuatio et repetitio per tot annos in vnus viri tribus filiis satis superque, ni fallor, declarat fuisse tunc aliquam penuriam nobilium et illustrium hominum, non modo Fabiae gentis, sed et omnium patriciarum.

Affirmare immo ausim, tunc temporis trigesimo nempe post exactos Reges anno, non fuisse multo plures trecentis patricios virili aetate, omnibus istius generis familiis in vnum confusis. Tarquinius enim Superbum legimus, simul ad regnum accessit, primores Ciuitatis qui tunc omnes erant patricii, plerosque, inque iis etiam propinquos suos, immo sororis suae filium L. Bruti fratrem interfecisse, idemque etiam in Gabina Ciuitate faciendum, tacite, summa papauerum capita decutiendo, filio significasse. Scilicet quia maxime metuendum ab illis est ei, qui data a populo potestate contra ius et fas abutitur. Iam vero quis credat tam potentem, tam nobilem, immo ipso nobiliorum, et pene Urbis originibus antiquiorem Fabiorum gentem habuisse eum eximiam, et reliquisse intactam, nec metuisse veluti graues securitati suae tantas vnus gentis vires, tot homines firmissimo cognationis vinculo inter se connexos, qui et omnium tutissime ad tyrannum subuertendum conspirare, et facillime eum subuere possent. Deinde cum istis caedibus multum deminuto Patrum numero, primi Consules eum, iterum ex-
plerent

plerent vsque ad trecentorum summam, allegisse traduntur etiam equestris gradus homines, scilicet quia numerum istum patriciis explere non poterant, et simul, ne viderentur malle, nimio plebeiorum fastidio, semiplenum relinquere Patrum numerum, quam eius quoque generis Senatores adsciscere, id quod stabiliendae tunc temporis necessario ciuium concordiae alienissimum fuisset. Vide sis Lium, Dionysium, Plutarchum. Sed audi inprimis Festum: *Qui Patres, qui Conscripti vocati sunt in Curiam, quo tempore Regibus Vrbe expulsis P. Valerius Consul propter inopiam Patriciorum ex plebe adlegit in numerum Senatorum Centum et LXIV. vt expletet numerum trecentorum.* Et alibi: *Adlecti dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equestri ordine in Senatorum sunt numerum assumpti. Inopiam, supple ex superiore loco, Patriciorum, qui Ordo maxime a Tarquinio caedibus erat exhaustus. Est enim inopia hoc loco idem, quod penuria, paucitas. Sic Plautus Afin. 3. 3. 134. Quid aliud exoptem, nisi illud, cuius inopia est, h. e. quod non habeo. Rud. 2. 3. 67. Sibi euenisse eorum inopiam dolet i. penuriam. Liu. 1. 33. Ianiculum quoque Vrbi adiectum, non inopia loci, sed ne arx hostium esset, h. e. non quod locus et spatium Urbis non sufficeret incolis, Cic. de Offic. III. 1. Nostrum otium negotii inopia, non requiescendi studio constitutum est.* Tanta ergo tunc temporis si fuit inopia et paucitas patriciorum omnium, vt trecenti, immo ducenti inueniri non possent, qui conuenit XXX. tantum annis post in vna gente numerari trecentos sex, puberes, et bello gerendo aptos, quamuis ceteroqui nullo alio argumento colligere queas, eam gentem ceteris fuisse numerosiore, praecipue Valeria, Horatia, Lucretia,

Papiria, Veturia, Iulia, Furja, Virginia, quae postrema quinque Consules ante caesos Fabios Fastis dedit, quum ex Fabiis tres tantum in iis occurrant.

Nec vero sufficit quibusdam Auctoribus tot numerare vnus Patriciae gentis viros; quin immo addunt iis aliquot millia clientum, sodalium, et famulorum. Gellius Noct. Att. XVII. 21. generatim ait *Sex et trecentos patricios Fabios cum familiis vniuersos ab hostibus circumuentos periisse*. Festus V. *Scelerata porta* per eam egressos dicit *Sex et trecentos Fabios cum clientium millibus quinque*, et ad amnem Cremeram omnes interfectos. Dionysius denique M. Fabium superioris anni Consulem tradit eduxisse secum aduersus Veientes *quatuor hominum millia, quorum maxima pars fuerint clientes et sodales, ex ipsa vero Fabia gente trecenti et sex viri*. Vides, Lector, dissentire eos in clientum numero, haud dubie, quia falsum id omne est de tot millibus hominum supra sex et trecentos. Nec enim priscis temporibus inter singularum Urbium populos bella multis millibus semper gerebantur. Vnde Florus I. 11. referens commissum cum Antiatibus 140. annis post, nauale proelium, cum dixisset *captam hostium classem*, se quasi corrigit, addendo, *si tamen illa classis; nam sex fuere rostratae*. Sed, pergit, *hic numerus illis initiis nauale bellum fuit*. h. e. illis initiis Urbis bellum gerebatur tam exiguo numero nauium. Et certe illud contra Veientes *assiduo magis quam magno praesidio egebat*, quippe aduersus hostem *assiduum magis, quam grauem, et contumeliis saepius* (scil. per populationes) *quam periculo animos Romanorum agitantem*, vt diserte Liuius. Qui idcirco neque plus trecentis et sex militibus in illo exercitu

exercitu agnoscit: *Fabii*, ait, *postera die arma capiunt, quo iussi erant, conueniant. Nunquam exercitus neque MINOR NUMERO, neque clarior fama et admiratione hominum per Urbem incescit. Sex et trecenti Milites, omnes Patricii, omnes Vnius Gentis.* Eodem fere modo Ouid. II. Fastor.

Verum ut meam tandem exponam hac de re sententiam, summisse sibi censeo hoc bellum Consulares Fabios Marcum et Caesonem (nam tertius iam alio in bello occiderat,) et vere trecentos sex viros ad illud eduxisse, non autem plures, neque hos ipsos omnes gentiles suos, omnes vnius gentis, sed longe maximam partem, suae gentis clientes, atque ita vere vnum Fabiae gentis, vel certe trium Consularium fratrum impuberem filium, vel forte etiam totius gentis paulo plures, sed quorum vnus tantum ad virilem aetatem peruenerit, Romae relictos. Dictos autem omnes, qui ad id bellum exierunt, vulgo *Fabios*, quia non modo illi duces erant et Auctores expeditionis, sed et in se suamque gentem proprie receperant illud bellum, ac per se et suae gentis clientelas gerebant. Atque ita Romuli ac Remi Comites *Quintilii* et *Fabii* vocantur ab Ouidio, non quod illi omnes essent istarum gentium, sed quod hi *Fabium*, illi *Quintilium* praefectum, teste Festo, haberent. Verba Ouidii sunt Fastor. II. 377. de Romulo:

*Risit, et indoluit Fabios potuisse Remumque
Vincere, Quintilios non potuisse suos.*

Similiter quaedam Italica oppida, quae praeferrunt nomen gentilitium pluralis numeri, veluti *Pompeii*, *Gabii*, etc. vnde id accepisse statuemus, nisi ex eo, quod illic illustres aliquot viri istius gentis et nominis primo sedem fixerint cum suis

clientibus, atque his se alii paulatim adiunxerint, coniunctim autem omnes appellati fuerint a potissima illorum parte *Pompeii*, etc. illudque nomen ita receperit non modo ciuitas, sed et ipse locus quum in oppidi formam et statum fuit redactus. Sic populi *Troes* a *Troe*, *Hellenes* ab *Hellene* Deucalionis Fil. *Thessali* a *Thessalo* etc. Atque haec denominatio totius turbae clientum a patronis suis tanto aptiorem et iustiore[m] habet in rebus Romanis locum, quanto certius constat, in ea Vrbe praecipuos clientum; veluti libertos manumissos, aut peregrinos in ciuitatem adscitos, semper pene recepisse nomen gentilitium patronorum suorum. Sic et in ea ipsa Vrbe, quum in varias diuisa esset tribus, harum quoque multae a gentibus praecipuis sunt appellatae, vt *Fabia*, *Papiria*, *Veturia*, *Claudia*. Ex quo tamen neutiquam existimandum, solos in iis *Fabios* etc. fuisse censos, sed quod vel primi vel illustrissimi in eas recepti iis nominibus fuerint, vt quidem censet Reines. ad Rupert. p. 236. reiiciens, quod quidam velint, ita dictas tribus, quoniam gentes istae in eas fuerint relatae. Quod tamen mihi non ita reuiculum videtur, qui prorsus crediderim, tribus istas illud suum nomen accepisse, quod eae gentes olim habitationibus nondum ita, vt postea factum, dispersae, totae in illis censerentur, quamuis in eas et tunc statim, et deinceps etiam aliarum gentium homines fuerint relati. Certe *Claudia* tribus nomen et originem suam debet Atto Claudio, seu Appio Claudio, eiusque gentilibus ac clientibus, qui cum eo ex Sabinis Romam transfugerunt. Sed et aliorum hominum colluices saepe Ducis vel Principis sui nomine designata vulgo fuit. Sic *Tatiani* haeretici a *Tatiano*, *Manichaei* a *Manichaeo*, immo, quod

quod instituto nostro etiam conuenientius, omnes Iudae Machabaei, ita proprie cognominati, tum fratres, tum sectatores a Patribus isto cognomine ornantur, vnde et *libri Machabaeorum*, nomen acceperunt. In bellis vero exercitus semper ferme eius populi nomine vocatur, cuius ductu et auspicijs ea geruntur, licet ex aliorum auxilijs longe maximam partem, immo totus aliquando constet. Rhodii cum aduersus Philippum Macedonem in Peraeam exercitum mitterent, in quo Achaei et alia mista ex pluribus gentibus auxilia fuisse memorantur, nulli autem vere Rhodii, tamen quicquid eo exercitu agebatur, horum nomini tribuitur a Liuiο XXXIII. 19. *Rhodii, inquit, quantum dici supersuit secuti, receperunt sese ad castra.* Et sic semper. Ergo quum et Romani scriptores in antiquissimis monumentis legerent trecentos sex a Veientibus ad Cremeram caesos, eosque *Fabios* vulgo appellatos cernerent, seu quum scirent Fabios depoposcisse sibi Veiens bellum priuatis sumptibus et copiis suae gentis gerendum, caesosque omnes ad id bellum egressos, numero trecentos sex, existimarunt non ita magno sane errore, omnes eos vere Fabios, vere vnus Fabiae patriciae gentis fuisse, idque lubentius et crediderunt et posteris prodiderunt, quia tot numero militaris aetatis viros iam tum protulisse maxime pertinebat ad gloriam gentis ab ipsis Urbis initijs, immo a Romulo vsque ad Claudium Imp. perpetuo tenore clarissimae ac honoratissimae: cui propterea scriptores etiam plus iusto fauisse (nam humani ingenij more habenti maxime datur, et gloria ac laude florentissimo gloria falsa saepe accessione augetur) minime foret mirandum.

Qua-

Quapropter et ego, ne videar prae ceteris eam voluisse depressam, illustrare nunc vel asserere potius conabor emendato Ciceronis loco, qui eam non parum imminuit et obscurat, obscuratus et ipse, ac vexatus non a librariorum modo incitia, sed vel maxime a virorum celeberrimorum indoctis sane coniecturis. Cicero ergo Cn. Plancium defendens, maiorem in modum laetatos ait Atinates, vnde ille erat oriundus, de magistratu ei delato; idque factum, quia paucissimos ex ea Praefectura ad honores Romae obtinendos Fortuna produxerit; Similiter et eadem de causa exultasse vehementer Arpinates cum suis, tum C. Marii honoribus; Id vero non item facere Tusculanos, si quando cuiquam suorum municipum Magistratus in Vrbe mandentur, quia ex eo antiquissimo municipio solo plures iam sint familiae Consulares, quam e reliquis pene omnibus. Dicit itaque cap. 8. *Num quando vides Tusculanum aliquem de M. Catone, illo in omni virtute Principe, num de T. Coruncanio, municipe suo, num de tot Fabiis gloriari? Verbum nemo facit.* Primum in his offendit doctos, quod Coruncanius Tusculanis adscribitur, quum apud Tacit. Ann. XI. Claudius Aug. *Coruncanios Camerio ortos* praedicet. Vellet ergo hoc quoque loco insertam eius municipii mentionem Pighius in Annalibus ad Ann. 473. hoc modo: *Num de Ti. Coruncanio municipe suo Camerinum? num etc.* Eodem sensu, sed paulo concinnius et modestius Gruterus legit: *Num de T. Coruncanio municipes suos?* Sed hae coniecturae refelluntur eo, quod manifeste Cicero de solo Tusculano municipio agit, vnde erat is, contra quem dicebat, Iuuentius, adeoque illud vnum longe nobilissimum, et referentur iam Consularibus, ceteris ignobilioribus opponit.

nit. Adde quod et in Orat. pro Sulla c. 7. quosdam ex municipiis ortos, carissimos viros nominans, Catoni Tusculano continenter item subiungit hunc T. Coruncanium, tanquam eiusdem municipii hominem. Nec cuiquam mirum videri debet variare auctores in memoranda origine hominis antiquissimi, quum et alia innumera sint in veteri historia, de quibus illi inter se discrepant; vt insani et inepti sit consilli, eos emendationibus semper velle in concordiam redigere, praesertim in iis, quae inter ἀπαξ λεγόμενα numerari debent.

Longe alia ratio est eius, quod de Fabiis sequitur. Hos enim omnium consensu constat, non Tusculo ortos, sed ante ipsam Urbem conditam in eius sede inter Romuli et Remi comites agitalle, immo eo loci ex Euandri, vt nonnulli volunt, filia ab Hercule progenitos, et postea expulsis Regibus inter primos patricios gloria, dignitate, Consulatibus floruisse. Legit ergo iterum Pighius, mutando et addendo, *Num de tot Fuluiis Tiburtem gloriari?* Recte illud, quod de *Fuluii* plebeiis et obscuris origine sua, non *Fabiis* illustribus et patriciis loqui Ciceronem autumat: ideoque id quod vnum hic recte tentavit Pighius, accipere debuisset Gruterus, non autem repudiare, praefereudo *Fabiis*, de quibus vt ex nullo municipio, adeoque nec Tusculo ortis, nulli municipes gloriari poterant. Maluissem sane ego, si Gruteri prius allata emendatio admitti potuisset, porro legere: *Num de tot aliis gloriari*, scil. municipes suos. Sed reponendum omnino *Fuluiis*, qui tamen non Tiburtes, sed Tusculani origine fuerunt. Etenim primus Fuluiorum in Vrbe Roma L. Fulvius Curuus, Cos. An. V. C. 431. a Tusculanis rebellantibus

bellantibus quorum Consul erat, transiit ad Romanos, et ab his eodem honore fuit exornatus, immo eodem anno, quo hostis fuerat, Consul Romanus triumphauit de suis popularibus. Diserte haec Plinius N. Hist. VII. 43. inter Fortunae variantis exempla: *Est et L. Fuluius Tusculanorum rebellantium Consul, eodemque honore, quum transisset, exornatus confestim a Populo Rom. qui solus eodem anno, quo fuerat hostis, Romae triumphauit ex iis, quorum Consul fuerat.* Atque hinc et Cicero Philipp. III. 6. Antonio Fuluiam vxorem habenti, quum is Octauiano Aricinam matrem improbrasset, obiicit vicissim vxorem Tusculanam: *sed si Aricinam vxorem (Atiam C. Octauii, Octauiani patris, vxorem) non probas, cur probas Tusculanam? quanquam huius sanctissimae feminae pater M. Atius Balbus in primis honestus, praetorius fuit: Tuae coniugis Bambalio quidam pater etc. At auus nobilis, Tuditanus nempe ille, qui cum palla et cotburnis nummos populo de Rostris spargere solebat. Tusculana haec non alia est quam Fuluia, quae Antonii tunc vxor, et filia erat Fuluii Bambalionis ac Semproniae Tuditani Filiae, de quo Tuditano pluribus egi in dissertatione de lege Voconia.*

Patet ex his liquido, *Fuluios fuisse Tusculanos, non Tiburtes*, vt existimabat Pighius, nimis sane audaci et temeraria coniectura in Cicerone emendando id ponens, tantum quia Cicero *in Orat. pro Domo sua scribat ab Hercule perfuncto laboribus sacra didicisse Fuluios*: Hercules autem praecipue Tiburi fuerit cultus. Sed incertissima haec est suspicio, ea sola ratione Tibure oriundos Fuluios statuentis, tum falsissimum etiam illud est, et ipso indignum, quod ex Cicerone ad eam probandam adfert.

adfert. Nusquam enim id Cicero vel in ea oratione, vel alibi de Fulviis scripsit. Sed scio, quid eum deceperit. Non ignorabat, Fulviam, de qua praedixi, P. Clodii quoque fuisse vxorem. Ergo quum in dicta Orat. c. 45. Cicero obiiciat Clodio, quod domum suam consecrarit, praesente, non, ut oportuerat, Pontificum Collegio, sed vno Pontifice recens in id Collegium cooptato, et quidem ipsius Clodii *vxoris fratre*: deque eadem re iterum agens cap. 52. haec scribat; *Quae cum videres, tum te ad tuum Adfinem, non delectum a Te, sed relictum a vetetis contulisti. Quem ego tamen credo, si est ortus ab illis, quos memoriae proditum est ab ipso Hercule per sancto iam laboribus, Sacra didicisse in Viri fortis aerumnis non ita crudelem fuisse.* Haec origo erroris Pighiani, qui ista de Fulviis accepit, quoniam celebratissima Clodii vxor *Fulvia*. At habuit eam Clodius, sed extremis demum vitae suae temporibus. Prius vero *Pinariam* habuisse ex Ciceronis tum hac, tum aliis orationibus certum est. Pinarii enim sunt, quos memoriae proditum est ab ipso Hercule sacra eius didicisse vna cum Potitiis. Vide sis quae notabo ad Valer. Max. I. 1. Sed et ne dubitationi relinquatur locus, examinanda etiam, quae mox Cicero de nouo illo Pontifice, Clodii Adfine, subiungit. *Viderat ille Muraenam vitricum suum, Consulem designatum, ad me Consulem cum Allobrogibus communis exitii indicia attulisse.* Iam vero hunc, cuius Vitricus fuerit Muraena, in Orat. qua ipsam illum Muraenam defendit, *L. Nattam* vocat cap. 35. *Nattam* autem Pinariae gentis, et quidem folius in libera Rep. fuisse cognomen, nemo est paulo humanior, qui nesciat. Vides itaque Lector, quam parum tribuendum sit saepe viris etiam doctissimis, quando

do

do aliquid ponunt, non probant, et ablegandam porro ex Ciceronis Planciana *Camerini* et *Tiburtis* municipiorum mentionem, referendaque omnia ad *Tusculanum*; et ex eo denique ortos *Fuluios*, minime vero *Fabios*, qui erant Patricii, non aliunde delati in urbem Romam, sicuti Cato, *Coruncanus*, et ceteri plebei pene omnes, qui e municipiis ad honores Romae peruenerunt. Recte autem dicitur *tot Fuluiis*, quoniam ex ea gente quam plurimi Consulari, praetexta fuerunt ornati.

Nec mirari conuenit mutationem a librariis factam, *Fabiis* ponendo pro *Fuluiis*. Vetus enim illa erat scribendi ratio, nomina propria, et ea praecipue, quae frequenter occurrunt, primis tantum literis notandi; quae posteriores deinde male saepenumero sunt interpretati. In ipsis Inscript. apud Gruter. I. pag. 1142. *D. M. F. Fortun. Fecit L. Publici Sot. Coniugi. B. M. h. e. Diis Manibus, Fabiae Fortunatae Fecit L. Publicius Soter, Coniugi Bene Merenti.* Hinc et in Valerii Probi Notis F. inter alia per *Fulviae* gentis nomen exponitur, cui addendum omnino erat *Fabium* nomen. Nam quod mox sequitur *FAB.* et exponitur *Fabius*, vitio librarii id fieri putem, et exponam potius *Fabia*, ut tribum significet, quae illis tribus literis, ut constat, in lapidibus notari semper solet. Ista autem de causa saepissime et alias librarii in his nominibus, errarunt. Sic apud Ampelium inter eos, qui pro salute Populi R. se obtulerunt, nominatur *Fuluius Pontifex, qui Vrbe a Gallis Senonibus incensa, se aliosque Senes Diis Manibus deuouit.* At legendum istic *Fabius* ex Plut. in Camillo, et Liuiio V. 41. satis superque patet. Similiter et in ipso Plutarcho in Marcell. *Ἔως μὲν ὁ δῆμος ἀνόματε Δικτάτωρα Κοίντον Φάβιον, vbi leg. Φέλβιον*
 ex

ex Liu. XXVII. 5. et intelligendus Q. Fulvius Flaccus, id quod tamen a Sigonio ad Fastos iam obseruatum postea deprehendi. Contra in lib. *περὶ Ἀπολογ.* aliquoties *Fulvius* nominatur, qui erat Fabius Maximus, Augusti amicus, sed qui eius gratia excidit, quod arcanum illius consilium de Agrippa nepote suae vxori Marciae et haec Liuiae prodidisset, vt a Lipsio notatur ad Taciti Ann. I. Sic apud eundem in Gracchis occurrere deprehendi etiam *Flauii Flacci* nomen pro *Fulvii Flacci*. Designabatur enim M. Fulvius Flaccus Gracchorum studiosissimus, et ideo postea cum C. Graccho ab Opimio Consule interfectus.

C A P V T V I.

Diximus superiore capite, tantam fuisse literarum raritatem antiquissimis seculis; vt etiam temporis ac annorum memoria publice non tam literis, quam clauo in parietibus sacrarum aedium per singulos annos fixo, seruaretur. Operae itaque pretium erit cognoscere, quo tamen pacto seruata fuerit et propagata ad posteros aliqua rerum antiquarum notitia, quam per illam literarum raritatem *Liuius obscuram* iure summo fatetur. Nempe vetustissimis quibusque populis in vsu fuit res a se vel maioribus gestas carminibus et canticis mandare, atque ita eas quacunque occasione diebus festis, vel etiam in conuiujs cantando celebrare, vt ne breui tempore memoria earum obliteraretur. Ita inter Hebraeos seu Israelitas frequens vsus huiusmodi canticorum. Quapropter quum Pharaos submersus esset rubro mari, ipsis

O

sine

sine noxa praegressis cantico rem gestam et Dei sui salutare auxilium statim extulerunt, et ne memoria excideret, Moses illud in libro Exodi cap. 15. literis mandavit. Similiter quum Cananaeorum Rex Iabin esset debellatus, victo eius exercitu et duce Sisera, Debora, quae prophético spiritu agebatur, et Barak Ductor et Princeps Israelis cantilenam confestim composuerunt, qua Deo gratias egerunt et insignem illam celebrarunt victoriam, vti refertur Iudic. cap. V. Et huc pertinere videntur, quae occurrunt Numer. XXI. vbi Moses iter Israelitarum describens cum proeliis et pugnis coniunctum, identidem interferit quasi canticorum quorundam initia quae praedicari soleant *in recensione bellorum Iehouae*, et quibus memoratae videntur res istae expositae.

Apud Graecos quoque serum fuisse literarum usum, primosque historicos vixisse demum paulo ante Persarum in Graeciam expeditionem, et nullum reperiri literarum monumentum, quod omnium consensu sit antiquius Homeri carminibus, quin neque hunc ipsum sua carmina literis mandasse, sed memoriae hominum per varias cantilenas, ex quibus postea conflatum et compositum sit opus Iliados et Odysseae, tradit Iosephus lib. I. contra Apionem. Quae si vera sunt, vt sunt, etiam in ea gente, quae ceteroqui parens habetur omnis eruditionis, olim ope canticorum seruata fuit memoria rerum gestarum. Et hinc ipse Homerus Iliad. I. v. 186. et 189. inducit Achillem, postquam secessionem fecerat a Graecis iratus Agamemnoni, animum oblectantem suavi cithara, *cantentem vero gloriosa virorem illustrium facinora; κλέα ἀνδρῶν*. Quapropter apud illos e canticis hisce petenda etiam prima origo non modo historiae, sed

et

et Poeseos, maxime Lyricae et Epicae. Sed tamen hae ipsae cantilenae, si valde probarentur ab omnibus, coeperunt tandem etiam scribi. Atque ita ἀσμεντα illa Homeri, ex quibus eius Poesein antea διαμνημονευομένην, memoria hominum seruata, ὕστερον συντεθῆναι postea compositam, ait Iosephus literis mandata secum ex Ionia in Graeciam attulit Lycurgus, Pisistratus autem deinde coniunxit, Iliademque et Odyssaeam ex iis ita coniunctis nobis confecit, vt testatur Ael. V. H. XIII. 14. cum dixisset et ille, veteres olim cecinisse Homeri carmina, sed in varias partes seu historias disiuncta. De Arabibus similia pene obseruauit Vir Excellentiss. P. Dan. Huetius, quum originem Fabularum Romanensium explicuit.

Nec aliter se res habuit in Occidente. Hispanorum morem fuisse tradidit Sallustius in historiis, si fides Seruio, vt in bella euntibus iuuenibus parentum facta memorentur a matribus; eodem consilio et vsu, quo vicinis Gallis τῶν ἀσμάτων canticorum argumenta erant homines qui in bello pulchra morte occubuerant, teste Aeliano V. H. XII. 23. Hi vero ad ea componenda etiam proprium habebant genus doctorum hominum, qui Bardī appellabantur. Ammian. Marc. lib. XV. Per haec loca hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, Eubages, et Druidas. Et Bardī quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus Lyrae modulis cantitarunt. Lucanus lib. 1. de iisdem:

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum Vates dimittitis aeuum,
Plurima securi fudistis carmina Bardī;

quem vnicum ex Lucano locum Festus laudat, vbi *Bardum, Gallice cantorem appellari dicit, qui fortium virorum laudes canat.* De nostris vero maioribus, Germanis, ait Tacit. cap. 2. *Vnum apud illos memoriae et Annalium genus esse antiqua carmina, quibus celebrent maiores suos, Tuitonem et Mannum aliosque.* Et sic alibi (Ann. II. 88.) scribit etiam suo tempore *cani adhuc* apud eos Arminium, magnum illum Germaniae liberatorem, qui Varum ac tres legiones oppressit. Perduravit autem iste mos etiam vsque ad tempora Caroli Magni, de quo Brunnerus lib. IV. *Annal. Veterum Heroum facta carminibus decantari memoriae fide solita, quod maioribus nostris vnicum Annalium genus, litteris consignauit.* Et haec haud dubie causa, quod in tanta versamur ignorantia rerum ante Carolum a maioribus nostris gestarum.

Verum illud ipsum Annalium genus etiam apud Romanos, sed antiquissimos, obseruare licet. Nam qua ceteroqui causa, nisi vt ne illustrium hominum, facinorumque memoria prorsus intercideret, eaque posteri ad similem virtutem et gloriam incitarentur, institutum fuit, quod Cicero Tusc. qu aest. I. 2. et IV. 2. ex Catonis Originibus tradit, *solitos olim Romanos in epulis cauere ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus.* Qua de re etiam Valer. Max. II. 1. *Maiores natu in conuiujs ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda iuuenum virtutem alacriorem redderent.* Et hinc etiam vltimis temporibus illustres victoriae recens partae, tum Imperatores praeclari hoc modo celebrari solebant. Sic Magni Pompeii *recentes victorias, quibus omnem pene Asiam Romanis subiecerat, Ponticos Armeniosque triumphos in eius theatri Roma cantabat.*

Flor.

Flor. IV. 2. Domitiani laudes in ludis et cōmestrationibus saltatas cantatasque exprobrat Plinius, contra Traianum ait *coli seriis carminibus et honore aeterno Annalium*, in Panegy. Recte Plinius verorum Annalium honorem, oppositum carminibus, *aeternum* dicit, cum cantica, praesertim quae subnixa sola hominum memoria, non ita idonea sint aetati ferendae, sed necessario tandem exoleſcant et intereant, nouis subinde in locum priorum succedentibus, et per ora vulgi, noua praecipue admirantis, maxime volitantibus.

Praeter hoc autem antiquissimum memoriae rerum hominumque seruandae qualecunque genus, habebant Romani et aliud, aequae decorum illustribus viris, et ad memoriam defunctorum cohonestandam aequae accommodatum, licet forte serius paulo exortum. Laudatio ea erat, qua nobilium ac dignitate, honoribus et rei bellicae gloria florentium funus in foro pro Rostris ornabatur, et demortui virtutes ac decora composita oratione commemorabantur, a filiis maxime, vel si ii non essent, a propinquis aut amicis. Sic C. Caesaris a coniuratis occisi laudationem funebrem a Dione lib. XLIV. expositam pro concione dixit M. Antonius, *ὅτι ὑπάτος ὑπάντα φίλος φίλος, καὶ συγγενὴς συγγενῆς*, vt ait Appianus: Et omnium primus, (quamuis de eo tamen dubitet Dionys. Halic. quem velim de tota re videas lib. V. c. 3.) P. Valerius Publicola Collegae sui L. Iunii Bruti in proelio contra Tarquinos et ab Arunte Tarquinio Superbi filio mutuis vulneribus interfecti.

Istis proinde apud Romanos tum epularibus canticis de clarorum hominum virtutibus ac rebus gestis, tum maxime funèbribus Orationibus, quas plerumque ad seruandam defunctorum memoriam

tandem etiam literis mandabant proximi, et diligenter custoditas in suis quisque familiis posteritati propagabant, multum debet, quae superest, historia vetustissimorum Urbis Romae temporum, quandoquidem per eam, quam dixi, literarum raritatem res gestae nullis aliis publicis aut priuatis monumentis, vel certe valde exiguis et ieiunis, ut erant Annales Pontificum, aeternitati consecrabantur.

Sed tamen his ipsis, certe mortuorum laudationibus, non parum quoque vitiatam esse eandem veterem historiam ipsi Romani queruntur. Audi de iis Ciceronem in Bruto cap. 16. *Nec habeo quenquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio de Pyrrho, et nonnullae mortuorum laudationes forte delecent. Et hercules hae quidem exstant. Ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta seruabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam. Quanquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures Consulatus, genera etiam falsa etc. Similiter Liuius, VIII. 40. Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trabunt. Inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa. Nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo Auctore stetur. Videlicet gloriae et laudis cupiditate ducimur alius alia via ac ratione, sed tamen plus minus omnes. Et belle se res haberet, si non plerique plus iusto augendae suae proprie, et communiter suae gentis gloriae studiosi*

studiosi reperirentur. Vnde et apud prudentes, humanique ingenii gnaros non possunt per omnia fidem mereri, quae ex istiusmodi maiorum suorum laudationibus, vel etiam aliunde ad eos celebrandos proferunt posteris, si non item ab aliis memorantur. Licinius Macer cum de C. Licinio Caluo, Consule A. V. C. 392. nobilissimo gentis suae homine, quid retulisset, cuius mentio in vetustioribus Annalibus nulla inueniebatur, recte iudicat Liuius VII. 9. *Quaesitam eam propriae familiae laudem leuiorem ista in re facere auctorem Licinium.*

Nec raro videas eodem studio, patriae quoque suae plusculum, quam concedit veritas, fauere historiarum scriptores. Exemplorum tanta copia, vt ea velle adferre, putidae futurum sit diligentiae, et saepissime idcirco docti interpretes eo decurrant. Vnde maius operae pretium facturus videor, si hac occasione potius obiter illa suspitione liberem duos, qui hoc nomine quodam ex loco insimulantur. Etenim Numantinos Velleius X. millibus, Appianus VIII. at Florus et Orosius IV. tantum millibus vires Romanas sustinuisse scribunt. Quod postremum virtuti suae gentis vtrumque, Florum et Orosium, (erant enim Hispani natione) dedisse credit doctiss. Iuuenis, magnum patriae futurum decus, si vixisset, Gerh. Vossius ad Vell. II. 1. At ego nihil eos in patriae suae gratiam hac quidem in re scripsisse censeam; siquidem Orosius haud dubie sine vllius alterius rei respectu Florum, quem in deliciis habuit, vsque adeo vt et verba eius passim retinuerit, etiam hic secutus est et pene excrispsit; Florus vero istum Numantinae iuuentutis numerum ex Liuius hausisse videtur. Nam et in eius Epit. LV. legitur: *Triginta millia Romanorum a Numantinorum millibus IV. victa erant.*

Vnde et auctor de Viris Ill. cap. 59. *Illi (Numantini) quatuor millibus XX. millia Romanorum ceciderunt.* Vbi ex Liuiο recte Schottus XXX. corrigit. Florus tamen et Orofius XL. *millium* fuisse dicunt exercitum Romanum. Et in eo forte argui maiori iure possit Florus, quod dum fortitudinem Numantinorum extollit, maiorem potius, licet a veritate longius recedentem, quam minorem rotundum numerum posuerit. Nam si Appiano in Iber. c. 298. fides, vtebantur Romani aduersus Numantiam XXX. millibus peditum, duobus equitum. Orofius autem alio nomine in hoc ipso bello exponendo incusandus, deprehenditur, dum lib. V. c. 5. *Scipionem Africanum consensu omnium ex Tribuno Consulem creatum, atque ad expugnandam Numantiam cum exercitu missum* scribit. At is iam ante Consul fuerat, et in primo illo Consulatu, quo ad Carthaginem expugnandam missus fuit *ex Tribuno*, ut ait Orofius, *et ex Candidato Aedilitatis*, vt Valer. Max. VIII. 9. seu quum fuisset Tribunus mil. in Africa, et Romam venisset ad Aedilitatem petendam, Consul commendatione militum designatus erat.

Ceterum inter eos, qui Romanorum potentiam et res gestas amplificare nimis forte studuerint, praecipuus fuit Valerius Antias, historicus satis celebris, qui vixit temporibus L. Sullae, vt ex Vell. II. 9. patet. Aetatem illius non sine causa refero, quum videam in ea haesitasse Pighium in Annal. anno 361. vbi de L. Valerio Antiante, quem cum quinque nauibus Romam deportasse interceptos Philippi Regis ab Hannibale redeuntes legatos scribit Liuius XXIII. 34. ille locutus addit, *Videndum anno hic historias scripserit.* Atqui is plus seculo antiquior fuit historico, qui, vt dixi,
 Dictato-

Dictatoris Sullae aequalis. Hunc autem passim exagitat Livius, tanquam *omnium rerum immodice numerum augentem* XXXIII. 10. *immodicum in numero augendo*, XXXVIII, 23. *quo non alius in augendo numero intemperantior est*. XXXVI, 38. immo et mendacii arguit XXVI, 49. XXX, 19. XL, 29.

Sed praecipue priuatis, verum potentibus in Rep. viris, qui genus suum nobili progenitore illustratum, maiorum suorum imagines multis honoribus et titulis decoratas, suam denique gloriam variis auctibus cumulatam impensius quam permittebat res ipsa, volebant, vt hodie frequentissime, sic et olim non raro nimis se faciles praebuerunt Annalium conditores, captantes ista ratione illorum hominum gratiam. Plutarchi in Numa bis, ex aliorum quoque sententia notat eos, qui gratificentur illustribus familiis, falsa eorum stemmata a Numa deducendo, nec veros generum ac rerum commentarios conscribant, idque vt gratiam ineant ab iis, qui ex alienis familiis in praecipuas et nobilissimas se inferere studerent. Vnde et postea omnes pene imperatores, licet vilissimae et humillimae prosapiae, tamen ab iis, qui ex rebus antiquis indagandis, eaque in re se iactando commoda sua quaerebant, nobilissimos acceperunt generis auctores, adeo vt saepe vltro a sapientibus Principibus irriderentur: quod certe de Vespasiano, quum quidam eius generis originem ad conditores Reatinos, comitemque Herculis referre conaretur, testatur Sueton. cap. 12. Cornelii quoque Nepotis manifestum in aetate Ciceronis primam in iudicio publico agentis causam exprimenda errorem quum arguisset Gellius Noct. Att. XV. 28. fauori forte et amori illum dedisse suspicatur: nisi, inquit, quis vult in animum inducere studio amoris

et amicitiae adductum, amplificandae admirationis gratia, quadriennium suppressisse, ut M. Cicero orationem florentem dixisse pro Roscio admodum adolescens videretur. De quo per me communis omnium sit existimatio.

Primas facile tenet in contaminanda utcumque per istius generis adulationes historia Velleius Paterculus, frequentissimus in celebrandis hominibus, qui vel ipsi, vel quorum posterii in illustri tunc fortuna agebant, adeo ut opusculum suum vix alia de causa scripserit videatur, quam ut se per illud in gratia apud Tiberium, Seianum, ceterosque primates viros quam maxime poneret. Florentissima vero istis temporibus quum generis nobilitate, honorum amplitudine, ac rerum gestarum gloria, tum maxime Caesarum cognatione erat gens Aemilia; ex qua M. Lepidi, qui Consul fuit sub Augusto, et triumphalibus ornamentis ex bello Dalmatico voluntate Caesarum Senatusque donatus est, eius inquam laudandi quam non praetermittere voluerit occasionem, satis declaravit lib. II. cap. 115. 116. *virum fuisse dicens, nominis ac fortunae auctorum proximum, quem in quantum quisque aut cognoscere aut intelligere poterit in tantum miretur ac diligat, tantorumque nominum, quibus ortus est, ornamentum iudicet.* Huius proinde, forte et aliorum quorundam istius gentis in gratiam, quum alibi satis libere de M. Lepido Triumviro, et Censore Paulo Lepido locutus esset, hoc quasi emendaturus triumphos L. Aemilii Pauli, Viri Clarissimi, auxisse vno videtur, quem ceteri scriptores praetermittunt, et prorsus ignorant. Neque in eo rem magnopere mirandam fecit, praesertim quum triumphum non ipse ab se finxerit, sed ab Aemiliis humani ingenii more superius notato,

notato, eum tunc afferentibus, et in publico statuæ titulo posteritati obtrudentibus acceperit, atque ita his potius, quam vetustis Annalibus assensum suum ea in re accommodasse videri maluerit, quamuis tamen ego quidem non modo contra Aemilios Velleio aequales, et ipsum Velleium, sed et contra doctissimos horum temporum viros, Onufrium, Vrsinum, Pighium, Lipsium, Valefium non ter, vt illi volunt, sed bis L. Paulum triumphasse vere existimem, id quod hoc capite praecipue demonstrare conabor, quoniam et de iure triumphandi sic dabitur agendi occasio.

Negari nequit Inscriptionem a doctis allatam tres Paulo triumphos tribuere:

L. AEMILIVS L. F. PAVLVS
COS. II. CENS. AVGV
TRIUMPHAVIT. TER

Si vera haec, triumphavit non modo ex utroque Consulatu, sed et ex Praetura, antequam Consul fieret, quod sane affirmat Velleius I. 9. vbi eum, quum Consul iterum crearetur, iam bis triumphasse scribit: *Tum Senatus Populusque R. L. Aemilium Paulum, qui et Praetor et Consul triumphauerat, Consulem creauit.* Cuius loci integritatem contra Doctorum coniecturas reponentium, qui et *priore consulatu triumph.* recte tuetur Lipsius. Nam haud dubie, quo tempore Velleius haec scripsit, iam Romae exstitit L. Pauli statua cum ista inscriptione, ab aliquo ex Aemeliae gentis posteris tunc temporis vel in porticu Pauli Lepidi, vel in basilica Pauli a Lepido quodam tunc refecta, aut quo alio Aemiliorum monumento constituta. Verum vt supra Liuium *de falsis imaginum titulis*, et Ciceronem de mortuorum laudationibus antiquis,

quis, quae *falsos Triumphos* et honores contineant, conquerentes adtulimus, sic etiam hunc, qui istam L. Pauli statuam isto titulo inscripsit, nimis fauisse sui gentilis laudi, et tres eius triumphos ad maiore adhuc gloria celebrandam cohonestandamque clarissimi gentis suae viri memoriam inter ciues sui temporis primum protulisse, et ad posteritatis fidem in duraturo marmoris monumento iactasse censeo, siue quod facile se persuasurum et aequalibus suis et posteris existimauerit, quia vere L. Paulus post Praeturam in Hispania magnam de hostibus victoriam, propter quam etiam Diis ex Scto factae sunt supplicationes, reportauit, siue quod vere ita factum, errore nominis deceptus putauerit, quandoquidem eodem anno, quo L. Aemilius Paulus ex Hispania rediit, vere quidam *L. Aemilius* triumphauit, sed non *Paulus*, verum *Regillus*, nec de Hispanis, sed Rege Antiocho, et quidem nauali triumpho.

At ex nummis etiam Aemiliae gentis tres Pauli triumphos probari posse contendunt viri eruditi Sigonius, Onufrius, Ursinus et Spanhemius. Nempe vulgauit Ursinus denarium a Censoris Pauli Lepidi filius, vt supra cap. III. ostendi, vltimis Augusti temporibus cusum, in quo videas effigiem L. Pauli tropaeum erigentis vnaque vincti Persei Regis, cum duobus filiis, scripto supra tropaeum TER, infra PAVLLVS. Similem memorant Sigonius et Onufrius cum inscriptione TER. L. PAVLL. ac typo trium tropaeorum. At inde quid aliud colligas, nisi tres eius victorias, de quibus tropaeum statuere victores solent, non semper triumphum ducunt. Tropaea declarabant victos vtcunque hostes, at triumphum debellatos pacatosque. L. Piso Caesoninus

soninus Procos Macedoniae victoria quadam per Legatos parva Imperator a militibus appellatus, nullas tamen Laureatas literas ad Senatum Romam mittere, neque supplicationem eius victoriae nomine decernendam, multo minus triumphum postulare ausus est, quamvis quidem *tropaea* in provincia *posuerit*, quae bellicae laudis victoriaeque omnes gentes insignia et monumenta esse voluerint, ut haec omnia ei passim, oratione in ipsum dicta Cicero exprobrans ait cap. 38. quidque inter tropaeum et triumphum intersit docet. Sed apertius adhuc rem decernit Servius X. Aen. *Qui hostem fugasset merebatur tropaeum, qui occidisset, triumphum*: h. e. occisione occidisset, ita ut debellaretur. Nam Idem ad XI. Aen. ipso initio: *Ideo autem nunc tropaeum ponit Aeneas, quia necdum plenam (h. e. totius belli) victoriam est consecutus, sed tantum occiso Mezentio fugavit exercitum. Plena victoria enim triumphus debetur.* Vide quam infeliciter ex tribus tropaeis totidem Pauli triumphos probare conentur viri summi. Quin immo, si, quod illi affirmant, id genus nummi L. Paulum *triplici triumpho insignem* clare nobis inspiciendum praebent, etiam L. Sulla Dictator ter triumphasse debuisset, quandoquidem et is in annulo suo tria item tropaea insculpta habuit, aequae ac postea Pompeius, teste Dione lib. XLII. p. m. 193. et praeterea in nummis eiusdem modo duo, modo tria quoque, ut in L. Pauli denariis expressa occurrunt. Sullam vero ter, immo plus quam semel triumphasse, nemo dixerit, quamvis ille tamen hostem toties vicerit, ut iure trium tropaeorum signo ac typo potuerit uti. Quapropter ego istos L. Pauli tropaea exhibentes nummos ad meae potius sententiae confirmationem adhibendos

hibendos rear. Nam si eum ter vere triumphasse constitisset, cur, qui istis nummorum typis gloriam eius publice testatam, ac in memoria hominum fertatam voluerunt, voculae T E R non adiecissent quadrigas potius, solenne triumphorum in nummis signum, quam tropaea victoriam solummodo significantia.

Sed maluerunt videlicet illi sub Augusto ambiguo, et quem in vtramque partem (nam in Pompeii quidem annulo tria tropaea declarant tres orbis partes, Africam, et dein in Hispania Europam, denique Asiam deuictas, nec tamen excludunt totidem ex iis regionibus triumphos) interpretari posses, typo defungi, quoniam controuersum istum Pauli ex Praetura triumphum in antiquis Annalibus non reperiiebant, et Fastorum Auctor sub eodem Imperatore Verrius Flaccus, qui omnes Romanorum triumphos diligentissime conquisiuit, eum tamen tum suo silentio, tum maxime quod ultimo Pauli de Rege Persa triumpho diserte secundum, non tertium iterati ab eo honoris notam adscripsit, clarissime refutabat. Humani quid patiuntur Vrsinus in Familiis, et qui eius auctoritate deceptus videtur, Ez. Spanhemius in Dissert. pag. 175. quum ad probandos tres Pauli triumphos *Tabulas Capitolinas*, seu *Fastos* quoque allegant, quum diserte, vt dixi, in istis Fastorum Capitol. fragmentis anno V. C. 586. victo Perse Macedoniae Rege L. Aem. Paulus II. h. e. *secundum* triumphasse dicatur, qui, si etiam, vt volunt, ex Hispania triumphasset, tertius omnino fuisset eius triumphus.

Plurimum autem hac in re ego tribuo his Fastis triumphalibus, vt quorum Auctor nequaquam praeteriisset vel negasset istum tam celebris viri
trium-

triumphum, si vsquam ipsi occurrisset in veterum monumentis, quum diligentissime ceteros omnes aliorum minus illustrium etiam incertos, et ab aliis, qui nunc supersunt Auctoris non modo praeterito, sed etiam diserte a nonnullis negatos ipse tamen referat. Cum insignem Poenorum classem circa Siciliam deleuissent C. Lutatius Catulus Procos. et Q. Valerius Falto Propr. eoque nomine Lutatio triumphus esset decretus, Valerius vero sibi quoque eum decerni desideraret, Lutatius contra negaret fieri id oportere, ne in honore triumphum minor potestas maiori aequaretur: atque ita longius progressa contentione, re ad arbitrium Atilii Calatini ab utroque delata, traditur is a Val. Max. II. 8. sententiam secundum Lutatium dedisse, et Faltoni triumphum denegasse. At Fastorum Triumph. Auctor his neglectis utrumque prodit naualem de Poenis triumphum egisse A. V. C. 512. mense Octobri. Similiter Liuius X. 36, 37. M. Atilio Regulo *de triumpho agenti negatum* dicit eum *honorem*, ideoque eius Amicos *ad solatium aequatae repulsae*, alteri quoque Consuli L. Postumio triumphum, sed frustra, negasse. Addit porro Claudium esse Auctorem, Postumium in Samnio captis aliquot Urbibus, in Apulia fusum fugatumque, faucium ipsum cum paucis Luceriam compulsam: ab Atilio vero res in Etruria gestas, eumque triumphasse. Ita quidem ille, vel illi, at vero Fasti Triumphales An. 459. utrumque Postumium de Samnitibus et Etruscis, Atilium de Volsonibus et Samnitibus triumphasse affirmant.

Neque tamen ego Fastorum auctoritatem, quamuis fide dignissimam, et longe potiorem aliis inscriptionibus, contra Velleium et huius temporis Eruditos adeo vrgerem, si a ceteris destituerentur

rentur scriptoribus. Contra vero illi partim istum Pauli triumphum prorsus ignorant, etiam si res ab eo in Hispania gestas minime tamen praetereant, partim satis aperte negant. Sex. Aur. Victor, qui Vitas Illustrium Virorum breviter conscripsit, ita de Paulo orditur: *L. Paulus Aemilius filius eius, qui apud Cannas cecidit, primo Consulatu, quem post tres repulsas adeptus erat, de Liguribus triumphavit. Praeturae, ex qua triumphum primum iuxta Velleium duxisset, nullus meminit, non vano indicio, eius nullam habuisse notitiam. Sed maius est, quod ex Plutarcho, qui eiusdem Pauli vitam diligentissime exsecutus est, adferre possumus. Multum in eo si ponerem, quod is, qui omnia ad Viri gloriam pertinentia studiose collegit, immo et ex Praetura in Hispaniam missum; et illic multa millia hostium ab eo caesa memorat, nullius tamen ex ista victoria triumphum mentionem fecerit, quis iure id fieri neget? Ego vero non tam silentio eius utar, quam quod diserte ac sine vlla haesitatione duos tantum Paulo triumphos, aequae ac Consulatus, tribuit, quum eius filiam Tuberoni nuptam *dis ὑπατεύσαντος, καὶ dis διαμειβύσαντος θυγατέρα* vocat. Quid clarior? Bis primo Consulatum gessisse, et dein post utriusque Consulatus mentionem solummodo bis quoque triumphasse eum addit. At si in Polybio, quem in his sequi solet quippe aetate pene aequalem Paulo, et eius filii postea familiariter usum, aut in vllis aliis vetustis Annalibus triplici eum triumpho celebrari reperisset, nonne id etiam ille potissimum proderet, quum soleat utique quam maxime favere laudibus eorum, quorum vitas praecipue ex omnibus exponendas sibi selegit, et praeterea sciret, vel certe scire posset, posteros Aemiliae gentis id persuasum*

sum populo voluisse? Iam vero quis non miretur, eum quoque a Lipsio nihilominus dici *satis esse argumento* ad probandum Pauli etiam ex Paetura triumphum, h. e. Pauli tres triumphos? Scilicet quia tradit Praetorem in Hispaniam Proconsulari imperio missum, multa ibi millia hostium cecidisse. Nonne, quaerit, ergo *debitus triumphus*? Immo vero de *plena tantum victoria*, ut ait Seruius, h. e. si debellatum esset, debebatur olim triumphus, et multo plura requirebantur illis temporibus ad eum obtinendum, quam aliquot millia hostium occidisse. Et causarum abunde fuit, ut deinceps docebimus, cur vel Paulus non postularet, vel si postulasset, Senatus negaret, tanquam minime debitum.

Eodem mihi loco est, tum quod, quia Polybius in Exc. Peiresk. ex lib. XXXI. Paulum plus, quam quenuquam alium sui temporis, pecuniae ex Hispania Romam transtulisse ait, *inde manifesto colligitur* Valelius eum ex Hispania triumphasse, quum illius triumphus, etiam ipso fatente, nec Liuius, nec Plutarchus, nec Fasti Capitolini meminerint, et reuera pecuniae translatio nihil ad triumphum pertineat, quippe quae in Prouincia ex diuendita praeda redacta aequae in aerarium Rom. deferri debuit ab illis, qui non triumphabant, atque ab iis, qui triumphabant: tum quod porro Lipsius non iam *debitum*, sed et *delatum* Paulo triumphum ex Liuius confici affirmat, quoniam ille *decretam supplicationem ob res ab Aemilio in Hispania gestas scribat XXXVII. 58.* Supplicatio aurem *semper fere dux triumphus sit.* Contra ego quidem satis liquere censeam, ex Liuii sententia Paulum minime ex Hispania triumphasse, eo quod ille de triumpho prorsus taceat, quum tamen supplicationes Diis

habitas ob remp. prospere a Paulo gestam annotare non neglexerit, et quidem loco inter ipsos L. Aem. Regilli, L. Corn. Scipionis, et Q. Fabii Labeonis triumphos vtrisque interiecto: vt neutiquam verisimile sit, triumphum praecipuum victoriae praemium, et victoris honorem per incuriam praetermissum ab eo, qui rem multo minoris momenti, supplicationes eius victoriae ergo factas, commemorat.

Sed forte Linius, his commemoratis, delatum quoque triumphum a prudente lectore satis intelligi existimauit. Id sane quidem videtur velle Lipsius. Verum grauius peccant cum ille, tum omnes alii, qui de rebus pristini temporis, quo feueritas in Senatu, leges in Rep. vigeant, iudicant ex consuetudine posterioris seculi, quum ambitio omnia obtinuit, adeo vt *Senatus in eam benignitatis consuetudinem tum venerit*, vt eos qui *bene remp. gesserant*, etiam *novis identidem honoribus adficeret*, teste Cicer. in Pison. c. 19. Etenim verum quidem est, quum *ex desertis montibus, myoparonumque piraticis rostris laureae ramulos decerpere* triumphorum studiosi festinant, vt queruntur ipsi veteres, tunc quarum victoriarum nomine supplicationes Diis habebantur, earum nomine etiam Imperatoribus triumphum plerumque concessum, adeoque tunc supplicationes habitas fere quasi quandam triumphii praerogatiuam. Neque tamen etiam illis temporibus *SEMPER triumphus sequebatur supplicationem*, vt his ipsis verbis Cato ad Cicer. scribit Famil. Epist. XV. 5. vt adeo neque tunc commemorata supplicatione tanquam ex ea satis intelligatur, triumphii mentio a scriptore deberet praetermitti.

Suppli-

Supplicatio enim de variis rebus decernebatur, de quibus non triumphabatur: veluti Ciceroni, quum coniurationem Catilinariam detexisset, P. Scipioni, quum in Africam aduersus Carthaginienses traiecisset, sed et eius fratri L. Scipioni, quum in Asiam cum exercitu feliciter transiisset: Quin immo rarissime cuiquam ob remp. contra hostes prospere gestam postulanti negabatur. Certe Cicero saepius gloriatur Senatum frequentem A. Gabinio, Procos. Syriae, inimico suo supplicationem denegasse, addito, eam ignominiam VNI praeter ipsum T. Albutio Sardiniae Propraetori iniustam, Or. de prouinciis Consul. cap. 6. et 7. porro inimicum suum ea, qua neminem vnquam, ignominia notatum, Senatumque huius VNIVS literis nuntiantibus non credidisse, postulantibus denegasse ait Or. in Pison. c. 19. Et ad Q. Frat. II. 7. quum scripseret, *Senatum diuinum fuisse in supplicatione Gabinio deneganda*, subdit, *adiurare Procilium, hoc nemini accidisse*. Sed tamen lapsus et Procilius, qui neminem, et Cicero, qui vnum Albutium excipit. Namque ex superstitibus T. Liuii libris etiam M. Popilio Laenati Consuli An. 580. tum absenti, per literas ex prouincia de bene gesta Rep. missas, tum praesenti, coram postulanti supplicationem, negatam obseruare licet. Videtis lib. XLII. c. 8. 9.

Triumphus vero, licet habitis iam supplicationibus, saepissime tamen impeditus aut negatus fuit primis praecipue et mediis Reip. temporibus, quando non ita temere istum honorem cuius eum concedendo vulgatum, et ambitioni hominum expositum volebant. Et sane multae tunc variaeque fuerunt causae, propter quas supplicatio quidem alicuius victoriae ergo decerneretur, triumphus

tamen iure negaretur. Eas hic vberius paulo exponere, quia in hac certe historia a viris doctis non sunt animaduersae, fert animus. Enimuero multis vere negatum olim triumphum postulanti-
 bus, aperte declarant tot in Albano monte sine publica auctoritate acti. Liu. XLV. 38. *Multi, qui ab Senatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triumpharunt.* Primus id fecisse in Fastis, et Valer. Max. III. 6. proditur C. Papirius Maso Consul An. 522. Eum secuti deinceps alii, inque iis M. Marcellus captis Syracusis tum Q. Minucius Rufus Cos. An. 556. qui quum aduersum voluntati suae Senatum videret, *in monte Albano se triumphaturum et iure imperii Consularis, et multorum clarorum Virorum exemplo dixit:* Liu. XXXIII. 23. Postea An. 581. C. Cicereius Proprætor postulato frustra triumpho idem fecit, quum, vt ait Liuius XLII. 21. *iam in morem venisset, vt sine publica auctoritate fieret.* Ergo intra paulo plus XXX. annorum spatium toties negatus fuit Romæ triumphus, vt multorum iam tunc exemplo in Albano monte priuatis sumtibus agi posset: et intra LX. annos iam omnino in morem venerat, vt triumphus a Senatu frustra postulatus illic ducetur. Post hæc tamen tempora mos iste in defuetudinem iterum abiisse videtur: certe vix vllum amplius occurrit eius exemplum, haud dubie quod tum rarius, inualescente iam et publice et priuatim ambitione, deinceps fuerint triumphi. Accedit quod Ap. Claudius Cos. an. 610. nouo exemplo et audacissimo incepto morem istum spreuisse, et ita aboleuisse videtur, quandoquidem *infami impudentia atque ambitione vsus priuatis sumtibus triumphauit,* vt ait Oros. lib. V. non in monte Albano, nam id multorum iam exemplo et more fecisset,

fecisset, sed in ipsa Vrbe, quod ante sine publica auctoritate non erat factum. Qua de causa cum Tribunus pl. eum de curru triumphali detrahere conaretur non nisi Virginis Vestalis filiae suae, quae illum curru simul ascenso in Capitolium vsque proferebatur, maiestate protegi potuit. Verum illos, qui triumphum, quoniam a Senatu populo impetrare non poterant, sine publica auctoritate seu Romae, seu in monte Albano egerunt, supplicationes tamen ante suae victoriae nomine Diis habendas et postulasse et impetrasse, nullum est dubium. De Marcello velim videas Liu. XXVI. 21. sic Minucius qui cum Collega in vna prouincia Remp. gesserat, de ea feliciter gesta vna cum illo literas ad Senatum dedit, ex quibus quidem *supplicatio in quadriduum decreta* fuit Liu. XXXII. 31. At postea cum Coss. pariter Romam venissent, et communiter triumphum postularent, alteri, quia res tantas bello gesserat, *ut non magis de triumpho eius, quam de honore Diis immortalibus habendo, dubitari posset*, Liu. XXXIII. 22. concessus fuit, Minucio vero negatus, quamuis de supplicationibus eius quoque nomine decernendis dubitatum minime fuerit.

Ceterum, ut iam de causis negati triumphum agam, in eo concedendo vel abnuendo id primum spectari olim solebat, vtrum quis in, vel ex Magistratu, prorogato imperio, an priuatus extra ordinem accepto imperio Proconsulari Remp. gessisset. Ea ratione negatus P. Scipioni, qui postea *Africanus* appellari coepit, quum ex Hispania Poenos expulisset, et res triumpho dignissimas gessisset, quia in eam prouinciam *sine ullo Magistratu*, ut ait Valer. Max. II. 8. *erat missus*. De eodem Liu. XXVIII. 38. *Ob has res gestas magis tentata est triumphum spes,*

quam petita pertinaciter, quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine Magistratu res gessisset, constabat. Idem tamen, quod contra Valesianum argumentum noto, multa millia pondo argenti, et signati magnum numerum Romam ex prouincia attulit, et in aerarium condidit. Successerunt autem vtramque Hispaniam obtinenti L. Lentulus et L. Manlius Acidinus, proconsulari item imperio extra ordinem accepta, quamuis vterque aliquot annis ante Praetor fuisset. Quapropter cum Lentulus Romam redisset, triumphumque postulari, Senatus censebat res ab eo gestas triumpho dignas esse, sed exemplum a maioribus non accepisse, ut qui neque Dictator neque Consul, neque Praetor res gessisset, triumpharet. Proconsule illum Hispaniam prouinciam, non Consulem aut Praetorem obtinuisse. Decurrebatur tamen eo, ut ouans urbem iniret, intercedente Tribuno pl. qui nibilo magis id more maiorum, aut vlllo exemplo futurum diceret. Postremo victus consensu Patrum Tribunus cessit, et ex Scto L. Lentulus ouans urbem est ingressus Liu. XXXI. 20. Quae tamen ita intelligenda, non tanquam nemo triumphasset, nisi de rebus, quas gessisset, dum Dictator, aut Consul, aut Praetor adhuc erat, sed non nisi de rebus, quas, imperio in illis Magistratibus accepto, gessisset. Manlius vero anno post decedens, quum item ab Senatu nihil nisi ouationem impetrasset, tamen in ea ipsa a Tribuno pl. prohibitus, priuatus Urbem est ingressus, allatumque ex prouincia aurum et argentum sine triumpho in aerarium tulit, Liuus XXXII. 7. At vide in quantum ab hoc instituto desciverint posterii. Cn. enim Pompeio, adhuc Equiti Rom. necdum Senatori, nondum vlllo Magistratu gesto, bis, alterum ex Africa, alterum ex Hispania triumphum

phum' agere permiserunt. Val. Max. VIII. 15. *Nondum ullum honorem auspicatus, bis triumphauit.* Sed et tertium ex Asia et Ponto de Rege Mithridate, imperio extra ordinem lege Manilia accepto, duxit, id quod extremis Reip. temporibus, non nouum, sed solenne iam erat, quippe quum aliquot demum annis post gestum Magistratum in prouincias eodem iure et imperio, quo antea Consules Praetoresue, mitterentur.

Porro triumphum vt quis obtineret, in sua prouincia, et suis auspiciis rem gessisse oportebat. M. Heluius Propraetor, quum ex vltiore Hispania decederet cum praesidio sex millium, in citiore obuios habuit Celtiberos ingenti agmine, eos fudit, fugauitque, oppidum Iliturgi recepit, et puberes omnes interfecit. Eam tamen ob rem feliciter licet gestam triumphum impetrare non potuit. *Causa negandi*, teste Liu. XXXIV. 10. *fuit Senatui, quod alieno auspicio et in aliena prouincia pugnasset.* *Alieno dicit auspicio*, quia tempus imperii eius in illa prouincia dudum (nam longo et graui morbo, vsque dum secundus iam successor venisset, retentus ibi fuerat) erat finitum, exercitumque, quo hostes vicerat, a nouo Praetore tantum in praesidium suum acceperat. Eadem de causa si minor potestas in vna prouincia ageret cum eo, qui et imperio et auspicio superior erat, triumphandi ius non habebat, licet eius ductu res essent gestae. Notabile hanc in rem est exemplum Q. Valerii Faltonis ex parte iam supra ex Valerio Max. relatum. Is Praetor cum Consule hostibus oppositus, eorum classem primo Punico bello fuderat suo ductu, Consule aegrotante, Tamen cum de triumpho ageretur, cumque sibi soli, non item illi decernendum censeret Consul,

resque ad arbitrium Calatini deferretur, is sua sententia Consuli accessit, et Praetori negavit triumphum, quia non eius, sed Consulis auspicio reserant gestae. Eadem pene in disceptationem venerunt, quum L. Furius Purpureo Praetor triumphum peteret. Nam cum Galliam accepisset prouinciam tunc remporis quietam, cum quinque tantum millibus sociorum Latini nominis, et repente Galli, nihil tale exspectantibus Romanis, Amilcare Poeno Duce, cum 40. millibus Placentiam inuasissent, et expugnassent, et porro Cremonam obsiderent, iussus fuit C. Aurelius Consul exercitum suum ex Etruria in Galliam mittere, et vel ipse ad opprimendum tumultum hunc Gallicum, si per commodum Reip. posset, statim proficisci, vel Praetori Furio scribere, vt ille suis copiis vicissim in Etruriam remissis, cum exercitu Consulari ad coloniam obsidione liberandam contenderet. Id quod feliciter satis a Furio factum, victis, caesis et debellatis vno proelio hostibus; vnde mox Romae *supplicationes in triduum* habitae. Dein Consule in prouinciam veniente, et Praetorem, cui succensebat, quod se absente commissa acie debellasset, in Etruriam mittente, ipse ante tempus ex prouincia Romam rediit, spe triumphi per absentiam irati Consulis facilius obtinendi. Vbi quamuis apud magnam partem Senatus *et magnitudine rerum gestarum et gratia valeret*, maiores tamen natu triumphum ei negarunt, *quod alieno exercitu rem gessisset, et quod prouinciam reliquisset*, cui in annum integrum praeesse debuerat. Ceteri tamen *nihil praeter res gestas, et an in Magistratu, suisque auspiciis gessisset, censebant spectare Senatum debere*, eorumque orationibus effectum est, vt petitionis eius ratio haberetur, concedereturque

returque triumphus, quoniam et Praetor rem gesserat, et in sua prouincia, in quam auspicato profectus erat cum imperio, et in quam Consul nondum venerat, et res gestae, quippe debellato hoste et occisione occiso, triumpho dignae videbantur. Liu. XXXI. 47. 48.

Rerum enim gestarum olim vel inprimis etiam habebatur ratio, eaeque saepe item supplicationibus quidem censebantur dignae, non autem triumpho. L. Valerius, et M. Horatius vere Poplicola Coss. A. V. C. 304. quum Sabinos duobus proeliis egregie vicissent, Senatus iis aduersus, supplicationes in vnum diem maligne decreuit, sed decreuit tamen, triumphum vero tanquam isti victoriae non debitum *ingenti consensu* negauit. Quare factum, vt *tum primum iussu populi sine auctoritate Senatus triumphatum* fuerit, sicuti annotat Liu. III. 63. Num quoque Fabio Vibulano Coss. A. V. C. 332. quum hostes, contra quos erat profectus, trepidam tantum ostendissent aciem, et mox turpi fuga se recepissent, *triumphus negatus* Liu. IV. 43. Nec dubium est, supplicationes tamen Diis habitas, quandoquidem eius victoriae nomine, vt ouans Urbem intraret, concessum ibidem dicitur. Sic M. Atilius Regulus et L. Postumius Megellus Coss. A. V. 459. quum bene Remp. gessissent, *Atilio de triumpho agenti negatus honos, et ob amissa septem millia militum duobus proeliis, et quod captiuos hostium sine pactione subiugum misisset*: Postumio item, et ab aliis quidem, *quod tardius ab Vrbe exisset*, ab aliis *quod iniussu Senatus ex Samnio in Etruriam transfisset*. Liu. X. 36. 37. Verum hae quidem quum non satis iustae essent negandi causae, et potissimum ad aequatae repulsae solatium a Collega amicis proferrentur,

ille invito licet Senatu, trium Tribunorum auxilio tamen triumphauit. Atilius vero, quia priore proelio aequo Marte discesserat, sed plus vulnorum ac caedis ab sua acceperat parte, posteriore quamuis superior, multos tamen milites et in eo amiserat, maiori iure passus fuerat triumphi repulsam.

Haud facile enim eum obtinebat, qui licet ad postremum victor, grauem prius in eodem bello accepisset cladem. Ap. Claudius, de quo supra, victus primum a Salassis, dein ipse eos vincens, quum triumphum exspectasset, *propter damna vero superiora non impetrauisset*, vt ait Orosius, priuatis sumtibus triumphauit. Sic P. Val. Faltoni Cos. An. 515. quum contra Gallos varia sorte bellasset, ita vt priore proelio 3500 suorum, altero 14000 hostium occumberent, tamen *ob priorem cladem triumphus denegatus est*, teste eod. Orosio lib. IV. Q. Minucius Rufus Cos. anno 556. triumphum quum peteret, ei quoque obiectum a Tribunis pl. *leuia proelia et vix digna dictu fecisse, magnum numerum militum amisisse* Liu. XXXIII. 22. Quamobrem quum Romae publica auctoritate non posset, priuata in monte Albano triumphauit. Supplicatio vero antea ex eius et Collegae literis sine vlla dubitatione *in quatrimum fuerat decreta*. Liu. XXXII. 31. Similiter Q. Minucio Thermo Consuli an. 560. *negatum triumphum* scribit Liu. XXXVII. 46. quamuis confecta prouincia, et Ligurum omni nomine ad deditiorem redacto, cap. 2. haud dubie quia tertium vsque in annum dubio in ea prouincia detentus erat bello, XXXVI. 39. et maxime, quia castra eius ab hostibus oppugnata, aegre fuerant defensa, et exercitus temere, vti olim in Caudinis furculis, inductus in saltum, vbi ob-

fessus

fectus vndique ac circumuentus, consilio et astu Numidarum tandem euaserat. XXXV. 11.

Neque sufficiebat olim, aliquot millia hostium occidisse, sed debellasse oportebat, et prouinciam confecisse, ac pacasse, ita vt exercitum ex ea deportare liceret ad celebrandum triumphum. Ergo L. Manlio Acidino ex Hispania triumphum postulante, *rerum gestarum magnitudo; vt ait Liu. XXXIX. 29. impetrabilem faciebat; exemplum obstabat, quod ita comparatum more maiorum erat, ne quis, qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi perdomitam pacatamque Prouinciam tradidisset successori.* Eadem causa fuit negandi M. Marcello triumphi, captis Syracusis, quamuis eius nomine supplicatio decreta ob res prospere ductu eius gestas fuisset, quia scil. parum conuenire censebant, *quem tradere exercitum successori iussissent, (quod nisi manente in prouincia bello non decerneretur) eum quasi debellato triumphare, quum exercitus testis meriti atque immeriti triumphi abesset.* Liu. XXVI. 21. *Maiores enim instituerunt, ait Idem XXXI. 49. vt Legati, Tribuni militum, Centuriones, milites denique triumpho adessent, idque vt veritas rerum gestarum eius, cui tantus honos haberetur, publice videretur.* Grauiissime in hac Marcelli historia errauit Valer. Max. II. 8. quum tradit ei *ob captas Syracusas triumphum non esse decretum, quod ad illas res gerendas sine vilo fuerit missus magistratu:* et deinceps ita loquitur, tanquam ille item, et P. Scipio, iuuenes fuissent, quos *Senatus iustiori reseruandos laureae putauerit.* At vero Marcellus iam ante de Gallis triumphauerat, ter Consulatum obtinuerat, inque illo tertio Consulatu in Siciliam missus fuit. Vide Liu. XXIV. Adde Plutarch.

• οὗ δὲ Μάρκελλος ἀποδεχθεὶς ὑπατος τὸ τρίτον εἰς Σικελίαν ἔπλευσε.

ἔπλευσε. Quin ipse etiam negatum illi ait triumphum, ἐπεὶ προύξας τινὲς ὑπολοιπῆς ἦσαν ἔτι περὶ Σικελίαν h. e. quoniam residua quaedam erant adhuc in Sicilia peragenda. Praetereunt tamen hoc cum alii Interpretes, tum Pighius, qui ceteroquin audacissimis emendationibus erranti Valerio succurrere solet. Quoniam autem exercitus praecipuum erat triumphi ornamentum, gloriosissimum habebatur eum omnem ad fidem pacatae penitus provinciae deportare. Vnde quum C. Piso, et L. Quinctius Hispaniarum Praetores, maximo in iis profligato bello, postularent missis legatis, ut pro rebus tam prospere gestis Diis haberetur honos, et ut sibi exercitum deportare liceret, supplicatio in biduum decreta est, de exercitu magna contentione res acta, et tandem novi Praetores obtinuerunt, ut exercitus in provincia maneret, exceptis iis, qui emerita stipendia haberent, et quorum fortissima opera in proeliis fuisset, haud dubie, ut isti veteres Praetores comitarentur in Urbem ad triumphum, qui magno patrum consensu iis decretus fuit. Vide Liu. XXXIX. 38. et 42.

Denique oportebat fines imperii protulisse. Nam *cantum erat, ut pro aucto imperio, non pro recuperatis* nedum defensis solummodo quae *Populi Rom. fuissent, triumphus decerneretur:* ait Valer. Max. II. 8. ideoque, ut idem refert, Q. Fulvius, recepta Capua, et L. Opimius, Fregellanis ad deditionem compulsis, triumphandi potestatem a Senatu impetrare non valuerunt, quamvis uterque editis operibus magnifici. Et huc spectare reor responsa haruspicum, qui initiis maximorum bellorum fere semper pollicebantur prolationem finium simul et triumphum, utpote tum demum
vere

vere debitum. Ita intitio belli contra Philippum, *Haruspices responderunt laeta exta fuisse, et prolationem finium, victoriamque et triumphum portendi* apud Liu. XXXI. 5. Contra Antiochum, *Haruspices responderunt, eo bello terminos Populi R. propagari, victoriam ac triumphum ostendi.* XXXVI. 1. Contra Persea, *Haruspices ita responderunt, si quid rei nouae inciperetur, id maturandum esse, victoriam, triumphum, prorogationem imperii portendi.* XLII. 30. Sed mendum latet postremo hoc in loco, quod, si pateris, obiter tollam. Etenim *prorogatio imperii* ferri hic nequit, nec dicitur nisi cum ius; qui vel in Magistratu, vel extra ordinem cum imperio in prouinciam mittuntur, finito imperii dati anno, potestas et ius imperii in sequentem iterum annum vel longius tempus extenditur. Breuiter *prorogatio* semper temporis ac durationis inuoluit significationem, sumtam a comitiis, quorum proprium est vocabulum *rogatio*, et quae inde oriuntur, in quibus etiam *prorogare*, h. e. longius vel in proximum annum rogare Imperatoribus imperium. At hic agitur de terminis regionum subiectarum imperio Populi R. proferendis. Legendum itaque omnino *propagationem imperii*, vocabulum a vineis ad omnia ea, quae per latius spatium extenduntur, translatum. Et ita non modo in proximis lib. XXXVI. verbis, sed et XXXVIII. 60. *Imperium Populi R. propagauerit in ultimos terrarum fines.* Cic. de prouinc. c. 12. *Finium imperii nostri propagatio.* Nepos Hamilc. 2. *Fines imperii propagauerit.* Suet. Ner. 18. *Augendi propagandique imperii neque voluntate vlla neque spe motus vnquam.* Saepe autem *prorogare et propagare* fuere inuicem a librariis confusa, et saepius hoc in illud abiit, quia longe altero infrequentius apud Auctores.

Ceterum

Ceterum istae olim praecipuae causae negandi Imperatoribus triumphi, sed quae tamen extremis Reip. temporibus non ita obseruabantur. Nam sociali bello de Asculanis et Picentibus, qui ante in imperio Populi R. iam fuerant, triumphauit tamen denuo Cn. Pompeius Strabo, Magni pater; sed et aliunde complures alii, qui non perdomitam pacatamque, ut oportebat, prouinciam tradiderant successori, sed grauissimum in ea bellum illi reliquerant, veluti Pompeio Lucullus in Asia, Mario Metellus in Numidia, ex qua tamen ille, quamuis minime confecta prouincia, etiam *Numidici* cognomen accepit. Immo ex vna prouincia quamplurimi saepe ducebantur triumphi. Vnde Cicero Pisoni Macedoniae Proconsuli sine triumphi spe reuerso exprobrat cap. 16. *ex ea aliquot Praetorio imperio Consulari neminem rediisse; qui incolumis fuerit, qui non triumpharit.* Et tunc ferme sufficiebat, *quinque millia hostium vna acie occidisse*, de quo numero lege etiam cautum tandem fuit. Verum et ea lex cum cupiditate laureae oblitteraretur, *falso numero aut hostium occisorum, aut amissorum ciuium*, quorum proinde et tunc ratio habita, *relato*, altera lege adiuuari debuit, quae Imperatores iurare apud Quaestores Urbanos cogebat, verum se vtrorumque Senatui perscripisse numerum, et falsum referentibus poenam minabatur, vti docet Valer. Max. II. 8.

Sed tamen etiam aliquandiu ante facilius aliquanto Senatus in concedendis triumphis esse coeperat, id quod suo iam tempore notasse videtur Plautus Bacchid. IV. 9. 148.

Domum reduco integrum omnem hunc exercitum;

Sed spectatores vos nunc ne miremini,

Quod non triumpho, peruiulgatum est, nil moror.

Ergo

Ergo peruulgatum iam tunc erat triumphare, quam quaeso ob causam, nisi quia, desciscente multum a pristina seueritate et constantia Senatu, facilius quam antea, concedebatur triumphus? Et sane Q. Fabius Labeo Praetor an. 164. naualem obtinere potuit, quamuis, vt certe iactabant inimici, *hostem omnino non vidisset* Liu. XXXVIII. 47. Sic P. Cornelius et M. Baebius Coff. an. 572. quum Ligures improviso Romanorum aduentu commotos, deditionem vltro facientes, ex montibus in campos deduxissent, exercitumque, vtpote pacata prouincia, Romam reduxissent, *triumpharunt nullo bello gesto, sed omnium primi*, vt ait Liu. XL. 38. Et certe antea Fabio Vibulano, quum, vt supra retuli, hostes acie commissa in fugam, sed facili negotio, vertisset, contingere id non potuit; et Ducibus qui bellum sine sanguine confecerant, ouatio, teste Festo, non triumphus competebat. Mox Q. Fuluius Flaccus biennio post illos Consul *supplicationes in triduum* literis ex prouincia missis facile obtinuit apud Liu. XL. 53. sed et triumphum, sed qui tamen *magis gratiae, quam rerum gestarum magnitudini datus* dicitur cap. 59.

Illa gratia, quia plurimum tandem in senatu valuit, effecisse videtur, vt extremis temporibus nulli occurrant amplius, non modo, qui in Albano monte triumpharint, sed neque qui ouantes, quod olim frequens, Urbem intrarint, nisi de feruis et fugitiuis. Per quam desuetudinem factum, vt postremis Reip. temporibus dissensus fuerit inter ipsos veteres Scriptores, vtrum pedibus, an equo Urbem ouans ingrederetur, vt videre est apud Gell. V. 6. Sed tamen etiam tunc triumphum negatum constat L. Crasso enixe petenti, verum non Senatus, qui ei gratificabatur, sed

fed Collegae Q. Scaeuolae feueritate. Testatur id Afcon. P. in Pifon. vbi ait: *Craffo Collega fuit Q. Scaeuola Pontifex, qui cum animaduertiffet Craffo propter summam eius in rep. potentiam ac dignitatem Senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitauit reip. magis, quam collegae habere rationem, ac ne fieret Sctum, interceffit.* Ergo etiam illi Senatus, vt videmus, triumphum decernere volebat, qui *spiculis prope ferutatus erat Alpes, vt ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quaereret, vt ait Cic. in Pifon. c. 62. et tantum quosdam in citeriore Gallia nullo illuftri, neque certo duce, neque eo nomine, neque numero praeditos, vt digni effent, qui hostes Populi R. dicerentur, confecatus erat, confeceratque, vt idem de inuent. 2. 37.*

Denique quum labante iam vetere disciplina et omnibus bonis artibus, bella ciuilia exorirentur, ex iis, quamuis quis praeclaras res, maximeque vtilis Reip. gefiffet, *imperator tamen, vt notat iterum Valer. Max. eo nomine non appellabatur, nec vllae supplicationes decernebantur, neque aut ouans, aut curru triumphabat.* Sed et hoc primis bellis ciuilibus. Nam poftea etiam ille mos ambitioni cefiffit. Non dicam de Imp. Augusto, qui ante aetatem Valerii Maximi et ipfe ex ciuilibus vtique bellis et ouans et triumphans Urbem intrauit, ouans de Sex. Pompeio, triumphans de M. Antonio ad Actium victo. Nec enim extendo hanc difsertationem vsque ad Caefares qui ftatim et ipfo ab initio non iure, fed vi dominationis, legibus erant superiores, vnde mox hoc ipsum triumphandi ius adeo neglectum fuit, vt Plinius in Paneg. dicat *pulsi fugatique Rom. exercitus non aliud magis haberi indicium, quam fi triumpharetur.* Ad fenatum itaque me referam, qui D. Bruto obfelfo
Mutinae

Mutinae ab Antonio et liberato a Coss. Hirtio et Panfa, fugato Antonio, et supplicationem, et triumphum decreuisse deprehenditur, et vt appareat tamen etiam tunc non leue inter ea fuisse discrimen, quod ad dignitatem et decernendi facilitatem, ait Dio Lib. XLVI. *ὁ γὰρ ὅτι βαδυσίας, ἀδικία καὶ ἐπιβία αὐτῶ ἐψηφίσαντο*, hoc est, non solum supplicationes (nam in iis maiores victimae caedebantur Liu. XXXVII. 47. *Vicenis maioribus hostiis in singulas supplicationes consul sacrificare est iussus*, et sic alibi passim) sed etiam triumphum tanquam rem multo maioris momenti, ei decreuerunt.

Quocirca extremis Reip. R. temporibus, quum vix amplius triumphus petentibus negaretur, supplicationes fuisse quasi quandam *praerogatiuam triumphi*, vt ait Cato, h. e. eos, quibus supplicationes decretae fuerant, certiozem habuisse triumphi spem, et vt plurimum triumphasse facile largior, non tamen neque tunc *semper*, vt idem ait, *supplicationes sequebatur triumphus*, quandoquidem etiam, illo tempore facilius multo supplicationes, quippe quae vix cuiquam etiam priscis temporibus negatae fuerant, quam triumpho decernebantur, et multa etiam alia interuenire poterant, quibus triumphus impediretur, vel ab ipsis petentibus abiiceretur. Etenim Coss. Cicerone et Antonio Q. Marcium Regem, et Q. Metellum Creticum ad Urbem Imperatores fuisse, *impeditos* eo vsque, *ne triumpharent, calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos fuerit*, tradit Sallust. Catil. c. 30. Et Metellum quidem anno post demum triumphasse, ex Eutropio, at de Marcii triumpho nihil omnino constat. Ap. autem Claudio Ciliciae Procos. *certissimum et iustissimum triumphum* ait Cic. Famil. III. 10. ereptum inuidorum

Q

rum

rum opera, quia quum accusaretur a Dolabella, in Urbem, quod imperium et triumphi spem retinenti non licebat, introire fuerat coactus ad se defendendum, et ita *triumphi postulationem* abii- cere. Vide Cael. ad Cicer. ep. 6. Similiter C. Cae- sar, quum pacata vltiore Hispania, quam obti- nuerat, ad triumphum simul Consulatumque pe- tendum decessisset, quia edictis iam comitiis ratio eius haberi non poterat, nisi priuatus introisset urbem, *coactus est triumphum, ne Consulatu exclu- deretur, dimittere*, Sueton. cap. 18.

At vero prisco tempore, quo legum vincula nondum penitus perreperat ambitio, multos quo- rum propter victorias supplicationes quidem ex Scto Diis factae fuerant, triumphum tamen variis de causis obtinere non potuisse, atque adeo a sup- plicationibus memoratis nullo modo procedere argumentationem ad intelligendum et fruendum triumphum, satis iam liquere reor. Et propterea L. Paulus, ne eum postularer, et Senatus, ne concederet, grauissimas potuit habuisse, et reuera habuit causas, ex historia facile eruendas. Nam licet tandem, antequam successor veniret, pro- spere rem collatis lignis gesserit, fufis fugatisque hostibus, tamen priore anno aduersa pugna sex millia de exercitu suo amiserat, et cum ceteris pauentibus intra vallum compulsus aegre castra defenderat, magnisque itineribus fugientis in mo- dum in agrum pacatum euaserat, vt tradit Liu. XXXVII. 46. Et tanta ea fuit clades, vt Oros. IV. 10. nescio ex quibus Annalibus, sed certe non sine magno errore, hic obiter notando, *in Hispa- nia vltiore L. Aemilium Procos. a Lusitanis cum vniuerso exercitu caesum interiisse* scribat. Porro neutiquam perdomitam pacatamque prouinciam vsquam

vsquam legitur tradidisse successori, quandoquidem Senatus L. Baebio, qui ei successit, non nouum exercitum, vt oportuerat, si prior cum Paulo ex prouincia ad triumphum decessisset, sed ingens sane veteris supplementum in locum occisorum militum tanquam ad relictum illi graue adhuc bellum decreuit. Ita satis superque, ni fallor, iam constat, L. Paulo ex Hispania reuerso minime *debitum*, quandoquidem victoriis, quas praegressa infamis clades, et quibus debellatus non est hostis, neutiquam illo tempore debebatur, multo minus *delatum* fuisse triumphum, vti affirmabat Lipsius, immo neque *ter* eum, sed *bis* tantum triumphasse, quod pro tuenda Fastorum Capitol. auctoritate contra Velleium qui illud in gratiam, vt videtur, Aemiliorum sui temporis id affirmantium memoriae prodidit, et huius seculi doctos, qui magno consensu idem asseruerunt, probatum volui.

C A P V T V I I .

De Spoliis, et maxime Opimis.

Antiquissimi fuit moris, occisos in pugna hostes spoliare, et iacentibus arma imprimis detrahere. Hercules et Iolaus apud Hesiod. in Asp. v. 468. occiso Cygno dicuntur reuertisse, postquam eum despoliaissent, detrahendo ab humeris pulchra eius arma, *κύκνον σκυλεύσαντες ἀπ' ὤμων τεύχεα καλά*. Vnde quum ibid. v. 336. Pallas Herculem monet retro se recipere, simul ac Martem Cygni patrem vulnerasset, *quoniam tibi, inquit, non est fas neque equos capere, neque incluta illius arma.*

— — Ἐπεὶ ἄ νύ τοι αἰσιμόν ἐστιν
 Ὀυδ' ἵππας ἐλέεν, ἄτε κλυτὰ τεύχεα τῷσσι.

Quibus nihil aliud significat Poeta, quam non licere illi Martem, utpote Deum, occidere; nam necem sequebatur semper spoliatio, et idcirco ad illam denotandam adhibetur. Manifestum id ex eo, quod eadem Pallas postea v. 447. plenius ad Martem cui item non licebat Herculem, quippe Iouis Fil. interficere, nec interfecti spolia circumferre,

Ὁν γὰρ τοι θεμὸς ἐστὶν ἀπὸ κλυτὰ τεύχεα δῦσαι,
 Ἡρακλέα κτείναντα Διὸς θρασυκάροδον υἱόν.

Neque enim tibi fas est inclyta arma detrahere Herculi occiso Iouis magnanimo filio. Sic apud Sulpic. Seu. lib. 1. quum Saulus Rex Israelitarum magna praemia et filiae nuptias despondisse dicitur ei, qui *prouocantis* Goliathi *spolia retulisset*, expone, qui singulari certamine *prouocantem* occidisset. Et hinc Valer. Max. 3. 1. 1. de Aemilio Lepido, qui puer etiamnum *hostem interemit*, *ciuem seruauit*, postea aliis verbis ait, eum *coronam*, (ciuicam) *mereri*, et *spolia rapere valuisse*, hoc est, hostem interimere.

Causa rei praecipua erat, quod olim istis spoliis fortitudinem et victoriam suam ostentabant, inque iis laudis ac virtutis insignia maxime reposita ducebant. Quapropter non modo priuatim victores saepe arma, quae quisque de propriis hostibus obtinuerat, sibi aptabant, sed et publice superatis perduellibus in aeternum bene gestae rei monumentum variis, sed maxime celebribus in locis ea suspendebant. De priuatis, qui detracta suis aduersariis arma circumtulere, plena sunt Poetarum scripta, et notum est omnibus, Herculem
 etiam

etiam Leoni Nemeaeo, a se occiso detractam pellem pro spolio, seu scuto, et regmine semper deinceps habuisse, adeo ut in praecipuum eius insigne euaserit et vna cum claua in nummis eius semper conspiciatur. Neque vero priuati tantum, sed et publice imperatores spoliis istis victoriam celebrabant quam maxime. Vnde et ortum, ut in pugnis gloriae ac laudi duceretur praecipuae, non instruxisse iis hostilem pompam, seu seruasse sua arma, etiam in morte: qua de causa Epaminondas cum in proelio ad Mantineam mortiferum accepisset vulnus, simul ad se rediit delatus in castra, nihil prius quaesivit, quam saluusne esset clypeus: Turpissimum contra haberetur, viuum ac incolumem arma in hostium manibus reliquisse, aut in fuga scutum, quod in his spoliis longe praecipuum est, abiecisse. Hinc Aristoteles lib. V. Ethic. inter ea, quae lex apud Graecos iubeat, ponit, *μη ῥίπτειν τὰ ὄπλα*, quod Aelianus omnium pene flagitiorum *αἰσχιστον*, *turpissimum* vocat Var. Hist. X. 13. Lacaenae quoque mulieres dicuntur filiis in bellum exeuntibus, clypeum tradere, et cum hoc eos praecepto dimittere, *ἢ τῶν, ἢ ἐπὶ τῶν*, quo eos operam dare iubent, ut vel viui eam (*ἀσπίδα*) referant, vel mortui in ea referantur, teste Plutarcho in Apophth. Lacaen. Vbi et eiusdem ciuitatis mulierem filio dixisse ait: *ταύτην ὁ πατήρ σοι αἰετῶς, καὶ σὺ ἐν ταύταιν σώζε, ἢ μὴ ἔσο.* *Hanc pater tuus semper seruauit, tu quoque eam serua, aut ne uiue.* Apud Hebraeos quoque turpis habebatur fuga fugientis amisso scuto. Vnde 2 Macchab. XI. 12. *γυμνὸς* et *αἰχρῶς* *Φεύγων* mutuo se explicant, et per *γυμνὸν* intelligitur non proprie *nudus*, sed *inermis*, qui scutum in proelio perdidit, vel in fuga abiecit, ut passim haec

vox apud veteres Graecos et Latinos accipitur. Apud Romanos vero *miles qui in bello arma amisit, capite punitur, humane* (h. e. si mitius cum eo agatur) *militiam mutat.* l. 3. Dig. de re milit. Et ipsa *arma postliminio reuerti negantur, quod turpiter, nec sine flagitio amittuntur* l. 2. Dig. de Captiuis. Itaque cum fortissimus C. Caesaris miles Scaeuia Cassius vel Caesius clarissimam in freti Britannici scopulo pugnam vnus contra magnam hostium multitudinem edidisset, ac tandem vulneratus variis locis, relicto scuto, enatasset, tamen viso Imperatore, *armis non amissis, vt ait Valer. Max. III. 2. sed bene impensis cum laudem mereretur, veniam petit, magnus proelio, sed maior disciplinae militaris memoria.* Et huiusmodi exemplis plena est omnis historia. Denique ne maiores nostros praeteream, apud eos quoque olim *scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas, multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt, quae Taciti sunt verba in lib. de moribus Germ. c. 6.*

Scilicet qui fugiunt *arma foede iactantes, vt ait Liu. I. 27. illi ea re inprimis augent, quantum in se est, victorum gloriam, qui his armis et spoliis, ad ostentandam victoriae magnitudinem maxime, vt dixi, vtuntur.* Hinc vt plurimum leges finito proelio victores ad spolia *legenda* processisse, nisi si cui Deo essent vota, quando omnia in cumulum coniecta incendebantur, Liu. I. 37. *spoliis hostium (votum id Vulcano erat) ingenti cumulo accensis.* X. 29. *Spolia hostium coniecta in aceruum Iqui Victori cremavit, cui in ipso proelio vouisse ea Consulem paulo ante dixerat.* Alioqui vulgariibus tantum, quorum maximus numerus, tum fractis et laceris incensis, reliquis selectioribus instruebant

struebant non modo tropaea, si erigerentur, sed et triumphos, et deinde variis locis maxime conspicuis et sacris, tum in ornamentum urbium tum ad victoriam cohonestandam, aeternitatisque consecrandam figebant, saepe etiam ad socios ac amicos ad fidem victoriae mittebant.

Tropaea, quae erigebantur victoriae declarandae causa in ipso pugnae loco, istis hostium spoliis ornata fuisse satis probant nummi, in quibus ea occurrunt expressa. Atque hinc de Aenea, qui Mezentium interfecerat, victoriaeque parva tropaeum statuebat, Virgil. XI. Aen. ipso init.

*Ingentem quercum decisis vudique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti Ducis exuuias etc.*

Mox vero ex persona ipsius Aeneae

— — *haec sunt spolia, et de Rege Superbo
Primitiae, manibusque meis Mezentius hic est.*

In triumpho C. Flamini Consulis, Gallica spolia tanto numero sunt translata ante oculos civium, ut postea bello Punico sex millia hominum iis fuerint armata: Liu. XXIII. 14. Sic in L. Pauli Macedonia et Rege Persa triumpho τὰ κάλλιστα καὶ πολυτελέστατα τῶν Μακεδονικῶν ὀπλῶν ἐπέμπετο ποδῶν ἁμᾶξαις, hoc est, *pulcherrima et pretiosissima Macedonicorum armorum multis curribus in pompam triumphi mittebantur*, teste Plutarcho in Aemil. qui ea vehicula deinde vocat ὀπλοφόρος ἁμᾶξαις. Propertius quoque *spoliis oneratum Caesaris axem*, et Plin. Paneg. *non spoliis prouinciarum, sed hostilibus armis triumphum grauem memorant*, immo ante currum ipsius imperatoris *ferri clypeos, quos ipse perfoderit*. Non omnia au-

tem, vt ex Plutarcho apparet, sed lectissima et pulcherrima triumpho seligebant, et hoc erat proprie *spolia legere* post fugatum hostem.

Vbi iam triumphus erat peractus, quamuis id etiam, si non triumpharetur, fieret, spolia ea certo loco suspendebant in perpetuam rei memoriam. Cum Marcii Coriolani ductu Volscii Romanos vicissent, *dicatis spoliis templa et fora ornasse* leguntur, et ipse *legisse spolia, quae Diis dicaturus, et quibus Volscorum oppida ornaturus erat*, apud Dionys. Halic. VIII. 3. Sic Pisani in honorem C. Caesaris, Agrippae, Filii, defuncti *arcum celeberrimo coloniae suae loco constitui, ornatum spoliis deuictarum, aut in fidem receptarum ab eo gentium* decreuerunt, vt ex eius rei monumento etiamnum superstitite patet. In porticibus quoque fixa Liuius XXII. 57. docet, quum ait, *vetera hostium spolia detrahunt templis porticibusque*. Sed maxime in templis suspenſa consecrabantur Diis: id quod adeo solenne omnibus populis fuit, vt tanquam singulare in Lacedaemoniis notetur, quod id non fecerint. Atque hinc in Apophth. Lacon. apud Plutarch. Cleomenes rogatur, *cur Spartiatae Diis non consecrent hostium spolia*, respondente illo, *quia sint a timidis; ea autem, quae de possessoribus per eorum timiditatem sint capta, neque videre iuuenes, neque Diis sacrari debere*. Sed aliter et rectius senserunt alii, qui et fortitudinis et victoriae suae diuina benignitate atque auxilio partae, insignia in templis Deorum sacrandae, et in oculis omnium figenda censuerunt, vt aeternam rei memoriam posteris inculcarent, eosque ad edenda eiusdem fortitudinis exempla animarent. Ex ipsa id discimus Scriptura S. vbi 1. Sam. cap. 31. Philistaei dicuntur post victoriam progressi ad spoliandum occisos,

cifos, et cum inuenissent Saulum et eius tres filios, detraxisse illis arma et misisse circumquaque per oppida, ac tandem in aede sui Dei deposuisse. Sed et Dauid quum Goliathum interfecisset, huius gladium *in templum posuit*, ait Sulpic. Seu. Dicere debuisset *in tabernaculum*, nam ibi depositus fuit; sed hoc erat tunc loco templi, seu aedis sacrae. Romani vero hac quoque in re nimio gloriae studio abrepti, etiam falsa spolia, quae de hostibus non erant capta, tanquam si essent, in locis sacris fixisse aliquando videntur. Certe Catonis Censorii orationem *de spoliis, ne figerentur nisi quae de hoste capta essent*, laudat Festus in v. *refignare*. At quae quisque priuatim in proelio ceperat, domi suae solebat figere eaque nefas erat refigere emtori, vt ex Plinio et aliis docuit Schortus Obseru. I. 12. Adde locum ex Lilio XXIII. 23. non modo illud ipsum, sed et quanto id honori fuerit, declarantem. Dicitur ibi Dictator ad Senatum legendum creatus M. Fabius Buteo, et is recitasse primo veterem Senatum, dein in locum demortuorum eos, qui Magistratum post vltimos Censores cepissent, deinceps ex iis qui non cepissent, illos potissimum, *qui spolia ex hoste fixa domi haberent, aut ciuicam coronam accepissent*. Ad socios quoque missa, quod dixi, et ab iis item in templis fixa, docuit id me idem Lili. XXIV. 21. vbi de seditione Syracusanorum agens, *inermes, inquit, ex Olympii Iouis templo spolia Gallorum Illyriorumque dono data Hieroni a Pop. R. fixaque ab eo detrahunt precantes Iouem vt volens propitiusque praebeat sacra arma pro patria, pro Deum delubris, pro libertate sese armantibus*. Videmus hic spolia hostium socio et Amico Regi a Romanis dono missa; videmus etiam ea in templo Diis sacrata,

et ita, vt perpetuo ibi manerent in aeternam rei memoriam, nec licuiffe ea bellorum vsibus iterum adhibere, nisi cogente summa necessitate, quae etiam Romanos subegit post Cannensem cladem, *spolia hostium affixa templis, deorum numini consecrata, instrumenta futurae militiae conuellere*, vt ait Valer. Max. quo capite *Necessitatis* duras leges exponit. Argiuorum quoque mulieres, cum eorum vrbs a Spartanis oppugnaretur, idem fecisse, *καθελύσας τὰ ἀπὸ τῶν ἱερῶν ὄπλα*, testis est Plutarchus.

Suspendebantur ergo in templis et alibi spolia haec bello parta in sempiternum rei gestae ad posteros monumentum, sed tamen, ne nimia iactatione iis quoque, qui olim quidem hostes, postea vero vel in amicitiam, vel in ditionem Populi R. forent redacti, suae cladis et ignauiae signa ostentarent, et vt tandem pristinae inimicitiae ac belli recordatio aboleretur, inter omnia, quae Diis erant sacrata, sola hostium spolia, si tractu temporis consumpta essent, renouare non licebat. Tradit etiam illud Plutarchus in Quaestion. c. 37. *Cur (nam verba eius in linguam Latinam transferam) ex omnibus, quae Diis sacrantur, institutum est sola spolia negligere, si temporis longinquitate consumantur, neque venerari ea, neque renouare? Vtrum vt quia gloriam vna cum primis spoliis deficere ac interire existimant, semper recens monumentum virtutis comparare studeant, an potius, quod vbi ipsum tempus signa dissidii cum hostibus sustulerit, ea renouare ac reparare inuidiosum est et odii ac inimiciarum amorem prae se fert. Nec enim apud Gracos probantur, qui primi lapideum aut aereum constituerunt tropaeum. Sola itaque hostium spolia hunc in modum negligebantur, ceterae autem res*
sacrae

sacrae in templis si interissent, non modo restitue-
 bantur, sed et vetustate inutiles factae, tamen
 adhuc seruabantur, et in fauissis in Capitolio, quae
 cellis erant similes, reponebantur, vt constat ex
 Festo in v. Fauissae. Quod aurem Plutarchus ad-
 dit de tropaeis, explicet Cicero de Inuent. II. 23.
 vbi ait accusatos in communi Graeciae concilio
 Thebanos, quod, quum *fere mos esset Graecis, vt ii,
 qui vicissent, tropaeum aliquod in finibus statuerent,
 victoriae modo in praesentia declarandae causa, non,
 vt in perpetuum belli memoria maneret, illi victis
 Lacedaemoniis aeneum statuissent tropaeum.*

Ceterum nulla omnino res tam gloriosa fuit
 apud Romanos, quam ea ex proelio spolia retu-
 lisse, quae illi proprie *opima* vocant, non, vt
 inepte Plutarchus censet a τῷ *opus*, quod eorum
 consecratio detur ei, qui ipse tam eximium forti-
 tudinis edidisset exemplum, ἀνταργῶ τῆς ἀριστείας:
 sed ab eo, quod Latini *περισσίαν*, abundantiam et
 copias dicunt *opem*, id quod, vt ille ipse tradit,
 Varro maluit: *οπίμα δὲ τὰ συνῶλα Θετῆ ἐκέρων, κα-
 ῖότι τὴν περισσίων ὄπερι λέγῃσι.* Quae Varronis aucto-
 ritas licet a Graeculo reiecta, vna tamen omnium
 in hoc negotio firmissima est, et simul etiam prae-
 cipue a Viris doctis adferri debuerat ad inanes
 Grammaticorum, Ateii Philologi, aliorumque ob-
 seruationes eludendas, qui pro diuitiis etc. *opes*
 in plurali tantum vsurpari contendunt. Etenim
 vox illa vtroque in numero significat primo copiam
 et abundantiam rerum, maxime e terra prouenien-
 tium. Nam ipsam etiam Terram *Opem* veteres
 vocabant, et ita deinceps mea sententia, omnes
 terre fructus, vt vt in alia omnia abeat Georg.
 Henr. Ursinus in obseruationibus Philologicis nu-
 per in Germania editis. Petron. *Florida tellus, cum
 volo,*

volo, fundit opes. Plin. Paneg. c. 31. *Percrebuerat antiquitus, Urbem nostram, nisi opibus Aegypti, ali sustentarique non posse* i. e. frugibus et fructibus. In his vero quia olim consistebant diuitiae, et ex diuitiis oritur tum rei publicae, tum priuatorum potentia, hinc factum, vt pro vtroque, diuitiis scil. et potentia, vsurpata fuerit, et denique pro copia et facultate cuiuscunque desideratae rei, qua qui alium instruit vel iuuat, *opem* ei ferre dicitur, hoc est, rem, qua iuuetur vt adeo nulla sit causa tam sollicitate quaerendi, qui fiat, quod *opes* pro diuitiis plerumque sumantur, quamuis tamen reuera proprie id non notet ea vox, sed laxiorem habeat significatum, qui tum diuitias, tum alia comprehendit. Certe Cicero duo haec vocabula manifesto tanquam diuersa, adhibet cap. 6. de Amic. *Diuitiae, vt vtare, opes, vt colare, honores, vt laudare, voluptates, vt gaudeas*, vbi *opes* significat copiam et potentiam rerum quarumcunque, quibus alios iuuare publice et priuatim queas. Iste vero significatus *περισσίων* omnis rei notans, quae in re familiari locupletem vel *opulentum*, in re publica potentem, et auctoritate praeditum, in re bellica copiis militaribus instructum facit, tam in singulari, quam plurali, tam in prosa, quam metro, vocabulo huic competit tum origine, tum vsu, licet in singulari tandem rariore facto. Ne de prosa dubitemus, vt facit Cl. Ursinus cap. 8. multis de hac voce agens, operae pretium erit cognoscere, quomodo Mela elegans saris, ac nitidae Latinitatis scriptor loquatur l. 7. de Carthagine: *Nunc Populi R. colonia, olim imperii eius pertinax aemula, iam quidem iterum opulenta, etiam nunc tamen priorum excidio rerum, quam ope praesentium clarior.* Vbi manifeste

feste eandem significationem τὴν οπε tribuit, quam τὴν opulenta, quae vox utique locupletem et diuitem norat. Et hinc Varro *opulentum*, non ab *opibus* deducit, ut fecisset, si proprie in plurali tantum signaret id, quod opulentum facit, sed ab *ope*. *Diues* (inquit! IV. de L. L.) a *Diuo*, qui, ut *Deus*, nihil indigere videtur. *Beatus*, qui multa bona possidet, et is *Opulentus*, ab *ope*, cui ea *opime*.

Aequae ineptum, quod plurali negant significationem, quae in singulari frequentatur, ubi modo pro vi et studio, modo pro auxilio accipi volunt, licet reuera potius significet ipsarum rerum, in quibus auxilium consistit, copiam, seu *περισσότητα*: quae ubi in auxilio ferendo intenditur, studium et vim aliquam continet, seu praefert, et idcirco etiam denotat. Etenim ut Liu. lib. 1. *summa ope bellum parare*, et *summa ope rem taceri iubent*, significat omni auxilii copia, omni illo quo res confieri possit, aduocato et abhibito, plane ut summo, maximo opere itidem de summo animi corporisque contentione usurpatur: sic vero etiam in plurali *summis opibus* non Plautus modo, (locus autem est in *Mostell.* 2. 1. 1.) sed et Pacuuius, *opibus summis persequi*, apud Festum in *Redantruare*. Ipse Cicero: *Oppugnabam oppidum tantis opibus, tantoque negotio, ut mihi ad summam gloriam nihil desit nisi nomen oppidi.* *Famil.* II. 10. *si omnibus tuis opibus, omni studio Lamiam iuueris*, XI. 17. hoc est, omni ope, omnibus tuis viribus, vel omnibus tuis auxilii ferendi copiis. Idem de *offic.* 1. 6. *Quae quanquam fortuita sunt, tamen sine hominum opibus, et studiis neutram in partem effici possunt*, hoc est, iis rebus, quibus homines alii alios iuuarere queunt. *Plin. Paneg. Annona tuis opibus, tuaque cura*

cura usque illuc redundauit. Et vr appareat, quam parum etiam valeat, quod pro Ateio Philologo, qui primus *opis* pro auxilio, singulare tantum, vt *opes* pro diuitiis solum plurale agnoscere affirmauit, comminiscitur Vrsinus, eius forte tempore, nondum adeo receptum istum vocis vsum. Tacebo de Cicerone, qui vixit vtique eius tempore, de Sallustio, qui Catil. c. 1. *Quo mihi rectius videtur ingenii quam viriam opibus gloriam quaerere;* at Plautum silentio praeterire nequeo, qui certe longe illo antiquior, clarissime *opes*, posuit pro auxilio, vel rebus ipsis, quibus id, quod desideratur, effici possit. Quid apertius his verbis in Rud. 44. 101. *Huc opes spesque parentum cognoscendorum condidi.* Intelligit crepundia in cistella condita, in quibus spem et subsidium parentum inueniendorum repositam se habere testatur. Hinc saepe et alibi *spes et opes* coniuncta videas. Amphit. 5. 1. 1. *spes et opes vitae meae*, hoc est, subsidia. Ter. Adelph. 3. 2. *Nostrumne Aeschinum, nostram vitam omnium, in quo nostrae spes, omnesque opes sitae erant.* Phorm. 3. 1. *Cuius nunc miserae spes opesque sunt in te vno sitae:* vbi Donatus: *spes opesque: Haec quidem de his sunt, quae amant iangi.* Plautus iterum Casina 3. 5. vbi mulier attonitam et exanimatam se fingens. *Membra miserae tremunt; Nescio vnde auxilii, praesidii, persugii mihi aut opum copiam comparem aut expetam.* Quid? nonne et hoc et ceteris etiam in locis *opum* manifeste idem quod *opis*?

Ab ope ergo primario notante *περὸς τὸν ὀπίμω* *opimus* et *opima* spolia secundum Varronem, cui et Festus seu Verrius Flaccus accedit, exponens *magnifica et ampla.* Certe *Opimus* opulentum, luculentum, amplum in suo quidque genere significauit. Sic

Opimae

Opimae diuitiae Plaut. Cap. 2. 2. 31. *Opimae hostiae* sunt pingues Festo. *Opima arua* sunt fertilia Virg. Aen. II. *Opima praeda* est luculenta, Phaedr. fab. 37. intelligitur enim pinguis testudo, quam aquila sibi in escam rapuerat. Sic ergo *opima spolia* proprie sunt locupletia, opulenta, pretiosa, ampla, magnifica. Verum quia in spoliis praecipue spectabatur apud Romanos gloria, laus et honor, hisque in rebus nulla alia censebantur paria iis, quae Duci hostium detracta, Ioui Feretrio ex instituto Romuli consecrabantur, hinc factum, ut isthaec ἐπυννωμένα de istis spoliis proprie usurpari coeperit. Plutarch. Marcello τὰ δὲ σπῦλα σπόλια μὲν κοινῶς, ἰδίως δὲ ὀπίμα ταῦτα καλεῖσιν. Et hinc etiam absolute *Opima* vocantur. Plin. Paneg. *Nec tibi opima defuerint, si quis Regum venire in manus audeat.* Sen. Herc. Fur. v. 47. *Effregit ecce limen inferni Iouis, et opima victi Regis ad superos refert.*

Ceterum et Dei, cui sacrabantur haec spolia, *Feretrii* scil. Iouis, peruersam eodem in loco etymologiam attulit Chaeronensis scriptor, dum a *feriendo* deduxit. τὸ γὰρ πλήζαι, inquit in Romulo, φερίγει Ῥωμαῖοι καλεῖσι. Hanc itaque praefert ex duabus vel tribus, quas in Marc. memorat, ubi *Feretrium* ex nonnullorum sententia appellatum ait ἀπὸ τῆς φερετρευομένης τροπαίς, a tropaeo in pompa ad templum eius Dei translato, ex aliorum vero, cognomen esse Διὸς κεραυνοβολῆτος, Iouis, qui fulmine feriat, quia τύπτειν *ferire* Romani dicant, vel denique petitum ab alia eiusdem vocabuli significatione in bellis usurpata, ubi hostem persequentes ingeminare soleant, *Feri, κτέσειν ποῖα.* Et hoc quidem modo etiam Propert. IV. 11.

— — *Causa Feretri.*

Omne quod certo Dux ferit ense Ducem.

Sed

Sed addit,

*Seu quia victa suis humeris haec arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.*

Quae conuenit cum illa, quam primam in Marcello posuit Plutarchus. Similiter Dionys. Halicarn. II. 5. interpretatur vel τροπαιῖχον, seu σκυλοφόρον, hoc est, qui tropaea et spolia ferat, vel ὑπερφέρτην, quod omnibus excellat. Certum nobis est, a ferendo, vel propius a feretro Iouem id cognominis accepisse, quia ei ferebatur, ac in eius templo deponeretur illud spoliolum feretrum, seu ferculum, ut ait Liuius, eandem designans etymologiam, I. 10. *Spolia ducis suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens in Capitolium ascendit, ibique cum deposuisset ad quercum, simul designauit templo Iouis fines, cognomenque addidit Deo: Iupiter Feretri, inquit, haec tibi victor Romulus Rex Regia arma FERRO etc.* Emendandus, ex his Minucii Felicis insignis locus de Ioue: *Cum Hammon dicitur, habet cornua, et cum Capitolinus, gerit fulmina, et cum Latiaris, cruore perfunditur, et cum Feretrius, non auditur.* Priora plana et facilia, at in postremis aliquid vitii latere, omnes agnoscunt. Quid ergo? arripiunt Wowerii coniecturam, legentis *non aditur*, quia scilicet tria tantum eius generis spolia ad Feretrium delata sint, et post Marcellum nulla amplius, vel, ut Rigaltius, quia per Numae legem secunda et tertia spolia opima ad Martem et Quirinum fuerint lata, et ita Feretrius despectus, nec amplius aditus. At sciendum, plerosque veterum nullam habuisse rationem legis Numae, et quando de opimis agunt, solius Feretrii meminisse, ea gratia sic cognominati. Et ita historici omnes. Ut taceam sententiam legis Pompiliae fuisse, non

vt

vt deinceps ara Feretrii Iouis istis spoliis non amplius celebretur, sed vt semper primi generis opima spolia eo deferantur, secundi vero ad Martem, vt tertii ad Quirinum, sicut inferius videbimus. Quid plura? sentit Minucius cum antiquis Historicis, nec tam voluit dicere, quid non fiat, quam quid fiat. Legendum itaque videtur, *cum Feretrius, pompa aditur*. Magna enim cum pompa haec spolia ad eum deferebantur, vt ex Liuiio constat. Et sic absolute illa voce vtitur Obseq. c. 130. *Puer in Pompa, Victoriae cultu cum ferretur, ferculo decidit*: Id quod Dio lib. XLVII. sed paulo aliter referens, accidisse tamen dicit *ἐν πομπῇ τινὶ οὐκ αἰσπρατῶτα ἄγασιν*. Ita in triumpho Pontico Sueton. in Caes. cap. 37. *inter pompae fercula praelatum ait titulum trium verborum*.

Trina tantum huic Deo eiusmodi spolia feruntur allata, prima a Romulo de Acrone Caeninensium Rege, secunda ab A. Cornelio Cossio de Larte Tolumnio Veientium, tertia a M. Claudio Marcello de Viridomaro Gallorum. Post hos nemo alius tam honora et magnifica ex hoste retulit spolia, quo maior est illorum gloria. Nam quod Florus de Aemiliano Scipione II. 17. 11. *de quibus* (Vaccaeis, Hispaniae populo) *Scipio ille posterior, quum Rex fuisset prouocatus, opima retulerat*, vel parum fideliter scripsit, quum diserte ceteri, Propertius, Valerius Max. Plutarchus, Festus, aliique tantum ab illis tribus haec spolia relata, immo Valerius Max. Scipionem spolia Ioui Feretrio non potuisse consecranda referre, quia sub alienis auspiciis rem gesserat, adfirmant; vel declamatoria *ἀυξήσεαι* laxius et benignius Scipionis gloriam victoriamque interpretari voluit, atque amplissima et opimis pene paria, quippe de Regulo, vel certe

R

illustri

illustri inter hostes viro, spolia ab eo relata significare. Quomodo et apud Liu. XXIII. 46. Campanus Taurea Claudium, Afellum, Romanum prouocans ait, *cur non ferro decerneret, daretque opima spolia victus, aut victor caperet?* Atqui non eiusmodi neque haec futura erant, quae *idius opima* a Romanis vocabantur, et Ioui Feretrio dicari solebant, cum neuter fuerit Dux sui exercitus. Sed tamen quia vterque nobilis erat eques, et Taurea quidem longe omnium Campanorum fortissimus, ita vt etiam inter Romanos *vnus* eum Cl. Afellus gloria equestri aequaret, hinc *opima* vocat Liuius ea spolia, quae alter alteri erat detracturus, non tamen ex sua, sed ex iactabundi Taureae persona, et non illo angustiore, sed laxiore sensu. Spolia vere magnifica, luculenta, et gloriosa victori intelligit.

Ceterum ex trinis illis, nulla in primis Romuli tertiusue Marcelli, sed maxima in secundis Cossi occurrit historica difficultas, ab Augusto Caesare, et T. Liuius primum nobis iniecta. Neque tamen in controuersiam vocatur, an vere Cossus spolia opima retulerit, sed quo anno, et quo in honore, vtrum Tribunus mil. an Consul, an Magister Equitum. Res digna sane inquisitione diligentissima, quoniam, si qua eius controuersiae decernendae ratio superfit, atque ea in medium proferatur, ita fiet, non modo vt isthaec haesitatio ex historia Romana tollatur, seu confirmata, seu conuulsa penitus omnis Antiquitatis auctoritate, sed et cuius spolia isthaec dicandi apud Romanos fuerit, cognoscatur et illustretur clarissime. Constat inter omnes, Cossus ea spolia de Larte Tolumnio Veientium Rege, quocunque tandem anno, cepisse. Et Liuius res a Romanis gestas eo vsque exsecutus,
belli

belli cum Larte et Veientibus gesti occasionem, initium et euentum confert in annos 316. et 317. ex ipsius Chronologia, eaque hunc fere in modum memoriae mandauit. Cum priore anno Fidenates colonia Romanorum ad Veientes eorumque Regem Tolumnium defecissent, et grauissimum defectioni addidissent scelus, interfectis tribus Romanorum legatis causam noui consilii quaerentibus, posteriore anno Coss. M. Geganio Macerino, et L. Sergio Fidenate, Sergius cum hostibus secundo quidem proelio, sed non incruento conflixit. Ergo ex amissorum ciuium dolore Senatus tanquam in rebus trepidis ad Dictatorem dicendum confugit. Dicitur est Mam. Aemilius, qui Magistrum Equitum L. Quinctium Cincinnatum assumpsit, et ad bellum continuo profectus est, sequi se iussis Quinctio Capitolino et Fabio Vibulano Legatis. Ad quem apparatus, quum hostes trans Anienem recessissent, commissum est ingenti vi proelium pro moenibus Fidenatum. In eo proelio cum inter Equites A. Cornelius Cossus Tribunus mil. videret volitantem tota acie Tolumnium, et quocumque se is intendisset, trepidantes Romanas turmas, subditis equo calcaribus, infesta eum cuspide petiit, ictum equo deiecit, saepiusque telo repetitum terrae affixit et occidit, et denique ex sanguine spolia detraxit. Tum caesis, fugatisque hostibus Dictator in Urbem triumphans rediit, sed longe maximum triumphis spectaculum fuit Cossus, spolia opima Regis interfecti gerens, auertitque a curru Dictatoris in se ciuium ora, et celebritatis eius diei fructum prope solus tulit.

Haec breuiter a me Liuii pene verbis relata, ille vberius sine vlla sententiarum variatione quum exposuisset IV. 20. subiungit tandem, *OMNES*

ante me Auctores secutus A. Corn. Cossus Tribunum mil. secunda spolia opima Iouis Feretrii templo intulisse exposui. Si Omnes ante te, T. Liui, si omnes sine exceptione a tua aetate vsque ad antiquissimos et primos scriptores in eo sibi constant, non temere sane fides Annalium erat sollicitanda, nec nisi certissimus et clarissimus appareret tum error, tum erroris causa ac origo. Ea enim nisi aperte demonstrari queant, haud facile in rebus olim factis, nihil τῶν ἀδυνάτων, nihil etiam absurdi, atque a verisimilitudine alieni continentibus, si vno loquantur ore Antiqui, eos falsi arguere et conuictos dare posteriores possunt.

Sed tamen argumentis prima specie non contemnendis, eos oppugnat Titus noster; *ceterum (pergit) praeterquam quod ea rite opima spolia habentur, quae dux duci detraxit, nec ducem nouimus, nisi cuius auspicio bellum geritur, titulus ipse spoliis inscriptus illos meque arguit Consulem, ea Cossus cepisse.* Sentit non haberi rite opima spolia, nisi detracta sint non modo Duci hostium, sed et ab ipso Duce Romani exercitus, et summo quidem Duce, cuius auspicio bellum geritur; vnde sequitur, male ea dici a Cossio capta, quum Tribunus fuit militum, sub Dictatore Aemilio, cuius, non Tribuni mil. auspicio res gerebatur: et sane in eadem est sententia Valerius Maximus, Plutarchus, Dio, Festus, Seruius, atque ex nostri temporis hominibus plerique omnes nisi quod tamen ab iis recessit Vir perquam eruditus Ianus Rutgersius Var. Lect. IV. 7. Verum tamen sicuti pluris est oculus testis vnus quam auriti decem, sic in rebus et institutis vetustate sua obscuris et abstrusis longe potior semper est et esse debet auctoritas antiquissimi cuiusque scriptoris, quam posteriorum, et si

hi numero plures sint. Proinde summo iure modo laudatis testimonium M. Varronis, non aetate solum sed et summa eruditione ac in istiusmodi rebus indagandis diligentia multum ceteris praefereendi obducit doctiss. Rurgerius. Diserte autem ille adfirmavit, vt ex Festo scimus, *opima spolia etiam esse, si manipularis miles detraxerit, dummodo Duci hostium.* Quid? hoc Togatorum doctissimum, vt a Tullio vocari meruit, eum qui vnus omnium maxime antiquitates P. R. exploratas habuit, ita sine vlla dubitatione memoriae inter ciues suos prodere ausum credibile, nisi certa eius sententiae reperisset apud antiquos fundamenta?

At vero obiiciunt vel maxime Numae legem, quae eum in hoc negotio nominet, *cuius auspicio classe procincta spolia opima capiuntur.* Opponit ei Rurgerius illam a T. Liuiio lib. 1. relata, quam ipse Romulus, auctor pugnae, recentibus spoliis legem dixerit, *in qua posteros nulla imperii mentione, ea figere ac suspendere iubeat,* eam vero potissimum secutos postea Romanos, at illam Sacrificuli Regis de re bellica latam spreuisse; in quibus tamen ego quidem assensum ei accommodare haud potui. Etenim Liuius loquitur quidem ex persona Romuli, sed, vt solent scriptores in sermonibus, quos aliis tribuunt, ex sua sententia, quam in re controuersa praeferunt; nec ipsa antiquae alicuius legis verba calcam vetustatem prae se ferentia adfert, sed sua, quae maxime Romulo istic loci et temporis accommodata putauit. Quod si Liuius isto sensu, quo vir Clariss. voluit, et ipse ea exposuisset, et intelligi a nobis voluisset, haud dubie postea non ita clare et confidenter spolia opima haberi non alia, nisi quae dux, cuius auspicio, bellum geritur, duci detraxerit, adfirmasset,

fet, aut ita cum sentiebat, secundum eandem quoque sententiam, etiam illa verba, quae Romulo adscribit, efferre debuit. Et fecit id haud dubie, si consideremus ipsam illam Romuli orationem *Iuppiter Feretri, haec tibi victor Romulus REX REGIA arma fero, templumque iis regionibus dedico, sedem optimis spoliis, quae Regibus Ducibusque hostium caesis me auctorem sequentes posteris ferent.* Aperte, ni fallor, sententiae Liuianae et vulgari consentanea haec sunt, quibus Romulus inducitur iactans se *victorem Regem Regia arma*, hoc est, quae dux ipse duci hostium detraxerit, Feretrio Ioui ferre, et figere templo, quo deinde similia spolia se auctorem sequentes *posteris* ferrent. Hic vero per *posteris*, vt posteriora prioribus, et ipsi Liuius congruant, non alii sunt intelligendi, quam qui ex omni posteritate ad regiam vel imperatoriam in re militari dignitatem essent prouecti, posteris eiusdem, quo ipse, ordinis et fastigii, successores eius in summo imperio. Sic Plinius Panegy. c. 74. agens de Traiani humanitate, et morum clementia erga Senatum, et huius vicissim laudationibus et acclamationibus ad Traianum in curia factis: *Onerasti futuros Principes sed et posteros nostros. Nam et hi a Principibus suis exigent, vt eadem audire mereantur, et illi, quod non audiant indignabuntur.* Vbi Lipsius breuiter, sed verissime *posteris nostros* interpretatur non alios, quam *Senatores qui post nos erunt.* Vides Lector nihil praesidii in his Liuii verbis pro nostra contra vulgarem sententiam ab eo ipso apertissime l. IV. adoptatam, et assertam inesse.

Verum nihil magis ego contra nostram quod faciat, in Numae Lege quicquam reperio, immo manifeste, vt ego quidem arbitror, ea ipsa ostendit

dit spolia opima cepisse etiam illos, qui aliorum auspicio militabant. Et enim quod de et ex ea ad hanc disputationem adferre possumus, debemus Festo voce *opima*. Is autem ex ipso eam Varro adfert, quem eodem loco etiam a manipulari milite capi posse spolia opima asseuerare dicit, et ita vt hinc cetera pendeant, et nulla inter se pugnantia contineant. Nam si ipsa Numae lex contrarium traderet, vt volunt eruditi, nonne Festus relata Varronis sententia, et subiuncta hac lege, istam Varronis sententiam ea lege, quam apud ipsum reperisset, liquido et clare refutari vel verbo annotasset. Certe debuisset. Omnia autem haec ex Varro allata probant infinitae locutiones, quibus hic utitur Festus, et quae non alio referri possunt, nisi ad proxime praecedentia *M. Varro ait, opima spolia etiam esse, si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium, quibus, paucis interiectis et per idem esse connexis subdit: Esse et Pompilii Regis legem opimorum spoliiorum talem, cuius auspicio, etc.* Porro autem Varro ipse, quum, quamuis minime ignorauerit istam legem, tamen a vulgari sententia recessit, vel illam neglexisse debuit, vt quam ex antiquitate cognouisset a maioribus P. R. minime fuisse seruata, sed statim abolitam, cuius proinde, si maxime aduersaretur, nec a nobis hac in controuersia vlla ratio haberi debeat; vel potius nulla ex parte vulgarem sententiam ab ea propugnari censuit, immo contra explodi et refelli, id quod satis etiam ex eius vestigijs liquet, quae non sine maxima corruptione ac mutilatione inter Festi reliquias ad nos transmissa sunt.

Nos ea hic exhibebimus primum vt ex vnicis Pomponii Laeti schedis eduntur, tum a doctiss.

interpretibus emendantur, quo apud Lectorem nostra nobis constet Fides. *Cuius auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Ioui Feretrio darier oporteat, et bouem caedito; qui cepit, aeris CC. secunda spolia in Martis aram in campo, solitaurilia, vtra voluerit caedito. Tertia spolia Iano Quirino agnum marem caedito. Centum, qui cepit, ex aere dato; cuius auspicio capta, Diis piaculum dato.* Vitiosa haec et hylca, ac saepe sensu omni defecta esse clamat res ipsa, et profitentur eruditi, ideoque Scaliger, quod de primis spoliis dicitur, traiectione verborum maximam partem emendare aggreditur. *Cuius ausp. cl. proc. op. sp. cap. Ioui Feretrio bouem caedito, quei cepit, aeris ducenta darier oporteto.* Sequitur eum Vrsinus, nisi quod ex Plutarchi Marcello aeris CCC rectius legit, ex quo etiam cetera a Scaligero, vt erant, relicta curare tentat. *Secunda spolia in Martis asam (antique pro aram) in campo suouetaurilia, vltra vollet caedito. Quei cepet, aeris CC. darier oporteto. Tertia spolia Iano Quirino agnum marem caedito, Quei cepit, aeris centum darier oporteto. Quoius (pro cuius) auspicio capta, Dis piaculum dato.* Hic si non genuinis per omnia verbis (nam id adfirmare temerarium esset, nec solidam satis causam video, cur Vrsinus pro eo, quod praeferunt schedae, centum qui cepit ex aere scil. Nummos, quod excidisse potuit, vnica forte littera scriptum, dato, malit: *Quei cepit, aeris C. darier oporteto* integram certe habemus legis sententiam. Quid autem clarius, quam in ea distingui, et tanquam diuersos memorari: Eum qui cepit spolia opima, et Eum cuius auspicio classe procincta capiuntur, hoc est, cuius auspicio exercitu instructo res geritur, cum spolia capiuntur a quocunque alio, qui sub

sub eius auspiciis militat. Ei porro summum ducem, cuius auspicio capta sunt, aliquot centenos nummos pro varia spoliolorum dignitate haud dubie ex manubiis vel ex aerario publice dare iussit Numa. Praeterea ex triplici opimorum ordine, ac praemio satis apparet, non omnia vnus fuisse generis, aut ea sola, quae summus Romanorum Dux hostium Duci detraxerit, quae ego primi generis esse censerem, nisi Cossus tribunum militum sua quoque spolia Ioui Feretrio dicasse apud Liuium et alios legerem.

Grauiissime autem errant, quum ex antiquis Clarissimus vatum Virgilius Maro, tum ex nostris Viri & *ῥυχόντες* non pauci, qui hanc legem accepisse videntur, non de tribus diuersis generibus spoliolorum, sed tribus illis speciatim spoliis a Romulo, Cossu, et Marcello captis. Certe Sigonius et praecipue Onufrius in fastis, quum de Cossu agunt, ex Pompeio et Seruio se animaduertisse scribunt, secunda spolia ex Numae lege Marti, non Ioui fuisse dicata, et Schottus ad Victorem, qui et ipse cum ceteris scriptoribus Cossus spolia sua *Ioui Feretrio* consecrasse tradit, notat, *Marti dixisse oportuit. Nam lex Numae erat* etc. Virgilius autem lib. VI. Aen. extr. de Marcello ait: *Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino*, vbi Seruius: *Melius esse secundum legem Numae hunc locum accipere, qui praeceperit prima opima spolia Ioui Feretrio debere suspendi, quod iam Romulus fecerat: secunda Marti, quod Cossus fecit; Tertia Quirino, quod fecit Marcellus.* Verum isthaec sententia duplici laborat vitio, primo insigni *ἀνισογονίας*, quandoquidem Cossus et Marcellus sua spolia aequae ac Romulus Ioui Feretrio consecrarunt, vt constanter tradunt Historici; deinde peruersa inter-

pretatione Legis Numae, quae, ut dixi, de diuersis spoliatorum generibus agit, ideoque eis diuersos etiam assignat Deos, quibus consecrari debeant, et diuersos tribuit honores; Ut taceam nimis ridiculum futurum fuisse Numam, si per prima spolia intellexisset ea, quae Romulus ceperat, eique quamuis iam mortuo, tamen eius facti praemium aere graui repraesentari voluisset, et quid ab illo etiam praestari deberet, literis consignasset: sed et ipsa Legis verba satis superque declarant, de futuro eam loqui. Videntur id perspexisse etiam illi commentatores Virgiliani, quos *varie de hoc loco tractare* ait Seruius, et *Numae legis immemores* perperam, me iudice, censet. Nam quia illi nimis erant memores legis istius et Virgilianum illum versum eius legis sententiae et Historiae Marcelli minus congruere videbant, ne videretur Poeta errasse, aut ipsi eius errorem agnoscere, violentissimam illam excogitasse videntur interpretationem, quam primo quidem loco refert, sed deinde reiicit. Volebant nempe sensum esse verborum, Marcellum suspendisse *patri, hoc est, Ioui Feretrio, tertia arma capta Quirino, hoc est, qualia et Quirinus, id est, Romulus, iam ante ceperat*. Verum ea quidem vis est, quae perperam interpretando fit apertissimis verbis, sed quae tamen non alia de causa ab iis facta videtur, quam quod liquido satis cernebant, legem Numae, ad quam respexit haud dubie Virgilius, aliter accipiendam, quam ille fecisset, et in Notis facit Seruius.

Clarissime vero ipse Plutarchus in Marcello de tribus spoliatorum generibus legem interpretatur; eamque etiam vulgari sententiae, quod vnus tantum sint generis opima, atque ea sola, quae Dux ipse

ipse Duci detraxerit, contrariam statuit. Locus dignus est, qui hic exhibeatur: τὰ δὲ σκῦλα σπόλια μὲν κοινῶς, ἰδίως δὲ ὀπίμια ταῦτα καλεῖται, καίτοι Φασίεν ἐν τοῖς ἑπομνήμασιν Νομῶν Πομπήλιον, καὶ πρώτων ὀπιμίων καὶ δευτέρων καὶ τρίτων μνημονεύειν, τὰ μὲν πρώτα λεγόμενα τῷ Φερετρῷ Διὶ κειεύοντα καλεῖσθαι, τὰ δεύτερα δὲ τῷ Ἄρσι, τὰ δὲ τρίτα τῷ Κυρίῳ καὶ λαμβάνειν γέρας ἁσάσια Τ. τὸν πρῶτον, τὸν δὲ δεύτερον Π. τὸν δὲ τρίτον Ρ. ὁ μὲντοι πολὺς ἄτος ἐπικρατῆ λόγος ὡς ἐκείνων μόνον τιμίων ὄντων, ὅσα καὶ παρατάξεως ἕσης, καὶ πρώτα, καὶ στρατηγῆ στρατηγῶν ἀνελόντος. *Ea vero scypha Romani communi generis vocabulo spolia vocant, at proprio speciei, opima, quanquam dicunt Numam in commentariis suis etiam prima, secunda, et tertia; hoc est, primi, secundi et tertii generis seu ordinis opima spolia memorare. Manifestum est ita ab eo Numae legem intellectam, tanquam quae velit etiam ipsorum opimorum tres diuersas esse species, atque idcirco illam veluti quodammodo aduersantem continuo subiungit ei quod dixerat, proprie et peculiariter vocari opima, quasi ea omnia essent vnusmodi et arctissimo spatio vnus speciei comprehenderentur, cum tamen et ipsa ex sententia quidem Numae specialius adhuc distingui, et diuersimode ac singula magis ἰδίως appellari possint. Iam vero tres illas species porro exsequitur Numam iussisse scribens, prima spolia si caperentur Ioui Feretrio consecrare, secunda Marti, tertia Quirino, et primum, seu eum qui prima ceperit, praemium ferre trecentorum assium, secundum ducentorum (nam haud dubie in Graeco pro Π hoc est LXXX. reponendum Σ. hoc est, CC.) tertium centum. His iam vulgarem iterum sententiam connectit, sed per aduersatiam particulam et tanquam a Numae lege discrepantem, quaeque opimorum conditionem*

ditionem tot requisitis implicet atque illiget, vt non nisi vnus generis et speciei esse queant. *Veruntamen*, inquit, *vulgo is maxime obtinet sermo seu opinio vulgatissima haec est, tanquam si ea sola sint opima spolia, quae capiuntur primum acie instructa, seu classe praecineta, vt etiam in Numae lege apud Festum scribitur, tum omnium prima, denique ab ipso exercitus Duce hostium ducem interficiente.* In postremis vel ex superioribus ἀπὸ τοῦ κοινῆ repetendum est ληφθέντα, vel eius significationis vocabulum aliquod excidit. Porro autem pro τειμένων legere malim ὀπείμων. Nam semper Plutarchus ὀπείμων, Graecorum more, qui Latinis vocabulis et maxime nominibus propriis terminationem τοῦ I V S vel I O S frequenter tribuunt ea spolia tam in Romuli quam in Marcello vocitat.

Vehementer ergo inpingunt, qui Numae hanc legem de illis tribus eiusdem generis a Romulo, Cossio, et Marcello captis spoliis interpretantur; Sed longe vehementius illi, qui ea vulgarem sententiam tueri conantur, cui maxime aduersa est, et a Plutarcho diserte opponitur; Vnde et Varro contrariam et haud dubie veriolem ex ea ipsa potissimum lege hausisse videtur. Sed neque sic nos dimittunt αἱ ἐξ ἐναντίας. Nam et exemplis nobilissimorum hominum, qui hostium quidem duces interemerint, et tamen spolia opima non retulerint, quia sub alienis auspiciis rem gesserant, causam suam contra nos instruunt, atque ita clarissime a se probatum censent a Romanis semper fuisse obseruatum, ne alia haberentur opima spolia, nisi quae ipse Dux exercitus cepisset. Sed bona verba, dum singula considerauerimus. Valer. Max. III. 2. 6. *Eodem virtutis et pugnae genere, (quo scil. Romulus, Cossius, et Marcellus) visi sunt T. Manlius Torqua-*

*Torquatus et Valerius Corvinus, et Aemilianus Scipio. Hi nempe ultro prouocantes hostium Duces interemerunt, sed quia sub alienis auspiciis rem gesserant, spolia Ioui Feretrio non posuerunt consecranda. Ego vero exiguam prorsus huiusmodi in rebus apud me esse auctoritatem huius scriptoris profiteri non verear, quippe quem in rebus antiquis, priscis moribus, ritibus, institutis, praesertim quorum tam longo tempore nullus omnino fuerat usus, immo in ipsis Historiis, quas ex professo utique recenset, exponendis, non dicam magna cum indiligentia, sed summa saepe cum oscitantia versatum et scio, et passim in meis ad illum obseruationibus doceo. Sed et hac ipsa in re singularem eius vel leuitatem et incogitantiam vel ignorantiam verbo castigat Clariss. Rutgerius. Paucis enim versibus ante Cossium ait *Magistrum equitum* Duce Fidenatium interemto spolia opima Ioui Feretrio consecrasset. Quo non modo in fidem rei gestae incurrit, quum non Magister equitum, sed vel Consul, ut vult Liuius ex auctoritate Augusti, vel Tribunus militum, ut omnes vno consensu scriptores ante Liuium et Valerium nostrum, spolia illa de Duce non proprie Fidenatium, sed Veientium ceperit, sed et praeterea in suam ipsius sententiam; Nam siquidem, ut vult, ea solum de causa, quod alienis auspiciis rem gesserant, opima ex Duce hostium caeso non potuerint Ioui consecrare modo laudati iuuenes, meminisse debuerat, ita neque Magistro equitum id tribui potuisse, quandoquidem et is non fuis, sed semper alienis, hoc est, Dictatoris sui, pugnat auspiciis. Qua etiam de causa nulli vnquam reperiuntur Magistri equitum vel soli vel cum Dictatoribus triumphasse, quamuis Consul et Praetor ex eodem proelio in*

Fastis

Fastis Triumphalibus triumphum egisse legantur; Quoniam vterque ille Magistratus suis auspiciis ad bellum gerendum proficiscebatur: Magister vero Equitum Dictatoris auspiciis et imperio suberat. Apud Liuium tamen lib. VIII. cap. 31. Q. Fabius Magister Equitum, quum absente Dictatore, contra eius praeceptum cum hostibus pugnasset, atque ideo, quamuis ille felicissime rem gessisset, infensus Dictator pro sui imperii Maiestate supplicium ei grauissimum minitaretur atque intentaret, rogat milites *vt qua virtute Remp. ab infestissimis hostibus defendissent, eadem se, cuius ductu auspicioque vicissent, ab impotenti crudelitate Dictatoris tuerentur.* Et mox cap. 33. pater eius apud populum, ad quem a Dictatore erat prouocatum, intercedens. *Quo id animo exercitum, qui eius ductu auspiciisque vicisset, laturum? quem luctum in castris Romanis, quam laetitiam in hostium castris fore?* Verum in eiusmodi orationibus minus accurate loqui scriptores, et plerumque dignitatem illustrium virorum amplioribus et honestioribus vocabulis plus iusto extollere atque augere, nemo est, qui ignoret. Sed tamen et extra orationes Liuius communi et vsitato *ductum auspiciumque* coniungendi more, quae et rectissime vt plurimum coniunguntur, quandoquidem plerumque Imperatoris, cuius auspiciis, eius etiam ductu bella olim administrabantur, illo inquam more abreptus vtrumque eis tribuit, qui suo quidem ductu et Proconsulari imperio rem publicam P. R. gerebant: sed tamen auspicia minime habebant. Sic certe lib. XXVIII. c. 38. *Haec in Hispania P. Scipionis ductu auspicioque gesta.* Atqui P. is Scipio priuatus nullo dum gesto magistratu, Proconsulari imperio extra ordinem dato, in prouinciam Hispaniam aduersus Poenos erat missus.

missus. Vnde quamuis res amplissimas in illa prouincia gessisset, multas gentes in ditionem P. R. redegisset, neminem Carthaginensem in Hispania reliquisset, tamen magis tentata est ab eo triumphi spes, quam petita pertinaciter, vt ipse Liuius ibidem ait, *quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat.* Nempe ii qui sine magistratu res gessissent, immo omnes Procons. et Proprætores qui tunc priuati extra ordinem, non in, vel statim ex magistratu suo, accepto ordinario imperio, in prouincias mittuntur, *auspicia*, vt diserte de iis Cicero de Diuin. II. 36. *non habent, itaque nec omnes transeunt auspiciato, nec tripudio auspicantur.* Verum quia, vt ibidem ait Cicero, bella iam tunc multis annis ab eiusmodi Procons. et Proprætoribus summo cum imperio administrabantur, ita vt etiam ex iis triumphare possent, nihil magnopere mirandum est, si scriptores animum non satis semper et vbique adtendentes, et libentius augentes illustrium hominum gloriam quam deminuentes, non solum *ductum* illis sed et *auspicium* aliquando tribuisse reperiantur, quamuis hoc quidem omisisse, si proprie et congruenter rei veritati, ac Pop. R. prisca instituta veilent loqui, debuissent. Id quod monuisse oportuit, ne quis allatis istiusmodi locutionibus eadem benignitate a nobis accipiendis et interpretandis, qua superius *opima* a Floro et Liuiio, quae reuera opima non erant, vocari tulimus, et excusauimus, Valerium defendere aggredereetur Magistrum Equitum spoliis opimis ornantem, quamuis ea a nemine, qui alienis auspiciis rem gerat, capi potuisse adfirmet.

Caeterum ab eadem peruersa sane (quippe vix vlla alia re Historiarum fides magis labefactatur ac vitiatur)

vitiatur) in Historicis libidine, Valerio imprimis
 solenni, res gestas insignium suae gentis virorum
 semper amplificandi, et in maius extollendi, pro-
 fectum non dubito etiam hoc, quod ille a Tor-
 quato, Coruino, et Scipione interemtos scribit
hostium duces. In hac enim controuerfia *ducem*
 cum dicimus, tam hostium, quam Romanorum,
 non alium intelligimus, nec nouimus, vt diserte
 Liuius, *nisi cuius auspicio bellum geritur*, hoc est,
 summum *αυτοκράτορα στρατηγόν*. Tales autem fuisse,
 quos Torquatus et Coruinus pugnantes occiderunt,
 nemo omnium Veterum, qui magno numero sin-
 gularia istorum certamina memoriae mandauerunt,
 tradit, quum tamen id, si fuisset, minime prae-
 termisuri, sed diligenter potius inculcaturi fuisse
 videantur, vt in quo maxima vtique facinoris re-
 ponenda erat laus et gloria. Eum qui cum Tor-
 quato congressus est Cic. lib. 3. de Offic. et 2.
 de Finibus simpliciter *Gallum, quem ab eo prouoca-
 tus occiderit Manlius*; Florus I. 13. *barbarum*.
 Eutrop. l. 2. dicit *prouocantem Gallum ad singulare cer-
 tamen*. Victor, *Prouocatore Gallum*. Liuius VII. 9.
eximia corporis magnitudine Gallum. XXIV. 8. *Gal-
 lum prouocantem* Claudius Quadrigarius Scriptor
 antiquissimus apud Gellium IX. 13. *Gallum quen-
 dam, qui et viribus, et magnitudine, et adolescen-
 tia, simulque virtute ceteris antistabat*. Non ait,
 dignitate et fastigio Regis vel Imperatoris. Simi-
 liter Coruini aduersarium Liuius VII. 26. *Gallum
 magnitudine atque armis insignem* XXIV. 8. *prouo-
 cantem Gallum*. Amm. Marcell. l. 24. *confidentissi-
 mum Gallum*. Victor *ingentem Gallum*. Eutrop. l. 2.
Quendam ex Gallis. Immo ipse Valerius similiter
 et eodem vocabulo, quod teste Donato ad Terent.
 Eun. 5. 5. *ἰξάνεισμον καὶ εὐτέλειαν ἀνδρός* significat,
certe

certe in summum hostium Imperatorem minime conuenit, *quendam Gallum* vocat 8. 15. 5. Gellius tamen (fatebor enim) e nescio quibus libris *Annalibus Ducem Gallorum vasta et ardua proceritate*, mox *Gallum tam immaniter arrogantem*, denique *Ducem hostium ferocissimum*. Noct. Att. IX. 11. Sed quum ingentes Gallorum copias fuisse memoret, et singuli Gallorum populi suos habuerint ductores ac Regulos, non putem eum intellexisse vnicum et summum totius gentis in illa expeditione Ducem, seu, vt magis proprie dicitur, *Imperatorem*, qui plures numero, praesertim in eo exercitu, qui e variis vnus nationis ciuitatibus conflatus est, duces infra suum fastigium positos saepe habet, eorumque ductu vbi, et quo vult vtitur. Certe Cicero, quum M. Atilium Regulum *Duce Xantippo, imperatore Hamilcare* captum dicit de Offic. III. 27. eodem sensu haec vocabula distinxit, quo *Ductus*, et *auspicium* distinguenda sunt. Sic cum Latini coniunctis viribus bellum gererent contra Romanos, Geminius Metius Tusculanus equitibus praeerat, vt scribit Liuius, at Valerius eum *Ducem Tusculanorum* vocat II. 7. 6. deque eo ipso etiam, quod notandum, *gloriosam victoriam et speciosa*, non tamen *opima spolia retulisse*, huius Torquati filium prouocatum scribit. Nihil frequentius Curtio, quam amicos Alexandri Regis et summi Ducis, praefectos partibus copiarum appellari simpliciter *Duces*. Veluti V. 6. *Postero die conuocatos Duces copiarum docet*. Cap. 13. *Rex conuocatis Ducibus, maximum, inquit* etc. Et sic passim. Hinc *minores Duces apud Tacit.* Hist. IV. 85. quoniam varii generis erant: *Caninesates Batauosque minoribus Ducibus delegandos*. Quin immo proprie tandem *Duces* appellari coeperunt, qui

S

inferio-

inferiores et diuersi erant ab ipso summo duce vel etiam Legato. Manifestum id ex Lamprid. Alex. c. 52. *Tribunis aut Ducibus nisi milites anteire uoluit, iussitque ut ante Tribunum quatuor milites ambularent, ante Ducem sex, ante Legatum decem.* Duces hi erant singulis legionibus praefecti, qui antea Legati Praetorii, diuersi a Legato consulari.

Idem de Scipione Aemiliano dicimus, si incorruptus est Flori locus II. 1. ubi cum Rege in Hispania pugnasse dicitur, sed haud dubie eadem declamatoria ἀνζήσει, qua opima ibidem illi tribuuntur. Fuerit enim et ille Regulorum, quales in Hispania erant plurimi, quispiam, qui vastata et populata foede a Lucullo Hispania ad munitissimum Interctatae oppidum inter illa hominum amplius XX. millia confugerit, vel Regis alicuius Filius, (nam Regum liberi, ut constat, etiam Reges solent appellari) neququam summus et praecipuus Vaccaeorum gentis Rex. Certe Appianus in Ibericis, ubi omnium, qui ad nos peruenerunt, accuratissime et plenissime hanc historiam descripsit, simpliciter τὸν τῶν βαρβάρων, tanquam hominem vilem, certe non adeo illustrem, dicit. Et Velleius I. 12. ubi data occasione, quasi ex professo, pene omnia Aemiliani egregia facta non sine solita sibi in eiusmodi encomis exaggeratione recenset, tantum *immanis magnitudinis hostem* fuisse ait, Liu. Epit. 48. *prouocatore* barbarum; nemo cum Floro Regem appellat. Quo paene adducor, praesertim quum insuper fere omnium doctorum consensu aliquid vitii contraxerit locus, ut τὸ Rex una cum Freinshemio maxime suspectum habeam. Verba sunt de quibus (Vaccaeis) Scipio ille posterior singulari certamine, quum Rex fuisset prouocatus, opima retulerat. Variis haec tentant expositionibus et emendationibus

dationibus viri doctissimi, quas referre omnes nihil attinet. Freinshemius, quia Regis istius ceteri non meminerunt, *non omiffuri*, vt recte etiam ille putat, *si quod eius rei fuisset*, diuidit trium literarum vocem, legitque *cum R. Ex. i. e. Romanus exercitus fuisset prouocatus*, quod aperte Appianus tradat. At videtur mihi vir eximius nimium memoriae suae confusus, vel perfunctorie omnino Appianum inspexisse, quum illud scriberet. Neutiquam enim ille Romanorum exercitum ab hostibus prouocatum, sed contra, Romanorum ducem Lucillum hostium oppidum circumfedis, semperque suos in aciem eduxisse, atque hostes ad pugnam prouocasse, qui nunquam aciem contra instruxerint, sed velitationibus defungi maluerint, crebro autem quendam barbarorum equo vectum in medium interiecti campi processisse prouocantem vnum aliquem Romanorum ad singulare certamen. Graeca sunt; Καὶ συνεχῶς ἐξέτασσε (Lucillum intellige) προκαλούμενος ἐς μάχην. οἱ δ' ἄπω μὲν ἀντεξέτασσαν, ἀλλ' ἦσαν ἀκροβολισμοὶ μόνου. Θαρμινὰ δέ τις τῶν βαρβάρων ἐξίππευεν ἐς τὸ μεταίχμιον κερκοσμημένος ὄπλοις περιφανῶς, καὶ προκαλεῖτο ἑωμαίων ἐς μονομαχίαν τὸν ἐθέλοντα. Vides non exercitum Romanorum prouocatum ab Hispanis vel Hispano, sed vt a Gallo apud Liuium, *Quem Roma fortissimum virum habeat*. Quid ergo? Existimem, quum Flori concisa breuitas passim spurcissimis additamentis ex ineptorum hominum calamo ortis inquinata sit, (vide infra cap. vlt.) etiam hic τὸ *Rex* adiectum a sciolo, qui eo tibicine, quamuis nihil tale desiderantem sententiam fulciendam censuit, maxime quia sequebatur confestim de *Opimis*, quod genus spolia Romulum, Cossum, Marcellum de Regibus omnes retulisse non ignorabat, ideoque

et Scipionem necessario cum Rege congressum peruerse et temere existimasse videtur. Certe ea vox si absit, nihil profus difficultatis istic loci lectoribus amplius occurret.

Verum enim vero largiamur sane, quod tamen non facimus, certe non in omnibus, tres istos quos Manlius, Coruinus et Scipio, diuerso quisque tempore, singulari certamine victos interfecerunt, fuisse hostium summos Duces, Imperatores, Reges, si qui iam eo solo debitum, illis honorem dicandorum Ioui Feretrio spoliolorum opinantur, si modo et ipsi sui exercitus fuissent Imperatores, seu suis, non *alienis sub auspiciis rem gessissent*, idque adeo solum requiri omnino, liquido confici putant ex eo, quod illi quamuis interentis talibus *hostium Ducibus, spolia tamen Ioui Feretrio non potuerint, consecranda referre*, vt sane Valerius Maximus quantum ex eius verbis colligas, sentire videtur et apertissime cum atque ex eo hodie plerique sentiunt, hi palam declarant, non se nimis diligentem priscis maiorum suorum seu Romanorum institutis indagandis dedisse operam, et legem spoliolorum Feretrio Ioui sacrandorum, quae plura requirebat, non satis cognitam habere. Recurramus enim ad Plutarchi, qui ex veteribus luculentissime omnium de his spoliis egit, allata superius verba, et videbimus clarissime ex vulgari istorum temporum opinione habita esse rite opima spolia, eius certe generis, vt in templo Feretrii Iouis figi possent, h. e. primi generis ea sola, quae capta sint, non modo a Duce ipso (vt tum putabant, quodque vnum minus vere in hac sententia ex antiquitate referri ac repeti censeam) Ducem hostium interimente, στρατηγῆ στρατηγὸν ἀνελόντος; sed et quae capta sint simul καὶ παρατάξεως

ταξίως ἕσσης, καὶ πρῶτα, hoc est, tum in acie seu, ut apud Festum, *classe procincta*, tum prima omnium antequam alius quisquam aliud ex hoste spolium cepisset. Quae in tria illa a Romulo, Cossio, et Marcello capta spolia vere congruisse videntur, quandoquidem ii omnes vel in ipso proelii initio, vel si Val. Max. et Plutarcho de Romulo potissimum credere volumus, paulo ante, sed ordinato iam vtrunque ad pugnam, quam statim post conferuit, exercitu hostium Reges obtruncarunt. At Torquatus, Coruinus, et Scipio non in, vel ex acie, sed ex castris acerba hostis prouocatione irritati extra ordinem ad singulare certamen progressi sunt, atque ideo venia prius (vt disertè de prioribus Linius, quamuis paulo aliter Gellius) ab imperatoribus suis petita, quod minime fuisset opus, si non extra ordinem sed oblato vel prouocante cum hoste, in acie fuissent congressi. Harum ergo trium causarum vna quaeuis satis idonea fuit, ad negandum illis honorem portandorum Ioui Feretrio spoliiorum; vt adeo inscite faciant, qui etiam exemplis his e veteri sane historia allatis euincere conantur, non alia olim opima habita fuisse spolia, nisi quae ipse Romanorum dux reportaret, quoniam hi, quamuis caesis hostium Ducibus, ea tamen Ioui retulisse non legantur.

Nec minus irritò conatu his ex Dione adiiciunt Proconsulem Augustei aevi M. Crassum, quem ille sua manu hostium Bastarnarum Regem Deldonem siue in proelio siue in fuga (nam id ex eo decernere nequeas) interfecisse, et spolia eius tanquam opima, Feretrio Ioui relaturum fuisse scribit lib. 51. extr. *ἔπερ αὐτοκράτωρ στρατηγὸς ἐγεγόνει*, si Imperator summo cum imperio ac suis auspiciis

fuiſſet. Etenim vt taceam hunc dicandorum Ioui opimorum honorem maioris raritate ſua fuiſſe gloriae, quam vt priuati ſub Caefaribus eum petere fuiſſent auſi, vel iis decerni aequo animo paſſuri Caefares, qui omnia decora ac honorum titulos ad ſe rapiebant; eodem hoc in bello neque Crallus de victoria ſua Imperatoris nomine, vt fieri ante ſolebat, eſt decoratus, ſed Auguſtus, teſte ipſo Dione, vt ille finito hoc bello tamen triumphauerit; quamuis et hoc ipſum non multis annis poſt priuatis ademtum ſit per Agrippae ſiue voluntariam ſiue clanculum imperatam modeſtiam, qua Boſporanis ſubactis de rebus a ſe geſtis nihil publice ad ſenatum ſcripſit, nec decretum ſibi triumphum accepit, cuiusque exemplo nemo deinceps eum petere honorem paulo ante uſitatiffimum ſuſtinuit. Verum his omiſſis exemplum hoc Auguſtei aevi, quamuis auctoritate Dionis ſubnixum, incaſſum plane nobis obiici dicimus, quum palam utique diſputemus contra iſtius pene temporis ſcriptores, Liuium et Valerium Maximum, immo ipſum Auguſtum, atque lubenter fateamur iam tunc inuauſiſſe vulgarem illam opinionem, quae caeteris omnibus praeterquam ei, cuius auſpicio bellum gereretur, opimorum conſequendorum facultatem negabat, idque in gratiam forte Auguſti, vt, quod ille nouum et antea inauditum de Coſſo adfirmabat, facilius fidem inueniret. Quapropter nemini mirum accidere iam debet ſub Auguſto Craſſum opima ſpolia Ioui non dedicaffe, etiamſi maxime ſummo iure debitus illi fuiſſet iſte honor. Etenim quae lex, quod ius opimis his ſpoliis ab ipſo Romulo et Numa conſtitutum ſit, quidque exinde, ſed antiquiſſimis temporis, quibus ſpolia haec ab hoſtibus capta, et Ioui ſacrata leguntur
apud

apud Romanos obtinuerit, id demum in quaestione est. Ex istis ego temporibus vnum Cossi exemplum, quem vetustissimi quique Scriptores constanter *Tribunum militum* ea cepisse adfirmant, ceteris omnibus modo excussis oppono, et antepono, quippe quo multo magis ac certius nostram seu Varronis sententiam confirmari, quam illis labefactari censeo.

Liuius tamen etiam hoc nobis nouo argumento praeter illud, quod ex ipsa lege ac iure spoliolorum petatum, satis superque iam refutatum arbitror, eripere conatur. *Titulus ipse*, inquit, *spoliis inscriptus illos* (antiquos Scriptores) *meque arguit, Consulem ea Cossam cepisse. Hoc ego quum Augustum Caesarem templorum omnium conditorem, aut restitutorem, ingressum aedem Feretrii Iouis, quam vetustate dilapsam refecit, se ipsum in thorace linteo scriptum legisse audissem, prope sacrilegium ratus sum, Cosso spoliolorum suorum Caesarem ipsius templi auctorem subtrahere testem.* Notat ad haec verba ὁ πόντος, videri excidisse, *dicentem* aut legendum *refecit, ipsum*; deleto scil. *se*. Prius monuit olim etiam Glareanus, imo Sigonius et Onuphrius in Fastis, vbi hunc locum Liuii recitant, vculam, quae excidisse putatur, addidere. Quod si heic ferri nequit vel Ellipsis verbi *dicere*, vel constructio τὴν *audire*, cum duobus, vt loquuntur Grammatici, Accusatiuis, altero personae, altero rei, multo minus sine animaduersione praeterire debet locus Liuii I. 23. hoc nostro, qui satis explanati et aperti est sensus, longe quia intricatior, ideo et obscurior; *iniurias*, ait ibi Fufertius Albanus verba ad Tullum Hostilium faciens, *et non redditas res ex foedere, quae repetitae sint, et ego Regem nostrum Cluiliam, causam huiusce esse belli, audisse videor, nec te*

dubito, Tulle, eadem prae te ferre. Posset haec, ut quivis facile videt, etiam non omnino indiligens lector ita accipere, tanquam si Albanus non quidem concederet, sed tamen audisse se fatetur Regem suum post factas iniurias et non redditas res causam fuisse belli, quod inter se et Romanos cum maxime gerebatur. Sed qui verba accuratius examinabit, verumque interiore velut angulo reconditum sensum scrutabitur, deprehendet continuo ἔκαστω τῷ *dicere* vel ab ipso Livio, vel a Librariorum negligentia profectam. Significat enim Mettus, se quoque audisse aliquando Regem suum dicere, vel dicentem, iniurias etc. istius belli esse causam. Sic additur τὸ *dicere* a Sempronio Afellione veteri Historico apud Gellium N. A. XIII. 3. *Nam se patrem suum audisse dicere, nimis bonum Imperatorem non decertare, nisi etc.* Et ab ipso Gellio XVII. 19. *Favorinum ego audiui dicere, Epictetum Philosophum dixisse, plerosque istos, qui philosophari viderentur, Philosophos esse huiuscemodi ἀνευ τῷ πράτταν, μέχρι τῷ λέγειν.* At Livius, mea quidem sententia, maluisse videtur suppressere, quod satis intelligi posse a lectoribus censebat, quam ut tot infinitae figurae verba vno loco iungeret, aut τὸ *dicentem* satis absone iuxta vel inter *Regem Cluilium* et *Causam* locaret. Minus adhuc lib. IV. desiderem, ubi clarissima utique est sententia, admissio tantum huius verbi defectu, quo nullum aliud frequentius eliditur. Ipse Livius I. 31. *Visi etiam audire vocem ingentem ex summi sacuminis luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent, quae veluti Diis quoque simul cum patria relictis obliuioni dederant.* Intellige, dicentem, iubentem, vel quae diceret, iuberet. Sic etiam Aelianus fere verbis quae sine causa Fabro sunt

sunt

sunt suspecta XIV. 15. Πάυσωνα τὸν ζωγράφον, ἀκί-
 σαντα παρὰ τινος γραφῆς ἵππον κολυθούμενον, τὸν δὲ γραφῆσαι
 τρέχοντα. Hoc est, Pausonem pictorem cum audis-
 set aliquem dicentem vel iubentem, cum manda-
 tum accepisset ab aliquo, ut pingeret equum sese
 voluntantem pinxisse eum currentem. Porro idem
 Liu. XLII. 25. *Exposita deinde ab se ordine, quae
 ipsi nuper Eumenem vera omnia et comperta referen-
 tem audissent* scil. dicere, nisi malis iungere, quae
 vera omnia et comperta, referentem Eumenem
 ipsi nuper audissent. Similia sunt prorsus, quae
 passim reperias apud Comicos: *Quid illum audio?
 Ut illum audio.* Quomodo et Appuleius in Apol.
*Nam ut audio partim Oceansium, qui istum novere
 nulli Deo ad hoc aevi supplicauit, quod recte ὁ πᾶν*
 Obseru. III. 2. exponit ipse: *Audio quosdam Ocen-
 sium, nempe dicere.* Immo quotiescunque *audire
 aliquem* legimus, intelligere debemus verbum rei,
 de qua agitur, accommodatum. Discipulus audit
 praeceptorem scil. docentem. Terent. Phorm. II.
 3. 61. *potius quam lites secter, aut quam te audiam,*
 scil. causam contra me orare. Domitianus apud
 Sueton. cap. II. *Vis, inquit, hunc nequissimum
 seruum cras audiamus,* nimirum causam agere.
 Durius accidit auribus illud Plauti Epid. III. 4. 60.
Ego istum hominem nunquam audiui ante hunc diem,
 nempe, nominari. Videtur in hac locutione cor-
 ruptus Tacitus Ann. XIII. 46. *Saepe auditus est,
 consurgens e conuiuio Caesaris, se ire ad illam sibi
 concessam dictitans nobilitatem, pulchritudinem, vota
 omnium, et gaudia felicium.* Sero ponitur τὸ dicti-
 tans, quum abesse possit et aliud videantur proxima
 requirere, certe Lipsio, qui varie haec tentat:
*conc. a DIS iactans nobil. vel conc. Dis dignam
 nobil. vel denique ubi congestam delibaret nobil.*

Praeferam his omnibus *conc. diuinitus nobilitatem* vt intelligatur, *dicens*, vel *dicentis*, quod commodissime et saepissime fit, maxime apud Tacitum. Vt Ann. III. 34. *Plures obturbabant, neque relatum de negotio, neque Caecinnam dignum tantae rei censorem*, scil. dicentis. Et sic alibi passim.

Ceterum vt ab explicando iam ad refellendum redeamus Liuium. Si Cossus non modo vere optima spolia in consulatu suo cepisset, sed et id palam inscriptione ipsorum spoliorum publice in aede Feretrii Iouis fixorum posteris testatum reliquisset, quis non maximopere demiretur in eo perperam tradendo, quo non aliud illustrius haberi poterat, cuiusque decoris, quanto rarior numero compositum, tanto clarior et multis etiam triumphis praeferenda fuit laus et gloria, tam turpi ignorantia et incuria cespitasse Scriptores antiquissimos, et si maxime primi errassent, neminem ante Augustum, quum iam vetustate dilapsum ac tecto suo nudatum esset templum, hunc eorum errorem titulo gloriosissimorum spoliorum curiose inspiciendo, quum ipsa aedes adhuc esset integra, deprehendisse atque arguisse, immo neminem e tot Corneliiis, qui plurimi ante et post Cossum, vsque ad Augusti principatum continua serie in amplissimis honoribus, magistratibus, et imperiis Romae semper fuerunt, non dicam iterum ex publico illo spoliorum titulo, quem tamen eos credibile est saepius legisse, et aliis ostentasse, sed ex propriis familiae suae commentariis, quos plerique nobiles habebant ad illustrandam suae gentis antiquitatem, ac seruandam domesticarum et gentilium laudum memoriam, vt ex Cicerone docui cap. praeced. rei gestae veritatem eruisse, et errantes historicos in viam reduxisse. Etenim si vlla gens istiusmodi commen-

commentarios habuit, credibile omnino est, etiam Corneliam habuisse, quae plura forsitan, quam quaeuis alia, rerum a suis egregie gestarum ornamenta in eos referre potuit. Et si illa quicquam in iis, certe et hoc de opimis Cossi spoliis, quod omnia alia ornamenta superabat, saltem quando, quouque in honore et magistratu contigerit, vere ac diligenter annotatum habere debuit.

Denique quam huius tam manifesti et facile conuincendi erroris causam habuissent veteres? Nam quae Liuius mox adfert, non originem erroris detegunt, sed vel errorem incredibili et multiplici prorsus errore cumulant, vel potius veteres hac in re errare neutiquam potuisse demonstrant. Enimvero pleraque Historiarum peccata vel ex fabulosis vulgi ac famae rumoribus, vel ex ipsorum scriptorum memoriae vitio, nimioque illustrium ciuium vel maiorum suorum gloriam augendi studio primitus oriuntur. Hoc vero, de quo proprie hic agimus primi Historiarum conditores, non ex auditu, neque ex plebeculae sermonibus, quae rebus gestis circumstantias miraculo propiores, potissimum adiicere gaudet, cetera parum curat, sed ut deinceps ex ipso Liuius ostendam, ex annalibus vetustissimis hauserunt, in quibus non quidem *quo consilio, et qua ratione quaeque gesta essent, exponebatur, sed tamen quid quoque anno gestum, bellum quo initum consule, quo modo (hoc est, quo euentu) confectum, quis triumphans introierit, demonstrabatur*, ut nos docet Sempr. Asellio apud Gellium V. 18. seu, ut Cic. de Annalibus, quos *Maximos* vocabant, quia ut ait Festus, a Pontifice Maximo conficiebantur; loquitur de Orat. II. 12. *in quibus memoriae publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum vsque ad Pontificem Maximum*
P.

P. Mucium res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Max. et publice domi suae proponebat, ad quorum exemplum primi Historiarum conditores, sine ullis quidem ornamentis monumenta tamen temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerint. Fuerint ergo quantumuis ieiuni et steriles, sine dubio tamen ex iis, quo anno facinus omnium praeclarissimum, Rex hostium in proelio interfectus, acciderit, quis et quo honore, vtrum ipse Consul, an alio anno aliis Coss. Tribunus militum tam gloriosam victoriam, et opima spolia reportauerit, posterioris aetatis Scriptores potuerunt discere. Quod et ipsum neque *μνημόσυλον ἀμείβοτημα* omnium Auctorum in re tam celebri admittere nos patitur. Nam si maxime quispiam e primis adeo securus ac negligens fuisset, vt rem tam manifesto falsam, lectoribus obtrudendo, in fidem ac diligentiam, quae in Historico maxime desiderabatur, incurreret; cui credibile fiet, neque ipsum ab aliis edoctum correxisse postea suum errorem, neque aetate proximos aduocata sua suorumque aequalium memoriae fide, vel considerata ipsorum spoliolorum inscriptione, vel perlustratis, quos modo dixi, Annalibus Pontificum, aut Gentis Corneliae commentariis (nam istis commentariis et funebribus cuiusque familiae laudationibus Auctores olim in rebus gestis maiorum exponendis multum vsos ex Cicerone et Liuiio supra docuimus) insignem hunc primi scriptoris lapsum obseruasse, sed omnes, quotquot deinceps vsque ad Augusti tempora hanc rem memoriae mandarunt, foedissima sane oscitantia ac socordia eum constanter recepisse et retinuisse.

Neque vero studio amplificandae Cossi gloriae, quicquam hic peccari potuit, cum contra ista ratione

tione eam depressum iuissent. Etenim magis decorum atque honestum habebatur, si quis in summo magistratu rem egregiam gessisset. Scipio Nafica vir optimus, quum Consul, deuictis Boiis et in deditiorem acceptis, prouincia pacata, decessisset ad haud dubium triumphum, petitioni suae ex parte aduersantem reperit Tribunum pl. qui censebat illum debellatis Boiis cum victore exercitu in propinquum Ligurum agrum transire, vel saltem eo suppetias Q. Minutio, qui iam tertium ibi annum dubio detinebatur bello, mittere debuisset; et suadebat Senatui, vt quod a Consule *festinatione triumphi praetermissum esset, id restitueret differendo triumpho, iuberent Consulem redire in prouinciam, dare operam, vt Ligures subigantur; iis deuictis paucos post menses Proconsulem P. Cornelium multorum exemplo, qui in Magistratu non triumphauerunt, triumphaturum esse* apud Liu. XXXVI. c. 39. Vides aperte Consuli obiici *festinationem triumphi*, non alia ex causa ortam, quam quod maluerit, et gloriosius duxerit in ipso illo Magistratu, qui summus erat, triumphare, quam eo finito. At si vera iam est Augusti et Liuii sententia, Cossi nobilissimum facinus, quod quum amplissimo esset praeditus Magistratu, summum in exercitu obtineret Imperium, bellum suis auspiciis administraret, denique anno a se denominato perpetrasset, antiquissimi scriptores in alienum annum et aliis Coss. insignem perperam contulissent, atque ipsi necdum Consuli, sed Tribuno militum sub Dictatoris auspiciis militanti turpi errore adsignassent, atque ita rei per se quidem satis gloriosae non paruam tamen gloriae accessionem detraxissent.

Postremo si tam foedi erroris hac in re arguuntur prisca Auctores, confusa, incerta et falsa sunt
pene

pene omnia illius belli et temporis, quantocunque consensu tradita. Nam si Cossus Consul demum opima de Tolumnio Veientium Rege spolia cepit, quod ex eorum titulo se eruisse gloriabatur Augustus, falsa est veterum Historia, non modo cum Tribunum mil. ea cepisse adfirmat, sed et quum Coss. M. Geganio Macerino et L. Sergio Fidenate bellum cum Fidenatibus (a quibus tamen Sergium, qui primus cum iis cis Anienem pugnavit, cognomen hoc bello accepisse volunt) et Veientibus eorumque Rege Tolumnio gestum memorat; et porro quum nonum abhinc annum tristi pestilentia atque inopia frugum notat nullo profus bello, nedum tam clari et gloriosi euentus tunc relato. Falsum etiam, quod Sergius Consul cum illis hostibus secundo quidem proelio, sed tamen multis suorum amissis, conflixisse traditur. Falsum, quod senatus gerendi huius belli causa dictatorem dici Mam. Aemilium illo anno iusserit, atque is Magistrum Equitum Quinctium Cincinnatum, et legatos Quintium Capitolinum et Fabium Vibulanum assumserit. Falsae omnes belli et proelii, quo Veientes ac Fidenates a dictatore Aemilio fusi ac fugati, et Tolumnius a Cossio occisus refertur, *περισσότερον*. Falsus denique dictatoris Aemilii de Veientibus et Fidenatibus triumphus, quamuis eius vestigia etiam in Fastis Capitolinis existant.

Perspexisse sane et Livius videtur, (quamuis quis id non perspiciat?) quae labes futura esset in veteri Historia, si errasse in illo statuatur, quod tanto consensu ab ea memoriae mandatum, vel si erroris arguatur, qui tot alios secum errores trahit, et omnia pene conuellit; Ideoque, quanquam haecenus veterum sententiam haud dubie in gratiam Augusti destruxisse visus est, eam tamen nunc iterum

iterum vehementissime, sed clanculum et tecte adstruit, et tam grauiter hic errare Auctores priscos non potuisse, meo quidem iudicio, ipse innuit, prioribus subiungens: *Qui si ea in re sit error, quod tam veteres annales, quodque Magistratum libri, quos linteos in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem Auctores, nono post demum anno cum T. Quintio Penno A. Cornelium Consulem habeant, existimatio communis omnium est.* Quae verba Glareanus fatetur ingenue, se non plane intelligere, nec tamen succurrit ei, qui id ceteroqui studiose passim fecit, Sigonius. Mihi sane non adeo magna hic occurrit difficultas, neque etiam ulla emendandi necessitas; quae nulla esse potest ei, qui τὸ *si* pro *an* accipiendum hic esse perspicit, id quod faciendum esse dudum in aduersariis meis notauit, et in priuatis colloquiis, sicubi huius loci mentio inciderat, plus semel ostendi. Eamque in rem ex multis, quae ad expositionem hanc confirmandam hinc inde collecta et annotata habeo, pauca et ex vno Liuius, quum eodem sensu τὸ *si* vsurpat, adferam. *Tentata res est primum, si impetu capi Ardea posset. I. 57. Ac primo tentata res est, si dispositis clientibus disiicere rem possent. II. 35. Ad Collegium Pontificum referre Consul iussus, si posset recte votum incertae pecuniae suscipi. XXXI. 9. Percunctatus, si consilium salutare admittere auribus posset. XXXIII. 35. Percunctatus si se interim, quae defecissent ab Societate Romana, vrbes recipere vellet. XXXVI. 33. Nihil aliud locutum ferunt, quam quaesisse, si incolumis Lycortas equitesque euasissent XXXIX. 50. Quaesuit iterum, si cum Romanis militare liceret. XL. 49.* Sensus ergo totius loci est, qui error, scilicet affirmantium, capta opima a Cosio Tribuno militum spolia, quae

Consul

Consul ceperit, an ea in re vel Historia sit, et haereat eo, quod vetustissimi annales et lintei Magistratum libri nono demum anno; post bellum cum Tolumnio et Veientibus gestum, Cossium, hunc Consulem referant, *communis existimatio omnibus est*, hoc est, (quoniam in his praecipue haeret Glareanus) cuilibet de eo suam existimationem, seu opinionem, iudicium interponere licet, iudicium eius rei a me in medio relinquendae penes omnes est. Sic plane XXIII. c. 47. nisi quod is locus corrupte prorsus editur per causam non intellectae item huius locutionis. Vulgatur ex coniectura Vallae: *Huic pugnae equestri rem (quam satis certam communis existimatio est) mirabilem certe adiiciunt quidam annales.* Sed praestantissimi Gallicani codd. quibus omnes alii cedunt, *Quam vetatis, communis certe existimatio est,* Unde εὐσόχως ὁ πάλω, *Quam vera sit communis existimatio est.* Cogitaueram ego, quia etiam alii codd. ingerunt τὸ certe: *rem, quam veram, communis per me existimatio est, mirabilem certe, adi.* hoc est, adiiciunt huic pugnae rem certe mirabilem, quam veram adiciant, per me quiuis de eo pro lubitu suo existimet, iudicium ego facio commune omnium, vt Terent. prol. Heautontim. v. 12. *Vestrum iudicium fecit, me Actorem dedit,* hoc est, rem vestri esse iudicii, vestrae esse existimationis fecit. *Quam veram,* similiter Valer. Max. IV. 3 de Curio, *ligneo catillo coenantem (quales epulas, apparatus iudicio est) se spectandum praebuit.* Iterum Liuius IV. 41. *Quanta prudentia rei bellicae in C. Sempromio esset, non militis de Imperatore existimationem esse, sed Populi R. fuisse, quum eum comitiis Consullem legeret:* hoc est, de eo iudicare non esse militis, non licere militi, cui datus est Imperator, sed fuisse

fuisse Populi R. quum etc. XXXIV. 2. *Nam utrum e Rep. sit, nec ne, id quod ad vos fertur, vestra existimatio est, qui in suffragium ituri estis.* Potuisset eodem sensu plenius dixisse, communis omnium vestrum existimatio est. At quae loca velim etiam videas, quae ὁ πόνος de vsu vocum *existimare* et *existimatio* in significatione iudicandi docte, ut solet, obseruauit. Supra. I. 23. *Neque recte, an perperam interpreter.* Fuerit ista eius deliberatio, qui bellum suscepit, hoc est, id utrum recte, an perperam fiat, de eo deliberet ac videat ille, qui etc. Nempe solent huius figurae nomina aliquando ius aliquod et potestatem significare. Sic Cato apud Festum V. prodidisse: *Te C. Caecili diem prodidisse militibus legionis tertiae cum proditionem non haberes*, i. e. cum ius prodendi diem non haberes, cum tua non esset proditio.

Exposito verborum sensu, qui abstrusior paulo erat, videmus iam clarissime, Liuium pro certo ponere bellum cum Veientibus, in quo eorum Rex Tolumnius periit, gestum esse nouem annis ante Cossi Consulatum, nempe quia *annales tam veteres*, hoc est valde veteres, vetustissimi, ut I. 3. *quis rem tam veterem pro certa affirmet?* et *lintei Magistratum libri* ad istius anni Consules Geganium et Sergium, Dictatoremque Mam. Aemilium eius belli gerendi causa isto anno creatum id referebant. Diserte enim utrosque libros ait Cossium Consulem, Collega T. Quinctio Penno, habere *nono demum anno post*, intellige omnino, post belli huius cum Tolumnio gesti in iis mentionem. Quamuis, ut vere dicam, legendum mihi videatur *decimo*, sicuti iam olim voluit Glareanus, non semper spernendus praee Sigonio, a cuius mera coniectura *τὸ nono*, quod omnes nunc obti-

T

nent

nent edd. profectum est. Legebatur antea *septimo*,
 quod inter et *decimo* maior utique est conuenientia,
 quam inter idem illud et *nono*. Numerandi vero
 initium sic erit faciendum ab hoc ipso anno, cuius
 non minimam partem superuuisse credibile est post
 victos iam Veientes, et caesum Tolumnium. Eum
 si adnumeres decimo, si praecidas, nono ab hac
 pugna anno Consil fuit Cossus. Frequentissime
 autem veteres, ut iam obseruatum ab Eruditis,
 in numerando utiusque extremi habent rationem,
 sed maxime Liuius. Ne longe abeam, hoc ipso in
 capite, in quo verisimile vno eum modo locutum,
 eandemque numerandi rationem secutum, *Tertius*,
 ait, *ab Consulatu Cossi annus Tribunum cum Mil.*
cons. pot. habet. At tertius erat ducto initio non
 a sequente exactum Consulatum anno, sed eo ipso,
 quo Consulatum gessit. Nam gessit eum A. V.
 C. 325. Tribunatum vero 327. qui proinde tertius
 est a Consulatu eadem ratione, qua Consulatus
 decimi fuit anni post victos Veientes. Atque ita
 cum dicimus *secundus a Rege* non intelligimus, ali-
 quo inter Regem et eum interposito, tertium
 dignitate, sed Regi proximum. Vnde apparet,
 quam inconsiderate fecerint et olim Seruius ac
 Donatus, et post eos viri summi Scaliger, Manu-
 tius, et Robertellus, qui illud Virgilii ecl. 8.

Alter ab vndecimo tum me iam ceperat annus,
 de tertio decimo, non duodecimo exponendum
 omnino pertendunt. Atqui *alter dicitur de duobus*
 aiunt, quasi vndecimus et duodecimus non sint
 duo. Quid facient isto eiusdem Virgilii ecl. 5.

Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo?

An et hic post *illum* fingent duos, quorum alter
 sit tertius? Et sane ita volunt in verbis Terentii

ex

ex Andria I. 1. *Vnus et item alter*, quibus ista ratione tres proprie significari affirmant, sed auscultent Ciceroni Verr. III. 35. *Vnus adhuc fait post Romam conditam, (Dii immortales faciant, ne sit alter,) cui Resp. totam se traderet, L. Sulla.* Manifeste hic altereum notat, qui *unum* illum proxime esset secuturus. Eutrop. lib. IX. de Galerio Maxim. *quippe qui etiam speculatoris munus cum altero ac tertio Equite susceperit.* Vbi Galerius est *Vnus*, *Alter* vero non tertius, a quo aperte distinguitur, sed proximus *Vni*. At apud Terentium nominantur mox tres proprie Chrysidis amatores, de quibus sermo. Sed sciendum ista locutione, *Vnus et alter*, non certum aliquem, verum incertum, sed paucorum numerum per formam extenuationis significari, et posse aequaliter adhiberi de duobus, tribus, quatuor etc. Gellius VI. 16. probaturus significationem verbi *deprecari* a sciolo quodam reiectam dicit, *plenos esse libros veterum similis significationis, ex quibus unum et alterum apposuerit.* Apposuit autem Auctores Ennium et Ciceronem, et ex illius libris duo, ex huius tria loca attulit, ut per *Vnum et alterum*, si ad *veteres* referas, duos significauerit, si ad *libros*, quinque. Sic apud Sueton. in Caes. cap. 20. dicitur Vettius productus a Caesare pro Rostris, ut nominaret, a quibus de inferenda Pompeio nece fuisset sollicitatus, sed *uno atque altero frustra, nec sine suspitione fraudis nominatis* interceptus veneno. Iam si Ciceronem ad Attic. II. 24. conferas, patebit non proprie tres a Vettio nominatos, sed plures *Lucillum, Fannium, Domitium, Pisonem, et Laterensem.* Idem Suet. in Claud. c. 12. manifeste pro paucis incerto numero adhibet, et opponit pluribus: *Populus non ante destitit, quam vnus atque alter, et*

mox plures a Magistratibus in Rostra producti. Denique hoc sensu saepissime sumitur ista phrasis, neque in latina tantum lingua, sed et aliis. Nihil dicam de vernacula, sed ex graeca locum adferam notabilem, in quo eadem significatione ponitur *ἓς καὶ δεύτερος*, plane vt vnus et alter. Athenaeus paucos posse nominari tradens eorum, qui Equo Dureo fuerint inclusi, *si quis*, inquit, *te roget, quinam illi fuerint*, *ἓς καὶ δεύτερος ἴσως ἐρεῖς ὄνομα*, vnus et alterius forte dices nomen, hoc est, paucissimorum.

Sed vt ad Liuium et superiora redeam, quum ille itaque ait, vtrosque libros Cossium habere Consullem decimo demum anno post illud cum Veientibus bellum, eo manifeste innuit, illos vtrumque, tum bellum Veiens, tum Consulatum Cossi, sed diuersis annis, memoriae prodidisse. Nisi ea fuerit illius mens, ineptissima prorsus foret eius argumentatio. Nec enim originem aliquam et causam istius erroris, vt appellare voluit ac debuit, vel potius quid eos in errorem induxerit, his verbis indicaret, id quod prae se fert, sed errorem potius eodem quasi nouo errore cumulareret, et ex vno faceret duos. Nam si nihil aliud, nisi quo ab V. C. anno Cossus Consulatum obtinuisset, non item belli huius initium et exitum, literis consignatum exhiberent isti Annales et Magistratum libri, quam erroris causam potuerunt praebuisse priscis historiarum conditoribus? Cur illi alio anno, et quidem eo, quo Tribunus Militum fuisset, potius quam quo Consulem inueniebant, capta ab eo spolia referrent, in quo utique vno eorum error consistit, quamuis in duas ille possit diuidi partes, dum primum a non Consule, deinde non vero anno spolia haec relata tradidissent, sed quae duo

duo ita inter se cohaerent, ut utrumque sit materies vnius controuersi erroris, non aliquid extra eum, eiusue causa. Ergo quum solum illud, quod Cossus nono, vel potius decimo demum anno simpliciter post hunc annum Consulatum tenuerit, non potuerit scriptores in istum errorem induxisse, multo minus excusare tanquam eo deceptos, nisi Liuium suauiter ineptiuisse volumus, necessario statuere debemus, ex eius sententia, priscos scriptores haussisse utrumque, tum hoc anno bellum cum Veientibus et Tolumnio gestum, atque eo, quo exposuerunt, modo confectum (V. supra Sempr. Afellionis locum) tum nono post illud bellum anno Cossium cum Penno fuisse Consulem ex vetustissimis illis annalibus et Magistratum libris, qui certe Dictaturam Aemilii hoc anno illius belli causa relatam, ut et triumphum de Veientibus et eorum Rege, (quod utrumque fit etiam in Fastis Capitolinis) non magis praeterierunt, quam postea Cossi Consulatum; atque ita dum ille nobis diiudicandum relinquit, quod ipse decernere veretur, ne vel contra haud dubiam rei veritatem, et antiquissimorum librorum maximam auctoritatem, vel contra Augusti voluntatem sententiam dicat, satis declarare videtur, utut aliter sentire prae se ferat, veteres hac in re neutiquam errasse, vel errare potuisse. Etenim si quicquam certi habet historia Romana, hoc profecto illud est, quod ex annalibus tam vetustis publica auctoritate per singulos annos factis, et linteis illis Magistratum libris ob venerandam antiquitatem ac fidem in aede sacra repositis petitum est. Quid enim falsi, quid immo incerti contineant eiusmodi monumenta seu libri, qui tantum publicae memoriae retinendae causa, summa et paucissima eo-

que certiora ac fide digniora, præcipuarum rerum capita, qui quoque anno fuerint Magistratus, quid ab iis publicae rei gestum, quae bella inita et confecta, qui triumphi, et ex quibus hostibus debellatis acti, quid urbi num pestilentia an penuria annonae aliaue malo acciderint, breuissime sine vllis rerum ac verborum ornamentis per singulos annos a Pontif. Max. vel quo alio publice annotata habent? Nedum vt hunc tam immanem errorem in re omnium clarissima non modo contra rei gestae fidem, sed et inscripti ipsis spoliis tituli, vt voluit Augustus, testimonium receperint, atque ad posteros propagarint. Nam siquidem hic erratum, et Cossus vere in Consulatu suo opima de Tolumnio Rege spolia cepit, necessario vel ille non eo anno, quo isti libri volunt, sed quò Coss. Geganium ac Sergium memorant, nouem annis citius, quocunque demum collega, qui incertus hoc pacto erit, consul debuit fuisse, quod, quia totam chronologiae Romanae rationem perturbaret, annorum et Magistratum seriem prorsus confunderet, ac nimium quantum labefactaret veterum Annalium fidem, qui, si quicquam, eos certe Magistratus, a quibus ipsi anni denominantur, suo quemque loco et tempore recte collocare debuerunt, nemo opinor facile admittet; vel bellum cum Veientibus et Tolumnio gestum, quod illi ad annum, qui Geganium ac Sergium Coss. habuit, annotarunt, referri potius debuit ad nonum inde annum, quo Cossus cum Penno Consul fuit. Sed et hoc neutiquam statuendum videtur, si quicquam libris tam antiquis, et historiae Romanae tribuimus. Nam si ne bellorum quidem et tam illustrium saltem tempus fideliter memoriae mandarunt, quid est in quo fidem deinceps

ceps mereantur? Quid quaeso illis non de hoc modo, sed et de omnibus aliis bellis, atque omnibus aliis rebus in posterum credemus, si tam celebre bellum non solum alieno tempore seu nouem integris annis citius, quam oportuerat, ponant, sed et aliis, quam per quos gestum est, adscribant Magistratibus, non tantum ordinariis, sed et extraordinariis, quos ad hoc bellum conficiendum creatos dicunt. Dictatorem intelligo cum suo Magistro Equitum Mamercum Aemilium, cuius petitae haud dubie ex Magistratum libris Dictaturae ut et triumphus tempus ac causa, admissio hoc vetustissimorum annalium errore, remissoque ad Cossi Consulatum Veiente bello sac Tolumnii caede, fluctuabit atque incerta omnino sede vagabitur.

Neque vero vlla ratione excusari posset iste antiquissimorum voluminum error, tanquam ortus, ut fere fit, ex similitudine rerum diuerso tempore gestarum, veluti, si utroque anno cum eodem Tolumnio bellum Romani gessissent, quum illi longe alia ad Consulatum Cossi annotent; ut adeo non vnum errorem, si errassent, sed non multo minorem alium quoque hac in re commisissent. Nam quo illi tempore et anno retulisse debuissent bellum tam feliciter et gloriose consummatum, eo per tres ferme annos nullius omnino belli meminerunt, immo pestilentia ac fame misere vexatam urbem prodiderunt. Vnde Liuius tanquam sui oblitus, tam claram pugnam in eum annum a scriptoribus transferri non potuisse scribit. Sed recognoscamus sane eius verba, quibus illos multo adhuc apertius, quam in proxime superioribus tueretur ac defendit, dum eorum erroris causam atque occasionem indagare videtur. *Nam etiam illud*

accedit, ne tam clara pugna in eum annum transferri possset, (scil. ab Auctoribus antiquis) quod imbelle triennium ferme pestilentia inopiaque frugum circa A. Cornelium Consulem fuit, adeo ut quidam annales velut funesti, nihil praeter nomina Consulum suggerant. Quod si nobilissima illa Cossi pugna in annum eius Consulatus transferri non potuit a scriptoribus, quod vere (ut sane sine haesitatione tanquam ex tua etiam sententia adfirmas) circa eum consulem imbelle fuerit triennium, ac pestilentia inopiaque frugum infame, quid ergo, Liui, tam inclementer eos erroris arguis, quum, si in eo errarunt, quod spoliolum de Tolumnio relatorum honorem non tribuerint Cosso iam Consuli, etiam in eo male haud dubie et perperam fecissent, quod circa eius consulatum imbelle triennium statuerint, id quod admissa Augusti sententia aequae falsum haberi debet ac prius. Atque ita ineptissima profecto foret haec excusatio, quam Logici petitionem principii vocant. Sed noluisti videlicet hanc occasionem praetermittere gratificandi Augusto, referenda hoc loco et probanda eius de Cossi optimis spoliis sententia, quam ipse tibi retulerat, ideoque (ut solent, qui antiquarum rerum cognitione delectantur, sibi in eo plus satis aliquando placere, si quid antea ignoratum eruerint, vel in quo alii haesitarunt, ac caespitarunt, expedierint, immo dum aliorum errores se deprehendisse gloriantur, si ipsi forte errent, tamen haud facile eum sibi errorem eripi patiuntur, ac saepe iniquo animo ferunt suam sententiam non recipi statim atque adoptari ab aliis) tuum forte dissensum de re, de qua inuenta se iactabat et in Historia tua mentionem fieri, ut opinor, volebar, haud beneuole aut patienter accepisset. Atque utinam non etiam nunc

nunc in re literaria viri docti aliorum opiniones et coniecturas contra animi sui sententiam saepe laudarent publice ac probarent, vel laudare ac probare cogerentur, ac styli sui veritatem potius perdere, quam hominum ineptorum, quos offendere metuunt, et simplicissimo dissensu exemplo offenderent, amicitias!

Ceteroqui enim, quid Liuius apud animum suum hac de re senserit, satis ego quidem liquere arbitror, tum ex allatis modo et excussis rationibus, tum quod in historica rerum Romanarum ferie pertexenda antiquiores per omnia in his rebus sequitur; adeoque non hic modo bellum cum Veientibus et Tolumnio hoc anno a Dictatore Aemilio consummatum, et spolia opima a Cossio Tribuno mil. capta vberiore sermone exponit, sed et iterum cap. 32. ex persona Mam. Aemilii Dictatoris tertium, qui tunc Magistrum Equitum sibi legerat Cossium, haud dubie ea maxime de causa, quod antea, se primum Dictatore, tam claram edidisset pugnam, *Magistrum Equitum A. Cornelium eundem in acie fore, qui priore bello Tribunus Militum, Larte Tolumnio rege Veientum in conspectu duorum exercituum occiso, spolia opima Iouis Feretrii templo intulerit.* Enimuero quid opus, immo annon indecorum et indignum historico, cui veritas vna omnium maxime debet esse proposita, id tanquam verum nulla subigente necessitate lectori suo iterum ingerere, quod ipse pro falso habet et reiicit? Quid? An quis ferre ac excusare queat Auctorem, qui oratione in historiae suae ornamentum a se composita, in qua saltem verisimilitudinem religiosissime sequi ac seruare debebat, induceret Dictatorem de suo antea Tribuno Militum, tunc Magistro Equitum ea dicentem, quasi

paulo ante suis auspiciis et ductu contigissent, quae tamen ex ipsius Auctoris sententia longe aliter se habeant, adeoque a Dictatore dici nequaquam potuerint. Nam si Cossus tribus tantum annis ante in consulatu suo vere ea spolia cepisset, neutiquam Aemilius in eius militarem Tribunatum tam egregium facinus in concione P. R. referre potuisset. Quamobrem etiam Muretus Var. Lect. XV. 14. hoc inter ea, in quibus parum considerate et inter se pugnancia locutus sit Liuius, refert. Verum haec non eius fuit negligentia oscitantiae, sed studium veritatis, quam antea reuerentia Augusti obsecrauerat, id quod etiam prodit, quum serie rerum ad ipsum Cossi Consulatum deducitur cap. 30. vbi nullam Tolumnii, nullam omnino opimorum spoliatorum tunc temporis ab eo relatorum mentionem facit, sed quatuor annorum spatium vno capite concludit, et sicut proximo superiore anno *nihil dictu dignum actum* esse, sic illo Cossi nihil nisi siccitatem, sterilitatem, ac morbos memorat; Tantum etiam tunc *Veientes in agrum Romanum excursiones fecisse*, sed de qua iniuria sequente demum anno res repetitae sint, et tertio anno, quo Cossus fuit Magister Equitum, bellum cum iis gestum initiis parum felicibus, sed exitu felicissimo. Vides in rebus ipsis suo loco et tempore memoriae mandandis Liuium nullam prorsus huius suae disputationis habere rationem, nec vel verbo meminisse, sed antiquiores potius Auctores fideliter sequi, longe secus, quam nostri Historiarum et Fastorum concinnatores, qui Tolumnii caedem, et relata a Cosso spolia in illum bellis vacuum, sed aliis malis infamem annum Consulatus eius referunt, atque ita antiquiorum omnium, et ipsius Liuii Historiae narrationi fidem derogare malunt, quam

iis,

his, quae hic extra ordinem Titus noster in gratiam Augusti contra antiquos differit.

Nam quod praeterea ex Plutarcho, qui in vita Romuli Cossam et Marcellum ista spolia ferentes *quadrigis* urbem inuectos ait, colligi volunt, eum quoque triumphasse, adeoque non Tribunum Militum, qui triumphare non potuerit, sed Consulem ea spolia retulisse, id argumentum reuera nullius est ponderis. Errauit enim Plutarchus aequae ac Valerius Max. et Victor, quos etiam ipsi reiciunt, Cossam non Tribuno, aut Consuli, sed Magistro Equitum hanc tam gloriosam de Tolumnio victoriam adscribentes. Nam quid Graecus ille de Cossam et eius aequalibus docere nos possit, quod non ipse ex antiquioribus haurire debuerit? Atqui omnes ante Liuium vno ore Cossam Tribunum Militum in Triumpho non suo, sed Dictatoris sui opima haec spolia, Feretrii templo intulisse tradiderunt, neque vllum indicium, aut vestigium triumphi ab ipso Cossam Consule acti, vsquam aut apud quenquam alium reperitur. Et si etiam olim ex vllis vel librorum monumentis erui potuisset, haud dubie doctissimo illo aevo et antiquitatum studiosissimo non fugisset vel Augustum vel Liuium, quos credibile est diligentissime in hanc rem inquisuisse, et si quid eiusmodi inuenissent, eo veluti maximo nouae sententiae firmamento fuisse vsuros.

Nam quam parum sibi ipse Liuius in ea probanda et confirmanda superioribus argumentis satisfecerit, vel ex eo patet, quod postquam dixerat in Cossi Consulis annum pugnam eius cum Tolumnio non potuisse transferri, coniectura, quasi iam opus sit, et quidem tam incerta, vt eam ipse mox explodat, aliud his spoliis accommodare quae-

rit

rit tempus. *Tertius, inquit, ab Consulatu Cossus annus, tribunum eum, militum Consulari pot. habet: eodem anno Magistrum Equitum, quo in Imperio alteram insignem edidit pugnam equestrem. Ea libera coniectura est.* Etiam haec et seqq. cum annexis rationibus, non plane se intelligere queritur Glareanus. Nec iniuria. Nam satis apparet Liuium, si vsquam, hoc in loco laborasse, ac vix sciuisse, qua verborum obscuritate se regeret, suamque animi sententiam. Nam nihil aliud dicere, quam tercio ab Consulatu anno Cossus fuisse tribunum militum Cons. pot. et quae sequuntur, quid eo significatur, aut quo pertinet? Sed quod ipse clare et aperte non ausus est proloqui, ne Augusti sententiam statuere parum veram et certam videretur, nobis cogitandum et intelligendum voluit relinquere. Nempe quum duobus tantum annis post Consulatum Tribunus mil. cons. pot. fuerit, et simul Magister Equitum, eoque in imperio etiam alteram ediderit insignem ac celebrem equestrem pugnam, de qua mox etiam aliquid dicemus, forte etiam hanc cum Tolumnio tunc ab illo pugnatam esse; quoniam cum iisdem Veientibus Romani tunc congressi sint et sub eiusdem Dictatoris auspiciis. Quo posito longe procliuior fuisset veterum error, et longe verisimilior eius dari possit causa, dum quod Cossus in bello contra Veientes sub auspiciis Dictatoris Mam. Aemilii egisset eo anno, quo Tribunus mil. cons. pot. in Vrbe fuit, id illi tribuissent vndecim annis ante, quando sub eodem Dictatore contra eosdem hostes in exercitu Romano Tribunum militum egit. Hoc voluit illis verbis Liuius, et ideo, vt reuera nouam in iis latere coniecturam significaret, subiunxit, *sed ea libera coniectura est, hoc est, verum ea,*
quam

quam modo proposui, mera est coniectura, nullis coniectandi legibus adstricta aut coercita, sed quae quamlibet opinionem nullis firmamentis subnixam libere arripit. Hinc iam pendet seqq. sensus: *Sed, ut ego arbitror, vana in omnes opiniones versare licet*, hoc est, sed meo quidem iudicio incertis et vanis in rebus ita coniectare licet, res, quas vanas liquet, ut sunt, quae de Cossi opimis spoliis alio quam Consulatus ipsius anno, traduntur, etiam libera eiusmodi coniectura in omnes opiniones, quascunque possis, versare et aptare licet. Sic *liberum spiritum* vocat poeticum Petronius, quod per varia vagetur, *ut potius furentis animi vaticinatio adpareat, quam religiosae orationis sub testibus fides*. Vere autem libera, immo incertissima haec erat coniectura. Nam nulla omnino causa est, cur eam potius recipiamus nullis plane argumentis fultam, quam omnium antiquorum, de re tam antiqua sententiam, ad quam labefactandam a posse ad esse, ut in scholis loquuntur, argumentari neutiquam licet. Et praeterea duae illae rationes ex titulo et lege spoliiorum petitae, quibus veterum consensum impugnabat Liuius, si quid in iis esset virium, hanc eius coniecturam aequali prorsus effectu infirmarent, unde et continuo eam ipse reiicit. Nihilominus Valerius Max. et Aurelius Victor idem asserunt, Cossium scil. Magistrum Equitum opima cepisse spolia. Sed summam ea in re Valerii oscitantiam superius demonstraui: Et vterque alio insuper malae ac sublestae fidei documento suam ipsius auctoritatem eo loci non parum imminuit; Valerius quum *ducem Fidenatium* a Cosso interemtum scribit, qui fuerat Rex Veientium, ad quos a Romanis defecerant Fidenates; Victor, quod non solum nulla Veientium, sed

solorum

solorum Fidenatium facta mentione, ita horum quoque ducem Tolumnium, quem nominat videtur et ipse facere, sed vel maxime, quod Cossio Magistro Equitum dictatorem imponit Quintium Cincinnatum, quum is Magister Equitum dictatorem habuerit Mam. Aemilium, Quintius autem Cincinnatus sub eodem dictatore Magister Equitum fuerit, quum Cossus ex Veterum sententia Tribunus militum de Tolumnio opima retulit.

Concludit tandem Liuius hanc disputationem, ita vt ad aucupandam Augusti gratiam, oportebat, hoc est, ita vt videretur illius sententiam, spretis omnibus obstaculis, penitus probare ac recipere. *Sed, vt ego arbitror, vana in omnes opiniones versare licet, quum auctor pugnae recentibus spoliis in sacra sede positus, Iouem prope ipsum, cui vota erant, Romulumque intuens, haud spernendos falsi tituli testes, sese A. Corn. Cossium Consulem scripserit. Legendum putem inscripserit, nempe spoliis quod praecedat. Sic superius; titulus ipse spoliis inscriptus. In facile potuit absorberi, per vltimam proximi vocabuli literam. Non tamen hoc tanti facio, vt cum quoquam de eo contra vulgatum contendere velim. Ceterum connexio sententiae haec est. Liberam esse suam illam coniecturam, nec certis finibus comprehensam, sed obuium quodque inuadentem, verum ita libere, vana quae sint, hoc est, illam veterum sententiam, quam retulerat, et falsitatis arguerat, licere in omnes versare opiniones, vt maxime vanam, quum ipse auctor pugnae recentibus spoliis sese A. Corn. Cossium consulem inscripserit, quo vtique vanissimam eam esse cuius adpareat.*

Ita excusso et illustrato simul ac confutato nobilissimo hoc, sed et obscuro Liuii loco, de spoliiorum

rum tandem titulo videamus. Nec enim Augusti fidem in eo referendo suspectam habemus, sed aliter interpretandum et quidvis potius comminiscendum censemus, quam ut eo temere impugnetur omnium antiquorum huiusmodi in re consensus, praesertim quum minime sit verosimile, non et ipsos legisse ac considerasse, sed ignorasse vel neglexisse pariter eum omnes, licet publice in sacra aede ad seruandam rei memoriam, et edocendam posteritatem in ipsis spoliis scriptum. Amplifi. Rutgersius, qui itidem errasse hic potius Augustum censeret, putat illum, cum inuenisset *A. Cornelius M. F. L. N. Cos.* ultimam voculam male exposuisse *Consul*, pro eo quod debuisset, *Cossus*. Sed aperte eam inscriptionem reiiciunt Liuii verba, qui haud dubie ex ipsius Augusti sermone, spoliis inscriptum *A. Cornelium Cossium Consulem* testatur, expresso simul et cognomine et Magistratus vocabulo.

Deinde si maxime in thorace ita scriptum inuenisset Augustus, non aliter tamen, si solam per se consideres inscriptionem, eamque ab Auctore suo ita scriptam statuas, ut a posteris intelligi voluerit, *no Cos.* interpretari ille debuisset, quam *Consul*. Etenim istae literae eo praesertim loco post illustris viri nomina in quocunque titulo positae semper istius honoris vocabulum notant, et tam frequenter iam antiquitus, in imaginum, statuarum, lapidum, nummorum, aliarumque rerum inscriptionibus occurrebant, ut non modo nullus postea lector, (quem qui eiusmodi monumentis de rebus suis monere seu docere vult, tanquam earum ignarum considerare, et proinde non obscure prorsus alloqui debet) illas, ubicunque tandem isto verborum ordine repertas, aliter quam vulgatissima ferebat

bat consuetudo, interpretaturus esset; sed et quum iam vox, quae iis significabatur, interiecta a posterioribus Romanis noua litera, auctior pronunciaretur, atque etiam, vbi integra exprimebatur, scriberetur, antiqua tamen illa *co* Cos. scriptura etiam tum retenta fuerit. Nempe Consulem antiquissimi et haud dubie ipsius Cossi tempore dicebant *Consulem*, sicuti *couallis* apud Varronem, *Coix* et *Coseruus* in Lapp. et similia, ignorata in his, vt liquet, littera N. quam posteriores tum particulae isti *Co*, ad componendum adhibitae, tum aliis infinitis vocabulis addiderunt; Hinc factum, vt ea vox tribus illis primis olim eius literis, passim notata occurrat, nec etiam postquam aliam loco seu ordine tertiam iam accepisset, illa tamen trium literarum nota aboleri potuerit. Nempe pronuntiatio, quae in arbitrio est inconstantissimi vulgi, facilius et citius mutatur, quam scriptura, et quamuis haec tandem illi se accommodare debeat, et in hac etiam voce plene exarata accommodauerit, tamen imperfecta isthaec scriptura, quia tam crebro erat in vsu, in titulis maxime mutari vix potuit, vel certe reuerentia quadam antiquitatis retenta est, tanquam vsitatissima Consularis dignitatis nota, quam ob suam frequentiam periculum non erat, ne quis ignoraret, vel perperam interpretaretur. Ita scribebatur perpetuo *Cos*, tanquam si adhuc diceretur *Consul*, sed legebatur Consul.

Eodem modo se res habuit in vna ex IV. vrbaniis tribubus. Nam quia olim ciues Romani distributi erant in XXXV. tribus, et in titulis lapidum semper tribus, in quam quisque erat relatus, nomini cuiusque primis literis notata adiciebatur, ex eo tam frequenti item vsu factum est, vt quum mutatio quaedam euenisset in pronuntiatione et
 scriptura

scriptura vnius e IV. illis vrbanis tribubus, ea tamen etiam tunc pristinam suam notam trium literarum in Lapp. retinuerit, quamuis plene scripta tertiam istius notae litteram non amplius agnosceret. De *Suburana* tribu loquor, quam olim *Succufanam* a succurrendo dictam praeter Varronem sensit et Verrius apud Festum, eique *rei indicio esse, quod adhuc* (quum scil. *Suburana* iam diceretur) *ea tribus per C. litteram, non B. scribatur.* Nempe quum tribus literis notatur, C. tertiam ostendit, ut ait Quintil. I. 12. hoc est, designatur in monumentis lapidum, quae etiam nunc obuia, per has literas SVC. quia istic ab vltimatissimo et antiquissimo more quo semper antea istis literis notata fuerat, non ita facile, ut in vulgari sermone, recedere vel poterant vel sustinebant. Legendo tamen *Suburanam* vocabant. Qua etiam re tandem effectum est, ut nonnulli solummodo pronuntiationi adtendentes, et antiquitatis vsum in scribendo ignorantes, etiam in Lapp. B. ἀπὲ τοῦ C. usurpauerint, ut in quibusdam inscriptionibus, non tamen antiquis valde, videre est.

Similiter prae nomina Romanorum paucissimis literis, pleraque vna tantum vbique signata occurrunt, maxime quae frequentissimi erant vsus. Inde factum est, ut quae pene omnium erant vltimatissima, *Gaius* et *Gnaeus*, (ut ego haec legenda, et liquidem integre etiam scribenda censeo) tamen non per G. sed C. occurrant notata. Antiquissimi enim ignorabant figuram τοῦ G. eius vero vim et sonum per litteram C. efferebant, quae potestate, ordine, et forma quoque Graeco Γ respondebat, vnde et *Gammae vice prius functam* ait Ausonius in Idyll. de literis. Voluit idem Festus in V. *Prodigia*, sed obscurius paulo, ideoque minus intel-

lectus a viris doctis. *Prodigia*, inquit, *quod praedicunt futura, permutatione G. literae, nam quae nunc C. appellatur, ab antiquis G. vocabatur, vbi mirifice haesitat Ant. Augustinus, et nescio quae, certe a Festi mente alienissima comminiscitur. Sensus est, prodigia a praedicendo, vel prodi- cendo, vt vult Aug. denominata esse, facta per- mutatione G. literae in locum C. qua vsi sint anti- qui, qui non habentes figuram literae G. eius G. tamen sono extulerint et vocauerint eam lite- ram quae nunc vulgo C. appellatur, et pronuncia- tur vt Graecum K. seu vt idem ait in V. *orcus, per C. literae formam, nihilominus G. vsurparint. i. e. pronunciarint. Vnde et Victorinus de Orthogr. apud illos C. et nomen habuit G. et vsum praestitit. Ipsam enim G. literam sero Romani acceperunt a Sp. Caruilio demum inuentam, quum iam C. literae sonus a τῷ γάμμα ad τό κάππα desciscere coepisset. Plutarch. Quaest. Rom. n. 54. ὅτε ἐχρή- σαντο τῷ γάμμα, Καρβελίῳ Σπυρίῳ προσεξευρόντος: Sero vsi sunt litera G. quum Sp. Caruilius eam inue- nisset. Intelligenda enim Graeca de figura literae G. nam sonum eius, seu τοῦ γάμμα, antiquitus sub figura literae C. habuerunt. Quod de Sp. Caruilio Plutarchus, idem de eo Scaurus et Victo- rinus Grammatici testantur. Eum autem Petrus Ciacconius vir doctissimus ad Duilianam inscri- ptionem, in qua semper istic loci, vbi posteriores G. posuissent, C. exaratum inuenies, suspicatur fuisse illum ipsum, qui primus Romae diuortium fecisse traditur circa annum V. C. 520. At ego existimem potius fuisse illum libertum, qui pri- mus in ea vrbe γυμνασιοδιδασκαλῶν ludum litera- rium aperuisse dicitur a Plutarcho Quaest. 59. Ergo quum prisci scriberent Caius et Cnaeus, quod**

illis

illis idem in pronunciando erat, ac si Graece scriberetur Γαίος et Γναίος, ut etiam fit a Graecis scriptoribus, ea praenomina, siquidem primis tantum literis signarentur, per C. et CN. notari olim debuerunt. Et ita factum, ut hae notae, quia tam crebro in omni monumentorum genere occurrerent, quum essent quamplurimi, qui istis praenominibus appellarentur, retentae fuerint, etiam postquam inuenta fuit litera G. quando C. nullum amplius locum habebat in vocabulis, quae *Gaius* et *Gnaeus*, legebantur, immo et scribebantur, siquidem scriberentur integre. Vnde et Paulus vel Festus, secutus in eo haud dubie Verrium suum, de utroque praenomine non in C. litera, sed G. egit, quos summa iniuria tam acriter propterea exagitat Ant. Augustinus. Nec enim Quintilianus tradit, *Caium* scribi, dici vero *Gaium*, sed *Gaium* C. litera Notari, nec *Gnaeum* eam literam in praenominis *NOTA* accipere, qua sonet. V. l. I. c. 12. Manifeste agit de notis horum nominum, non integra scriptura, quae cum enunciatione conveniebat, haud dubie aequae ac eorum, quae ibi porro memorat. Scilicet *Consules*, et *Suburana* tribus, quamvis alienioribus significantur notis *COSS.* et *SVC*; nemo tamen erit opinor, qui dubitet, quin illa, si plene perscribantur, usitatas in pronunciando literas tertio loco recipiant et recipere debeant.

Non putem itaque *Cossum*, si cognomen suum in hoc spoliorem titulo inscribi, idque a posteris intelligi voluisset, his tribus tantum literis fuisse usurum, quae isthic loci positae ex vulgarissimo inscriptionum more *Consulis* vocabulum potius, quam quicquam aliud notare cuilibet viderentur, et proinde omnes ad legendum hunc titulum ac-

cessuros vel in haesitationem vel in errorem inducerent; immo ex ipsius Clar. Rutgersii sententia, ipsum Augustum principem reuera doctiss. et qui minime ignorabat A. hunc Cornel. Cossi cognomen habuisse, reuera induxissent, de Consulari illas dignitate perperam, vt credit, exponentem.

Quo accedit, quod non solebant veteres paucis literis notare cognomen, siquidem integre scripserant nomen gentilitium. Quia hoc quum constans esset et perpetuum inter omnes gentiles ac posteros, ideoque omnibus notius, facilius multo cognosci poterat concise scriptum ex addito plene cognomine, quam ex Gentilitio cognomen, quod saepissime in posteris, saepe etiam in vno homine mutabatur, ac nouum plane ideoque etiamnum incognitum plerisque erat. Sic in aliquot fistularum plumbearum titulis apud Gruterum. p. 182. et 183. C. IVN. SILANO. M. LICIN. LVCVLLO. L. IVN. CLARO. ET. AVR. SEVERO. COS. SEX. AVR. ANVLLINO. COS. aliaque. In nummis L. H. TVB. exponendum esse L. *Hofilius Tibulus* contra virum doctissimum, qui aliter sentiebat in nupera mea Dissertationum triade abunde probavi. Sic in iisdem Q. CAECIL. NIGRO. Nempe Caeciliae gentis nomen celeberrimum erat, et idcirco istis tantum literis in argento publico factis superque significari poterat. At *Nigri* cognomen obscurius et ignotius, ideoque integre scriptum. Immo hinc in gente Caecilia *incognitam Nigrorum familiam restitui*, ait Clariss. Patinus, cuius nullum vestigium sit apud Veteres. Et sequitur vir summus in Dissert. de Numism. Praest. p. 521. At o praeclari, ποῦν ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόν-

των?

των? Ignotum omnino ex veterum scriptis illud esse cognomen? Meminit utique *Caecilii Nigri* Auctor B. Hisp. c. 35. sed et huius ipsius *Q. Caec. Nigri* hominis Siculi, aequae ac qui illi in nummis adiungitur *C. Heius*, Plutarchus in Cicerone, Asconius Pedianus argumento in diuinationem Ciceronis; immo contra eum Cicero illam ipsam orationem de Accusatore Verris constituendo dixit. Quod si quis duo haberet cognomina, plerumque prius et antiquius, utpote notius, imperfecte, posterius ac recentius perfecte in exiguo illo numerorum spatio scriptum reperitur, ut apud Pighium in Annalibus. M. MAX. M. F. MESSALA. L. LENT. L. F. CAVDINVS. et alia. Quapropter quum et *Corneliae* gentis nomen esset clarissimum, et iam ante *Cossum* Flamines, Decemuiros, Consulares, ac Triumphales viros dedisset, *Cossi* vero cognomen vel ab illo demum, vel a paucissimis et proximis ante illum (nam Ser. Cornelium Consulem an. 268. quem alii *Maluginensem*, Diodorus Siculus in rebus Romanis et maxime Magistratum nominibus sublestissimae fidei scriptor *Cossum* vocat) inceperit, nec longo post eum tempore iterum desierit, existimem omnino, si locus in his spoliis angustior fuisset, quam ut omnia *Cossi* nostri nomina integre scripta caperet, potius A. CORNEL. COSSVS, quam A. CORNELIVS COS. in iis inscriptum fuisse; nisi ad tuendam clariss. viri coniecturam statuere velimus omnia eius nomina, propter arctius forte spatium pariter paucis fuisse literis notata, hoc modo A. CORN. COS. sed tamen etiam sic putem vitaturum fuisse *Cossum* summam, quae est in τω COS ambiguitatem, cum id fieri posset duabus tantum literis adiectis, quia illa aetate li-

teras non geminarunt adeoque vnico S. hoc Cossi nomen tunc haud dubie fuit scriptum.

Videtur itaque praesertim quum et allegata superius Liuii auctoritas, vtrumque et cognominis et Consularis dignitatis vocabulum Spoliis inscriptum satis superque ni fallor, testetur, aliud quid comminiscendum, vt occurramus D. Augusto, et ex eius sermone Liuius nostro, fidem antiquitatum omnium ex hoc spoliolorum titulo oppugnanti Sed quoniam nulla superest via, quae certa et liquida ratione ad verum in re tam antiqua nos ducere queat, coniecturis agendum. Nempe non putem hunc titulum, quem Augustus vidit, ab ipso Cosso spoliis inscriptum, quamuis id Liuius, sed non nisi item coniectura, plane incerta, si non potius sola adulatione Caesaris, ad eius sententiam confirmandam adductus prodere videatur, dum *recentibus spoliis* ab auctore pugnae inscriptum memorat. Etenim apud antiquissimos Romanos, fatente alibi ipso Liuius vt cap. V. ostendi, rarissimus erat literarum in publico vsus, adeo vt etiam annorum ac temporis memoriam, non literarum scriptura, sed clavis in aede sacra fixis conseruarent; vnde verosimile non videtur, apud eos illo iam tempore, tam prisco et impolito adhuc ac simplice, immo nec antequam extra Italiam cum Poenis bella gerere coeperunt, huiusmodi rerum gestarum splendida ac gloriosa elogia in publico loco vsitata fuisse. Certe Duiliana inscriptio ab ipsis veteribus ad demonstrandam obsoletam maiorum suorum scripturam tanquam vetustissima, quamuis Cossi tamen aetate duobus ferme seculis posterior, adfertur. Atque hinc antiquissima Urbis Romanae numismata, vt et illustrium illius temporis hominum imagines ac statuae sine nominibus, titulis, ac

sub-

subscriptionibus fuisse reperiuntur, quamuis tamen
 deinde cum mutae imagines, quomocunque ex-
 pressae et vbicunque positae, non satis valerent
 memoriam eorum, quos referebant, conseruatam
 posteritati tradere, paulatim addi illis coeperint
 sola fere nomina, ac saepe etiam praecipui vel su-
 premi honoris, quem viui gesserant, mentio, et
 tandem, vt nihil pene rerum humanarum tenui
 illo initio, vnde coepit, stare ac manere solet, ad-
 crescente in hominibus gloriae studio, etiam tituli
 non iam nominibus modo, sed et omnibus Magi-
 stratibus ac sacerdotiis, tum praecipuis rebus ge-
 stis, quantum loci spatium permittebat, ordine
 memoratis locupletati fuerint. Ea vero consue-
 tudo cum ciuitatem inuaderet, non illa suae tan-
 tum, sed et maiorum suorum, maxime qui prae-
 clara laude ac gloria prae ceteris commendari pos-
 sent, memoriae istiusmodi inscriptionibus in omnium
 animis renouandae ac aeternum retinendae consu-
 lere studuit. Quid enim? Ex tot *falsis imaginum*
titulis, de quibus passim ipsi Veteres queruntur,
 nonne manifestum est, eos longe post demum ima-
 ginibus priscorum hominum subscriptos. Nam quis
 sanae mentis recenti adhuc re, et viuis etiamnum,
 qui se redarguere possent, publice ausus fuisset eos
 mendaci honorum ornamento refertos proponere?
 Aemiliani Scipionis statuae decus obsidionalis co-
 ronae in Africa acceptae Augustus demum adscripsit.
 Plin. XXII. 6. Etenim eius statua antiquitus posita
 ad Opis *nihil habuit aliud inscriptum nisi CENSOR*,
 vt illa quae ad *πολυδευκας* seu ad Pollucis aedem,
 COS. quam eiusdem esse, cuius superior ista, non
 ex longa omnium nominum et praecipue cogno-
 minum atque honorum adscripta serie, sed ex *statu*,
amictu, annulo, et imagine ipsa probat Cicero ad

Atticum VI. I. quo confugere non foret necesse, si cuius fuisset, subiectus index aperte declarasset. Haud dubie inscripta hoc modo, *P. CORNELIVS. P. F. P. N. SCIPIO. COS.* Id. V. quia conueniebat etiam in alios ex ista Scipionum familia, putabat Scipio Metellus statuam illam esse proauis sui P. Corn. Scipionis Nasicae Serapionis. Ex quo illius errore satis patet, neque *Africani*, neque *Aemiliani* cognomina addita, neque etiam secundum eius Consulatum, aut quicquam aliud Aemiliani honorum ac decorum, quae multa fuerunt, et quorum vno praeter Consulatum adscripto, iste Metelli error vitari facile potuisset. Et Cicero, cum eum refutaret, sola alterius illius, quae ad Opis erat posita, subscriptione utitur, quae et ipsa *nihil aliud, nisi tantum, Censorem* eum fuisse, declarabat, quod de Nasica Serapione dici minime poterat, qui Censor nunquam fuerat. Metellum vero Statuis maiorum suorum pleniore subiecisse titulos, et quibus ab aliis distingui possent, ibidem Cicero significat, quum eum in Aemiliani imagine *subscriptionem Serapionis*, hoc est, quae ei proprie conueniret, incidi curasse tradit.

Similiter itaque quum istae inscriptiones Romae iam frequentarentur, putem posteros quoque Cossi voluisse rem tam illustrem, et ad suam gloriam maxime pertinentem, memoriae suorum ciuium mandare, publico et haud facile perituro literarum monumento, et omnium etiam infimorum hominum, qui historias non legerent, oculis publice in templo exponere, in ipso thorace inscriptam. Et forte ei rei occasionem illis praebuerint tertia opima spolia a Marcello relata, et, ut credibile est, pro more tunc iam usitato, non sine titulo rem gestam breuiter declarante Ioui Feretrio dedicata

dicata. Adiecerunt vero mentionem Consulatus, non ut significarent, quod inde colligebat Augustus, eum quum Consul esset, opima ista spolia cepisse, sed eum A. Cornelium Cossium, qui et Consulatum gesserat, Magistratum in vrbe Roma inter ordinarios summum, amplissimumque. Fuerit itaque ex mea sententia in hunc modum a posteris illa thoracis inscriptio facta:

A. CORNELIVS. M. F. COSSVS. COS.
 SPOLIA. OPIMA. CÆSO. IN. ACIE
 LARTE. TOLVMNIO
 REGE. VEIENTIVM. IOVI. FERETRIO
 DEDICAVIT.

At ambigua tamen est aliquantum ex illa Consulatus mentione huius tituli sententia. Quis negat? Num adeo abhorrere illud videretur ab ista consuetudine, qua multi tunc temporis etiam falsis titulis, nedum ambiguis, maiores suos honestare studuerunt. Verum ego tamen crediderim hanc ambiguitatem non captatam, sed potius vel non animaduersam, vel certe spretam et neglectam. Id enim tantummodo agebant tituli huius Auctores, ut hoc populum docerent, quis ista spolia, non quando, cepisset. Hoc si quis rerum antiquarum studiosior insuper scire expeteret, eum neque breui isto titulo contentum fore, sed potius ut oportebat, vetustos Annales consulturum non dubitabant, ex quorum constantissimo consensu res erat clarissima, nec vllum erroris periculum.

Praeterea stabat pro illa inscriptione mos solennis Romanorum. Etenim quoniam Consulatus, ut Fastis et Annis nomina, sic Consulibus ipsis maximam gloriam et aeternam memoriam dabat, idcirco neque facile vllō in titulo vel columnarum

vel imaginum vel cuiuscunque tandem rei, cuius quam, qui Consul fuisset, elogium exprimebatur, quin eius nomini istud supremi honoris atque imperii vocabulum adderetur, etiamsi res gesta, quae subiiciebatur, vel ante vel post Consulatum evenisset. Sic etenim et inscriptio illa L. Pauli, quae item a posteris demum Aemiliae gentis composita est, eiusque nomini addit *Consul II. Censor Augur, Triumphavit Ter*, nimio liberaliter, non ita interpretanda est, tanquam si eius Auctores voluerint Paulum vel in secundo Consulatu, vel post tres duxisse triumphos. Primum enim illi ipsi, qui tres ei tribuunt, ex Praetura, cuius nulla tamen in eo titulo fit mentio, et antequam priorem adipisceretur Consulatum, egisse sentiunt. Ita M. Aufidius Fronto, qui Consul fuit A. V. 952. in Epitaphio filii sui apud Gruterum pag. 369. se *Frontonem Consulem* vocat, quod eodem modo exponendum est in ipso, quo in patre eius et avo, quorum nominibus itidem illud vocabulum in eodem lapide adiicitur. Nempe illum non ipso Consulatus sui anno hoc monumentum filio posuisse, sed simpliciter Consulem fuisse, atque ita significasse filium suum fuisse Consulis filium, nepotem, pronepotem. Porro similis fere est Plautii Sylvani inscriptio, nisi quod non enunciantur omnia vno verborum tenore, sed separata constructione, apud Gruter. p. 452.

M. PLAVTIVS. M. F. A. N.

SILVANVS

COS. VII. VIR. EPVLON.

HVIC. SENATVS. TRIUMPHALIA

ORNAMENTA DECREVIT

OB. RES. IN. ILLYRICO

BENE GESTAS

Trium-

Triumphalibus enim donatus est hic Plautius diu post Consulatum ipsius. Certe Consularem in Illyrico res gessisse aliquanto tempore post, aperte tradit Velleius II. 172. In his itaque omnibus *Consul* notat solummodo hominem Consularem, qui Consul fuit, neque simul tempus aut annum Consulatus designat.

Atque ita eam vocem P. quoque Scipionem Nasicam in inscriptione donarii sui in Capitolio Diis dedicari, quum summi istius Magistratus mentionem in ea expressam voluit, accepisse censeo, quamuis Liuius in eo haesitasse videatur. Dicit enim XXXVIII. 35. *Eo anno seiuges in Capilio aurati a P. Cornelio positi, Consulem dedisse inscriptum est.* Ex quo huiusmodi haud dubie fuit inscriptio:

P. CORNELIVS. P. F. SCIPIO. COS.
DONVM. DEDIT

At eo anno Consules erant M. Fulvius et Cn. Manlius; P. autem Cornelius duobus iam annis ante fuerat. Non ergo se, quum Consul esset, sed qui Consul fuerat, donum illud dedisse, isto vocabulo significare voluit. Non ignoro equidem differentiam esse aliquam inter *Dare* et *Dedicare*, ac aliquando euenire, vt alius det, ac donet quippiam Diis, alius dedicet, ac *Dare* eum proprie cenferi, qui sua impensa et voluntate conficiendum curauit, vt pluribus ad Valer. Max. I. 4. 8. ostendam. Sed tamen, si rem vere ac diligenter spectemus, tum demum dari donum Diis recte dicitur, quum in templis eorum ponitur, ac dedicatur, quoniam in omni donatione (si quid ea differt a datione, vt volunt, quum in iure Ciuili non pro modo, sed causa alienandi et acquirendi domini habetur) vltimum semper est ipsa illa datio, seu traditio.

Certe

Certe in dono, quod Diis datur, cum idem homo, qui dat, etiam dedicat, manifestum est, non aliud statui posse tempus, quo vere ac proprie *dare* illud dici queat, quam quo dedicat: nam antea habuit tantum voluntatem dandi vel liberam, vel voto obligatam. Quod si vel ipso morte praerepto, vel viuo ac volente alius dedicat, tamen etiam tunc non ante, quam in templo ponitur donum, dedisse, et quidem per illum qui dedicat, existimari et dici debet. Clarissimum ex his, quando P. Cornelius feiuges illos auratos *dedisse* sit censendus, nempe eo ipso tempore, quo in Capitolio eos posuit ac dedicauit, hoc est, secundo post Consulatum anno, atque ita Consularis dignitatis vocabulum non pertinere ad τὸ *Dedit*, neque adhibitum esse ad signandum tempus, sed tantum ad describendum simpliciter a gesto illo honore P. Cornelium. Haelitasse igitur, vt dixi, in hac quoque inscriptione interpretanda videtur Liuius, dum notatu dignum censuit, quod ea *Consulem dedisse*, inscriptum habeat, quum tamen P. Cornelius non quum Consul esset, (vt illum isthaec verba, dum ea ita coniungit, quae tamen insensus inuestigatione erant separanda accepisse apparet) sed demum duobus iam annis post Consulatum *dederit*, ac in Capitolio posuerit. Neque mirari valde hanc vetusti Auctoris hallucinationem conuenit, quum eodem modo in explicanda spoliolorum Cossi inscriptione (nam et in ea *Consul* non referendum, vt ille facit, ad τὸ *dedicauit*, sed ad *Cossus*) secutus August. cespitauerit: quae etiam res hoc in primis exemplo vicissim maiorem, vt puto, merebitur fidem.

Et tamen miror aliquantulum, quum et alii et ipse aliquando Consules ac Praetores vocet homines

nes

nes Consulares ac Praetorios, et maxime Proconsules ac Proprætores, quorum Consulatus et Præturæ annus iam fuit exactus. Vellei. l. 8. de L. Paulo. *Qui et Prætor et Consul triumphauerat*; Atqui certum est, eum non Consulem sed Proconsulem triumphasse, et si etiam ex Hispania, quam Prætor obtinuit, triumphum egit, non tamen id ante fecisse potuit, quam secundo post finitanti Præturam anno, quoniam tunc demum, prorogato ei bis imperio, inde Romam rediit. Lilius ipse in Oration. Saguntinorum ad Senatam, XXVIII. 39. *Quum in Italia tam atrox bellum et Hannibalem hostem haberetis, Consules cum exercitu in Hispaniam misistis. P. et Cn. Cornelii, ex quo in prouinciam venerunt, nullo tempore destiterunt, quæ nobis secunda, aduersa hostibus nostris essent, facere.* At necdum ullus Consul tunc temporis in Hispania fuerat, sed quoniam P. et Cn. Cornelios Scipiones, fratres intelligi patet, de iis, vt res se habeat, breuiter dicam. Publius Consul Hispaniam ex Scto alteri Consulatum decretam sorte accepit, antequam bellum aut Hannibal in Italia esset. Verum cum is, priusquam ipse in Hispaniam abiisset, aduentaret, toto Consulatus sui anno in Italia retentus est, et Gnaeum fratrem in Hispaniam misit. Postea prorogato POST Consulatum imperio ab Senatu missus (Liu. XXII. 22.) cum nouis copiis in eam prouinciam venit. Frater autem Gnaeus tantum abest, vt Consul tunc fuerit, quum in Hispaniam est missus, vt ne quidem Consulare habuerit imperium, sed tantum Legatus fuerit Publii, adeoque non alia ratione Consul vna cum fratre potuerit a Saguntinis appellari, quam quia aliquandiu ante fuerat. Sic et lib. XXVI. c. 33. *In consilio arbitror me fuisse Consulibus Capua capta.* Intelliguntur Fuluius et Clau-

Claudius, qui Capuam ceperunt, non in, sed ex Consulatu. Lib. XXXI. c. 49. *Ludi a P. Corn. Scipione, quos Consul in Africa vouerat, magno apparatu facti.* Non potuit hos vouisse anno, quo Consul fuit, quippe qui post Consulatum demum prorogato Imperio Proconsul in Africam venit. Ita porro et Cic. de Offic. III. 26. *M. Atilius Regulus cum Consul iterum in Africa ex insidiis captus esset duce Xanthippo.* Non potuit neque ille captus esse, quum adhuc Consul esset, siquidem quam plurimas antea res gessisse legitur, neque tamen initio anni Consulatum iniit, sed in alterius locum fuit successus. Quin aperte Valer. Max. IV. 4. 6. scribit, prorogatum ei fuisse ob gestas bene res imperium in proximum annum, quamuis literis ad Consules sequentes datis successorem petierit: Quod haud dubie etiam Liuius tradidit lib. XVIII. vt patebit, si eius Epitomen cum Valerio conferas. Immo lib. XXVIII. c. 4. docet Regulum neutiquam primo accessu ad Africam offendisse, sed res egregias *primo anno* gessisse; certo argumento, captum esse demum ex Consulatu, seu secundo anno, postquam in Africam Consul venerat.

Caeterum ille vocabuli vsus iam olim in Inscriptionibus ita frequens fuit, vt deinceps Imperatorum Augusti nominis titulis adderetur semper non modo mentio simpliciter Consulatus, sed et eius saepius repetiti numerus, etiam illis annis, quibus Consulatum non gerebant, et ab aliquo tempore non gesserant, vt adeo ex eo solo nihil omnino statui possit de anno positae Inscriptionis aut gestae rei, quae in eadem memoratur. Proinde grauius errauit doctiss. ceteroqui Seldenus ad marmora Arundeliana, quum in Graeca Inscriptione,

ne, quae Hadrianum *δημοκρατῆς ἑξοσίας τὸ Ι. ὑπατον τὸ Γ.* dicit, emendandum censuit numerum priorem I. in Γ. quoque, quoniam cum Consul *tertium* esset, etiam Tribuniciam potestatem *tertium*, non *decimum* ceperit. At vero idem ille Hadrianus in Onufrii Fastis Anno 882. in alio lapide est *Trib. Pot. XII. Cos. III.* Et sic semper post tertium Consulatum, quo plures non gessit. Notabilis etiam est Lapis apud Gruterum pag. 246. in quo laudata res ante annum expressi ibidem Consulatus facta est, ut in spoliis Cossi. Posuerunt eum *Traiano Trib. Pot. VII. Cos. V. Tribus XXXV. quod libertate Optimi Principis commoda earum etiam locorum adiectione ampliata sunt.* Nam ne putemus adiecta esse Populo R. in spectaculis loca a Traiano in Consulatu eius quinto, Plinius in Panegyrico, quem dixit anno, cuius initio Traianus Cos. III. fuit, iam tum hoc nomine eum laudat cap. 51. *Populo locorum quinque millia adiecisti, ubi videsis Lipsium, qui et ipse de eadem Inscriptione agit.*

Sed maxime cum spoliis Cossi, eorumque titulo congruit Nummus M. Aemilii Lepidi, qui est apud Vrsinum octauus, seu ultimus in prima tabula gentis Aemiliae. Praefert is ab vna parte effigiem et nomen *Alexandreae*, ab altera *M. Lepidi*, addito PONT. MAX. TUTOR REG. S. C. Nempe sicuti in spoliis Cossi ex eo, quod dicitur *Cossus Consul* ea cepisse, non passi sumus inferri, Consulem tunc fuisse Cossium, quum ea spolia caperet, sed cepisse ea Cossium illum qui postea etiam Consul fuit; ita neque hinc existimandum, M. Lepidum, quum tutor esset Ptolomaei Epiphanis Regis Aegypti, fuisse Pontificem Maximum, sed tutorem Regis fuisse eum, qui postea in Vrbe Roma etiam Pontificatum Maximum, praecipuae dignita-

dignitatis munus, obtinuit Etenim mortuus est Ptol. Philopator, Epiphaneis pater An. V. C. 550. quo vel sequente anno rogatu Alexandrinorum ex Scto. M. Lepidus destinatus fuit tutelae Regis pupilli, cuius regno inhiabant Antiochus Syriae, et Philippus Macedoniae Reges. At XXIII. anno post idem Pontifex Max. factus est, et in viuis etiam esse desit Epiphaneis, vt adeo Lepidus nequam hoc et illud simul fuisse potuerit, licet in nummo coniungantur. Porro quemadmodum titulo spoliatorum Cossi non recte intellecto deceptus videtur Augustus, sic etiam Valerius Maximus huiusmodi nummorum inscriptione potest fuisse in errorem inductus, vt putaret vere M. Lepidum post acceptum iam Max. Pontificatum, et cetera dignitatis honorumque ornamenta ad tutelam Regis gerendam fuisse designatum. Nam ita eum sensisse, clarissimum ex eius verbis, quibus ait VI. 6. *Senatum misisse M. Lepidum Pont. Max. bis Consullem, et voluisse amplissimi et integerrimi viri sanctitatem Reip. usibus et SACRIS compertam externae procurationi vacare.* Non recipiunt haec benigniorem illam interpretationem, quam nunc saepe adhibuimus, et qua Plutarcho forte rectius succurri posset. Tradit ille in lib. de Fort. Rom. Metelli Macedonici summam felicitatem extollens, elatum eum *ὑπὸ τεσσάρων παίδων ὑπατικῶν, καὶ δύοῦν γαμβρῶν ὑπατικῶν, a quatuor filiis Consularibus, et duobus generis Consularibus.* At ita excusari nequit, si summo iure agas, siquidem quo tempore Macedonicus elatus est, tantum tres eius filii Consulares erant. Sed ille, quia omnes ad Consulatum peruenerunt, et ita vere fuerunt ὑπατικοί, licet vltimus non nisi altero post mortem patris anno, et praeterea ad felicitatem viri vel maxime pertinere

pertinere censuit, omnes eius filios, numero quatuor, ad summum Urbis Romae imperium prouectos, illud hac loquendi ratione, licet, si, vt dixi, summam veritatem exigas, minus accurata, videtur significare voluisse. Generorum alter Seruilius Vatia fuit, Isaurici pater, alter Scipio Nasica, Serapionis filius, qui et ipse non ante quartum a Macedonici morte annum inter Consulares numerari potuit. Seruilius quando, et an vnquam Consulatus insignia fuerit adeptus, nunc sane ignoramus, et valde vereor, ne Plutarchus extollendi studio, vt fit, abreptus, quod de quinque dici vtcunque poterat, de omnibus sex tum generis tum filiis Metelli pariter enunciando, imprudens a debita fide et veri cura deflexerit.

Superest controuersia inter Eruditos agitata de anno, quo Augustus *Patris Patriae* appellationem acceperit. Ea quoque huc pertinere aliquo modo visa est, quoniam sunt, qui nummos et lapides de illa agentes in concordiam redigendos censent, eo quod posteri nummis quibusdam istam appellationem adiecerint, in quibus ratio temporis eam non admittebat. Onufrius in Fastis, Wolfg. Ladius in Comment. Vetustorum Numism. Casaubonus ad Sueton. Aug. et Rupertus ad Reinesium Epist. XXVIII. ad Consules Valerium Messalam, et Corn. Cinnam referunt, qui annus est ab V. C. 758. At Goltzius iam annis XXXIII. ante, quando Augustus ipse Consul v. fuit, id factum, probare ex Nummis contendit. Sententiae eius refragari existimat Rupertus fragmentum Calendarii apud Gruter. pag. 136. quod quia nostra cura atque interpretatione indiget, dignum est, vt hic exhibeatur integrum: NON. N. CONCORDIAE. IN. ARC. FERIAE. EX. S. C. QVOD. EO. X DIE.

DIE. IMPERATOR. CAESAR. AVGV-
STVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIB.
POT. XXI. COS. XIII. A. SENATV.
POPVLO. QVE. ROMANO. PATER.
PATRIAE. APPELLATVS. *Pro Onufrio*
stare hoc fragmentum ait Rupertus pag. 133. haud
dubie, quia ex eo liquere sentit Augustum *Pa-*
trēm Patriae demum appellatum, quum iam Con-
sul XIII. esset, vel fuisset. Sed ad euadendam
hanc obiectionem eadem ratione, qua saepius iam
fuimus vti, responderi pro Goltzio posset, Au-
gustum toties Consulem iam fuisse, quum illud in
Fastis ad eum diem adscriptum est, non quum pri-
mum *Pater Patriae* appellatus fuit. Sed dici haec
quidem possent, speciose forsā, non tamen vere,
vt mox patebit. Ceterum hoc fragmento mani-
festius multo euerti certum est illorum senten-
tiam, qui initium istius appellationis in hoc Im-
peratore reiiciunt in annum 758. quo anno ille
Tribuniciam potestatem non XXI. sed XXIII. ha-
buit: id quod animaduertisse debuisset Rupertus,
qui isto fragmento contra Goltzium pro Onufrio
pugnat. Nam Onufrius, quem ille isto in errore
vna cum ceteris sequitur, permotus videtur, vt
in annum L. Valerii Messalae Volusi Consulis, fa-
ctum illud conferret, eo solo, quod Sueton. cap. 58.
dicit, Senatum *per Valerium Messalam*, mandanti-
bus cunctis, Augustum Caesarem salutasse *Patrem*
Patriae. At etiam annus 721. ex eadem familia
Consulem habuit M. Val. Messalam, et copte anno
Augustus Tribuniciam potestatem XXI. cepit. Sed
tamen non illo, verum sequente demum anno Con-
sulatum XIII. gessit. Nempe Consulatus inibatur
Kalendis Ianuariis, at Tribunicia potestas a. d. V.
Kal. Iulias, ideoque et superioris anni extremo,

et

et huius initio, XXI. ea potestate praeditus fuit Augustus. Ergo ut ex illo fragmento Suetonium, et ex utroque rem ipsam illustremus, haud dubie honestissima illa *Patris Patriae* appellatio a Senatu collata fuit Augusto initio anni 752. quo ipse erat Tribuniciae potest. XXI. Cos. XIII. quod congruum fragmento. Eamque ad rem adhibuit Senatus M. Val. Messalam superioris anni Consulem, et praeterea eo nomine *ferias eo die* quotannis constituit, sacrum ut fieret *Concordiae* in templo, quod in *Arce* habebat, quoniam res haec gesta *repentino maximoque consensu*, ut ait Suetonius, seu ut Messala, *consentiente Senatu cum Populo R.* cui proinde respondens Augustus precatur, ut *hunc consensum* illorum ad ultimum finem vitae perferre sibi liceat.

Dixi initio anni hoc factum, quia numerus Tribuniciae potestatis id postulabat, immo factum ipsis Nonis Februariis, ut patet ex Ouid. II. Fast. ubi discrete hunc diem ea de causa pulchris versibus celebrat. Quid vero haec fragmentum? Rupertus sane censet illud ab Ouidio dissentire, quoniam non *Nonas Febr.* sed *NON. N.* adscriptas habeat, interpretatus illas literas, ut apparet, *Nonis Nouembribus.* Absurde prorsus; quasi singulis diebus Nomen vel Notam mensis appingi in Fastis opus esset, nec sufficeret, si, ut fit, (Vide inscript. Grut. pag. 133. et 134) primo die, seu Kalendis ipsis exprimeretur. N. itaque in hoc fragmento non mensem *Nouembrem*, sed diem *Nefastum* denotat. Paulus ex Festo: *Nefasti dies N. litera notantur.* Atque ita solet in Kalendariis. Videtes eorum fragmenta apud Gruterum, et imprimis elegantissimum illud Cardinalis Maffei, in quo et Maii et Iunii Nonis eadem litera adiicitur, immo

singulis diebus vel C. quo *Comitalis*, vel F. quo *Fastus*, vel N. quo *Nefastus*, vel NP. quo non, vt ibidem pag. 133. Gruterus exponit, *intercisus seu Ater*, qui et ipsi sunt diuersi inter se dies, sed *Nefastus parte*, vel potius *Principio*. Nam vt de his diebus canit Ouid. I. Fast.

Qui iam Fastus erit, mane nefastus erat.

Vel denique EN. quo *intercisus* dies significatur, qui mane et vesperi Nefastus, medio tempore Fastus. Sunt autem in mense Februario plerique dies Nefasti, nullus omni parte Fastus, et ipsae Nonae a purgationibus, quae causa nominis nefastorumque dierum huic mensi, proprie *Februatus dies*, teste Varrone V. de Ling. L. vocabantur, quoniam tunc Rex sacrorum Feras menstruas edicebat. Et ne quis putet, a Nefasto die abhorreere Feras, sciendum eas saepissime, vt et sacra ac Ludos istis diebus, qui per se nec atri nec religiosi sunt, fieri.

Sed, vt e diuerticulo redeam, constituto iam non solum anno, sed et die, collabitur Goltzii quoque opinio, cui tamen etiam Suetonii locus, quem nihil sibi obesse putat, vel maxime, mea sententia, obest, eo quod illic Messala, cuius *ipsa verba*, vt et Augusti respondentis se retulisse profitetur Auctor, imperatorem alloquitur his verbis, *Caesar Auguste*. Iam vero hunc nouo prorsus et inaudito antea *Augusti* cognomine aliquandiu post quintum eius Consulatum ex SCto in Munatii Planci sententiam facto honoratum fuisse, satis constat ex Dione et Censorino, qui discrete non modo ad septimum eius Consulatum, sed et diem XVI. Kal. Febr. eius anni id refert. Quid ergo statuendum de nummis, quos Goltzius allegat, et
qui

qui Augustum etiam ante XIII. Consulatum ad quintum vsque hoc *Patris Patriae* titulo insigniunt? Putat Rupertus Epist. XXXIV. pag. 219. hos nummos a posterioribus Imperatoribus restitutos, id quod factum multis aliis vetustate iam pene abolitis; eosque solemnem hunc et vsitatum Imperatoribus titulum de suo adiecisse etiam illis Augusti Consulatibus, quibus nondum *Pater Patriae* appellatus fuerat. Conuenientem sane nostrae de Cossi spoliis sententiae. Nam et sic a posteris in tam breuem nummorum inscriptionem collata fuissent, quae minime congruebant in vnum tempus, atque adeo etiam inde appareret clarissime, non ita facile Historiarum fidem ex huiusmodi titulis esse sollicitandam. Sed tamen, vt simpliciter et vere loquar, nec contra animi sententiam causae, quam nunc ago, faueam, non putem ita se rem habere. Cur enim non etiam ante quintum Consulatum illi temporum vel negligentes vel imprudentes restitutores hanc *Patris Patriae* ἐπιθεσίαν Augusto dedissent? Censeam potius, quum non solum Caesar. sed et Cicero hac appellatione antea fuerit publice ornatus, eos, qui nummis his cudendis praefuerunt, priuata adulatione, nimis profecto Romae tunc vsitata, hoc honoris solummodo, non alicuius potestatis vocabulum addidisse Augusto, cum iam solus rerum potiretur. Qua ratione ego quidem semper lapidum et nummorum inscriptiones, si cum diserta et expressa scriptorum auctoritate pugnare videntur, conciliandas cum ea huiusmodi in rebus existimo, vt alibi pluribus ostendam. Multum me confirmat, quod non ante, sed statim post victum et sublatum Antonium, Consulatu demum quinto Caesaris Augusti, notae istius cognomenti in nummis expressae

apparent. Et credibile est, post eam victoriam ante Consulatum XIII. saepius hoc cognomentum ei publice priuatimque delatum esse, aequae ac Tribuniciam potestatem ante XI. Consulatum, de quo ex Dione res est certa: sed ab illo non ante receptum, quam Nonis Februariis Consulatus decimi tertii, atque ideo exinde demum in perpetuum inductum esse usum. Et notae sunt satis artes huius maxime ambitiosi Principis, dum ab ambitione alienissimus videri volebat; cui proinde nihil conuenientius, quam ut saepius antea rogatus, tunc tandem, quasi per summum istum senatus ac populi consensum, expugnari se simularet. De Cassandro Macedone testatur Plutarch. in Demetr. ipsum Regio nomine abstinuisse, quamuis τῶν ἄλλων αὐτὸν βασιλέα καὶ γραφόντων καὶ καλέντων, *alii eum Regem et scriberent, et appellarent.* Similiter de hac appellatione *Patris Patriae* in Augusto censeam ante XIII. eius Consulatum.

Sed omissio hoc tandem exemplo, quod a Rupto nobis suppeditatum ipsi reiecimus, ad alteram eiusdem Cossi, sed Magistri Equitum illustrem quoque pugnam progrediamur, quoniam et Liuius in superiore loco a nobis exposito eius meminit, et nos de ea item aliquid dicere recepimus. Quum iidem hostes Veientes ac Fidenates bellum Romanis denuo fecissent, hi eundem dictatorem Mamercum iis opposuerunt, qui Magistrum Equitum assumptum Cossam fiducia virtutis eius, cuius antea specimen illustre suo sub imperio, auspicio, ac ductu Tribunus mil. ediderat. Nec eum opinio animi frustrata est. Nam cum hostes ignibus et facibus armati prodiissent, et Romani noua et inusitata pugnae forma territi cederent, Cossus a Dictatore signo dato accitus, noua et ipse atque
infolita

infolita fortitudine Equitibus imperat, frenos vt detrahant equis. Et ita ipse Princeps calcaribus fubditis effreno equo in medios ignes illatus in fugam hostes verit. Non praetermittendus ergo hic nobis Flori error, quoniam id maxime in his Animaduersionibus agimus. Is lib. I. cap. 11. *Coffum Magistrum Eq. sub A. Postumio Dictatore*, et dein hoc strategemate, vsum in proelio ad *Regillum lacum contra Latinos* refert, et vt videtur, persuasit Auctori de Viris Illustribus, qui eandem rem in istoc proelio a Magistro Equitum, sed cuius nomen non exprimit, tradit factam.

Verum longius in hac Flori *avisoqnia*, quoniam a doctissimis viris ante nos iam eruta et enodata fuit, immorari non lubet, quum insuper propereamus ad aliud, quod, ni fallor, primi obseruamus. Frontino itaque manus admouebimus, non tamen, vt illius quoque errorem hac in re castigemus, sed libroriorum summam oscitantiam, per quam aliud prorsus Cossu contra Historiae fidem adscribitur. Locus est stratag. II. 8. vnde, vt res clarius appareat, tria exempla huc erunt transferenda.

8. *Seruilius Priscus Dictator cum signa legionum ferri in hostes Faliscos iussisset, signiferum cunctantem occidi imperauit, quo exemplo perterriti hostem inuaserunt.*

9. *Cossus Cornelius Magister Eq. aduersus Fidenates idem fecit.*

10. *Tarquinius aduersus Sabinos cunctantes Equites detractis frenis, concitatisque equis procurrere, et percurrere aciem iussit.*

Falsum est, certe a nemine alio traditum, Cossu in hoc proelio aduersus Fidenates et Veientes idem fecisse, quod in priore traditur exemplo. Neque

conuenit illud in Magiftrum Eq. qui Equitibus praeerat, non inter figna legionum verfabatur, quae ipfe Dictator in hoftem ducere solebat. Quid multa? Nullus dubito, quod de Coflo dicitur, alieno loco efle pofitum, et exemplo decimo fubiiciendum. Et ne quis putet, huiusmodi lapfus in prifcis membranif non occurrere, en geminum germanum in hoc eod. cap. paulo ante:

3. *T. Quinctius Cof. fignum in hoftes Falifcos eiecit, militesque id repetere iuffit.*

4. *M. Furius Camillus Tribunus mil. conf. pot. cunctante exercitu arreptur. manu figniferum in hoftes traxit, ceteros puduit non fequi.*

5. *Saluius Pelignus bello Perfico idem fecit.*

In poftremo hoc merae Lectorum oculis tenebrae offunduntur. Et vidi coniecturam in margine libri fcriptam viri docti manu, pro *Perfico*, quod ignoraffe videtur legendum fufpicantis *Marfico*, hoc eft, Italico et fociali, quo primas tenuerunt Marfi et Peligni. Sed falfum hoc eft, et inane prorfus. *Perficum bellum* dicitur, quod cum Rege Macedonum Perfe Romani gelferunt. Cic. de offic. I. 11. *Eum miffum factum efle a Confule, cum in Macedonia Perfico bello miles effet.* Immo in iplis Confularium Faftorum fuperftitibus fragmentis anno 182. quo coepit, **BELLVM PERSICVM** praefcribitur, vt folent iftic bellorum initia notari. Eo autem bello inuenio inter alias Pelignam cohortem in exercitu L. Pauli, quae initio pugnae aduerfus cetratos incautius congregata, pene omnis cecidit, apud Liu. XLIV. 40. 41. Nec dubito etiam hoc strategema, quod Frontinus memorat, nos ibidem lecturos fuiffe, nifi eo loci Auctor mifere mutilatus effet. Verum hunc defectum fupplet

Plutar-

Plutarchus in Aemil. vbi proelium, quo victus Perseus, referens dicit *Salium* (Gr. Σάλιος, sed legendum ex Frontino Σαλός, *Saluius*, quod frequens Romanis et praecipue Italicis nomen) *Pelignorum ductorem abiicisse raptum suorum signum in hostes*, ad quod repetendum quum illi inconsultius incurrisent, occubuisse omnes. Vides, mi Lector, erutam Historiam, quidque Pelignus Saluius Persico bello fecerit, et per te, opinor, iam intelligis, quoniam idem strategema ex 3. et superioribus praecessit, male hoc post quartum demum, quo aliud agitur, collocari.

C A P V T V I I I .

Verrii inconstantiam diuersis in locis vna de re diuersa scribentis exagitat aliquoties Festus. Veluti cur parasiti Apollonis in scena dicentent, *Salua res est, saltat senex*, aliam ille causam reddiderat libro quinto, aliam *in hoc libro*, vt ait Festus V. *Salua*, addens denique, *Quam inconstantiam Verrii nostri non sine rubore retuli*. Similem, vt putabat, Verrii a se ipso discrepantiam in Etymo vocis *suburrae* e diuersis eius libris petitam, notandam duxit; sed in quo et ipse potius errasse videretur, et praeterea ablatione vnus literae, vitata tota loci sententia, corruptus hodie editur. Verba sunt: *Suburram Verrius alio libro e pago Succusano dictam ait; hoc vero maxime probat eorum auctoritate, qui aiunt ita appellatam et regionem Urbis, et tribum a statiuo praesidio, quod solitum sit succurrere Esquiliis, infestantibus eam partem Urbis Gabinis, indicioque esse, quod adhuc ea tribus per C. litteram, non B. scribatur*. Nemo non videt, vt

haec acceperint librarii et Editores. At ego non dubito scripsisse Festum, *auctoritatem*, et sensisse, Verrium alio libro *Suburrā* a pago *succusano* deriuasse, hoc vero libro maxime probare et sequi auctoritatem eorum, qui deducant a *succurrendo*. Atque ita in vocis *Stellae* significatione similiter Ateium Capitonem dicit *secutum auctoritatem P. Seruiliū Auguris*. At vero ista etymi diuersitas ne-tiquam tanta, vt notari mereatur, immo nulla est, ideoque a librariis non agnita. Nam et pagus *succusanus* haud dubie item a *succurrendo* nomen suum accepit, quandoquidem olim ante inuentam ab Ap. Claudio literam caninam, pro ea plerumque vsurparunt sibilantem, quae illi postea in multis locum suum cessit. Certe Varro *suburrā* a pago *succusano*, dictam autumat, quasi *sucusam*. Ego vero primitus quasi *subcusam*, vnde postea a nonnullis elisa B. *sucusā*, ab aliis extrita C. *subusa* et deinde *subura* et *suburra* dici coeperit. Atque hinc factum, vt tribus suburrana in lapidibus promiscue modo literis SVC. quasi *succusana*, modo SVB. quasi *suburrana* notetur. Pagum vero *succusanum* idem appellatum censet, quod *succurverit Carinis*, qui locus est in Suburra. Ceterum quod in Verrio reprehendit Festus, committit aliquando et ipse. Nam vt ex Paulo, cuius fidem in eo, quod adferam asserunt, mutila Festi fragmenta, constat, *Rabulam* dici scripsit hominem multis intentum negotiis, paratumque semper ad *radendum* aliquid auferendumque, vel qui sit in negotiis agendis acrior, quasi *rabiosus*. At in V. *Raua* interpretatur Causidicum pugnaciter loquentem a *raua* voce, canum latratui proxima. Paulo post idem *Rauī coloris* homines, qui sint inter flauos et caesios, a Plauto *rauisfellōs* dici notat; et antea ex eodem

eodem Plauti loco *Grauisstellos* attulit, et exposuit seniores, tanquam a *grauitate* dictos.

Verum talia quoque in fidelissimis ceteroqui rerum gestarum Scriptoribus, quibus sola fides ac veritas, quae vna semper est, et simplex, debet esse proposita, et maxima etiam adhiberi cautio, ne quid non modo falsum pro vero, sed etiam ne quid incertum pro certo posteritati obtrudant, reperiuntur tamen, atque adeo, vt aliquando ipsi ex sese abunde refutari queant. Sunt tamen inter haec, quae ex incerta et longinqua antiquitate repetita et diuersimode iam olim in aliis atque aliis Annalibus tradita, pro diuersis facile alicui obrepant. Quo factum, vt posteriores, dum modo hos, modo illos sequebantur, diuersis locis vel libris non eodem modo et ipsi de iisdem rebus scripserint, vel, quid verius sit, discernere non potuerint. Ita ab vna origine et historia profectum censeam, tum quod Plutarchus in Romulo et Camillo de Tutula seu Philotide ancilla refert, quae, cum Galli Romam reliquissent, eamque maxime adhuc inuadendam obsiderent Latini et Volsci, et ii praetextu renouandae per connubia amicitiae et societatis virgines, inuuptasque Romanorum feminas sibi tradi postularent, Proceribus suaserit, vt se ceterasque ancillas ingenuarum cultu ornatas emitterent. Quo facto cum hostes post Veneris usum somnus oppressisset, Romani, signo sibi ex caprifico ab illa dato, subita ex Vrbe eruptione facta Latinos oppresserint. Tum quod idem in libro Parall. cap. 30. de Rhaetana ancilla scribit, quae similiter, quum Gallorum Rex denunciaffet Romanis non prius se recessurum, quam feminae sibi in connubium dederentur, consilium superiori geminum germanum illis dederit, vt loco ingenuarum

nuarum seruas ad Gallos ablegarent, eoque facto quum Barbari stupro somnoque sepulti iacerent, per caprificum in muros Urbis adscenderit, et Consulibus rem patefecerit, qui statim educta iuuentute hostes suos inuaserint et vicerint. Vocatur autem iste Gallorum Rex in Plutarcho *Ατελόμαχος*. Sed quoniam exigua prorsus fuit differentia inter antiquam π et λ , non dubito scripsisse eum *Ατελόμαχος*. Certe Gallicum et Germanicum vere fuit nomen *Atelomarus* seu *Atelmarus*, priorem sui partem praefereens eandem, quam *Atalaricus* celeberrimi Gothorum Regis nomen, quod apud Orosium lib. VII. vitiose item *Atharicus* editur, nunc autem (nam etiamnum in vsu est, aequae ac similia illa *Adelbardus*, *Adelbertus*, *Adelgunda* etc.) *Alricus* pro *Adelricus*. Multum etiam cum illo conuenit *Ademarus*, quo nomine anno Epochae Christianae MCLXXXVIII. in lapide regionis Delphinatum occurrit *Ademarus de Pictauis*, *Comes Valentinensis*, siue illud sit ortum, excluso L. ab *Adelmarus*, siue ab *Audemarus*, seu *Odemarus*, a cuius nominis Diuo Vrbs proximo bello a Gallis capta et foederatorum clade nobilitata suum nomen habet.

Porro autem prodigia, quae singulis annis Romae nunciata a priscis Annalium conditoribus memorantur, quum video saepe eadem proxime sequentibus annis repeti, etiam hoc contigisse ex eo arbitror, quod quia pleraque erant incerta et haud dubie fabulosa, a primis scriptoribus ab aliis in alium fuerint relata annum, et ita a posterioribus in vtrumque. Talia sunt apud Obsequentem, qui ea omnia collegit, et in singulos annos, singulis capitibus distinctos digessit, quod *in area Vulcani et Concordiae sanguinem pluit.* cap. 59. et 60. *Bos locutus*

locutus 85. et 86. *Vitulus biceps natus* 91. et 92. *Bubo in Capitolio visus* 90. et 92. *Lacte pluit* 95. et 96. *Fremitus armorum ex inferno auditus* 105. et 106. *Mulus tripes Reate natus* 60. et 74. Ergo quum toties idem plane prodigium proximis inter se capitibus vel annis expositum occurrat, ex errore id ortum arbitror, et porro emendandum censeam Obsequentem cap. 80. quum ait: *Caerae sanguinis riui e terra fluxerunt*, reposito pro *Caerae*, quod non iniuria suspectum fuit Doctiss. Scheffero, non *Corae*, vt ille suspicabatur, sed *Caere* e cap. 79. vbi itidem *Caere sanguinis riui terra fluxerunt*. Sic cap. 70. pro eo quod *Lauinii fax ardens in coelo visa* legitur, scribendum erat *Lanuuii*, tum quia Liuius XLV. 16. vnde omnia istius anni prodigia eadem serie descripsit Obsequens ita edit, tum quia Obsequens etiam sequenti capite idem prodigium *Lanuuii* accidisse scribit. Sed et prodigium, quod alicubi iam euenerat, si quando etiam alibi postea euenisset, a nonnullis etiam alterum illud, priore loco et anno factum in posteriorem hunc annum videtur translatum, quasi istic tunc demum, et ita simul duobus locis eodem anno euenerit. Inde factum reor, vt etiam talia Obsequens duobus diuersis annis, priore illo et hoc posteriore iterum occasione similis prodigii alio loco facti memoret. Exemplo sit quod cap. 96. *Priuerni terra septem iugerum spatio in cauernam desedisse dicitur*. Quod cum deinde in Lucanis quoque contigisset, a nonnullis etiam Priuerni, seu in suburbano eius agro tunc demum contigisse, videtur proditum. Certe Obsequens qui Priuerni illud iam accidisse retulerat, secundo capite post itidem *Terram in Lucanis et Priuernati late biasse* scribit. Vbi neutiquam ego fero Schefferum emendantem, *Priuernatibus*,
quia

quia vrbs ipsa dicatur *Priuernum*, quasi quisquam sit, qui *τὸ Priuernati* pro vero ipsius Urbis nomine habeat, nec videat ab eo esse formatum, et intelligi *agro*: praesertim quum passim ita loquatur Obsequens. Cap. 71. *In Praenestino cruenti ceciderunt imbres. Veienti lana ex arboribus nata. cap. 90. Oleo et lacte in Veiente pluit.* Quod in his intelligitur, exprimitur cap. 86. *In agro Ferentino Androgynus natus cap. 101. In agro Trebulano mulier fulmine acta.* Deinde non aequae commode dici potest *in Priuernatibus*, atque *in Lucanis*, quum Lucani sint populi vel ciuitas multorum oppidorum, pagorumque, at Priuernates vnus oppidi populus.

Ex eo autem, quod vnum prodigium vno in loco ita duobus annis aliquando ab Obsequente commemoratur, vel alio etiam anno, quo idem postea alio in loco acciderat, denuo quasi aliud et nouum nonnunquam repetitur, emendanda censeo collata inter se capita 73. et 82. vbi si tollas libriorum mendas, idem illud factum apparebit. Cap. 73. ait *in Cephalenia turba in coelo cantare visa.* Vellem sane non sollicitari hic a viro docto *τὸ cantare*, rogariue, quomodo cantus ille potuerit videri, maxime in coelo, et *quia hoc non intelligat* ex coniectura praeferrī, *constare.* Quid enim vulgarius, quam *visus* istis in locutionibus ad omnes sensus referri? Id quod etiam Lexicographi ex Augustino et Donato docent. An Eufetius quoque videri olim poterat audiuisse, quae dicebat Tullo Romanorum Regi de causa belli apud Liu. I. 22. *Eam causam huiusce belli audisse videor?* An etiam ab Aenea sonitus videri poterat apud Virgil. Aen. II. 731. *Cum creber ad aures Visus adesse pedum sonitus.* Immo in ipso Obsequente cap. 106.

Fremitus

Fremitus ab inferno ad coelum ferri visus, cur non et hic rogat, quomodo id oculis suis videre homines potuerint? Hoc ergo in verbo integra omnino et incorrupta sunt ista capituli 73. sed alio in vocabulo vereor ne virium contraxerint. Quae enim et cuiusmodi illa *turba*, quae in coelo cantare visa? Hominum an pecorum? (nam in prodigiis nihil potest videri nimis absurdum) puerorum, an virorum, an feminarum? Expressi profecto aliquid huius generis debuerat. Sed quid multa? scripsit haud dubie Obsequens *Tuba*, quae praecipua est inter signa militaria, quibus plerumque *cantus* tribuitur et ad quorum cantum proelia committi solebant. Liu. I. 1. *Priusquam signa canerent*. Florus IV. 2. 66. *Ante imperium Ducis sua sponte signa cecinerunt*: de quo ipso Auctor B. Afric. cap. 82. *Iniuissu Caesaris TVBICEN a militibus coactus, CANERE coepit*: sed et alius ipsius Obsequentis locus, cum hocce, ut dixi, collatus vehementer nostram confirmat emendationem, et ipse vicissim ex hoc emendatur, in quo, quia idem prodigium Praeneste tunc euenisse traditur, Cephalleniae item fit mentio, tanquam si tunc demum, vel tunc iterum ea in Vrbe id euenisset. Nempe cap. 82. *Praeneste et in Cephallenia signa de coelo cecidisse visa*. Sic enim lego ex superiore loco, non *cecidisse*, quod alienum est. Nam quae signa de coelo in terram ceciderint, aut quis vnquam tale quid legit, quacumque aut qualia istic signa significauerit Obsequens, intelligat? At si *cecidisse* legas, nemo non videt, signa innui militaria, quorum praecipuum *Tuba*. Et ita, ut saepius alias, vnum prodigium Cephalleniae duobus annis, et capitibus sed posteriore, ut equidem auguror, perperam et falso factum refertur, vel ex vno prioris anni ru-

more,

more, seu vero, seu falso ortum, occasione nouae et similis fabulae aliunde nunciatae, in posterio-rem annum a quibusdam translatum, ab Obsequen- te utroque anno, tanquam vere bis contigerit eo- dem in loco, narratur. Verum ista quidem Aucto- ribus, licet hoc pacto eadem res saepius forte, quam reuera, acciderit, accidisse tradatur, vitio tamen verti nequeunt, quum illi certo scire non potuerint, utrum ea, quod vere pluries euene- rint, an vero per et propter inconstantem vulgi rumorem, et ex eo, vel etiam aliunde natum primorum Scriptorum errorem, toties proximis inter se annis iterata in antiquis Annalibus oc- currant.

Longe grauioris est, nec ferendae in Historicis inconstantiae, quando illi vno in opere sibi ipsi contraria, vel certe diuersissima de vna re vno tempore facta, sine vlla alterius opinionis alibi a se relatae mentione scribunt. Ista Plutarchus in *Vitis illustrium Graecorum et Romanorum* caedem Caesaris in eius vita exponens, ait, M. Antonium Caesaris studiosissimum, dum ea patraretur, extra Curiam de industria a *Bruto*, *Albino* qui D. Brutus est, longa confabulatione detentum. At in *M. Bruti Vita a C. Trebonio* id factum tradit, nulla omnino, D. Bruti adiecta ibi mentione. Et expu- tare nequeo, qui euenerit ut in priore loco *Bruto* id tribuat, quum non modo ipse postea, sed et omnes alii, qui nunc certe supersunt, *Trebonium* solum ea in re narranda nominent. *Appianus* ait, Coniuratos ex suo grege *Trebonium* reliquisse ad fores, ut Antonium illato de alijs rebus sermone moraretur. *Dio* similiter Antonium extra curiam a *Trebonio* ex consilio sociorum retentum prodit; sed ad conuincendum *Plutarchi* errorem vnus suffi- cere

cere potest Cicero, qui et tunc vixit, et familiarissime ipsis coniuratis est usus, adeoque nullo profus modo ista in re errare potuit. Is autem Philip. II. 14. *Quanquam si interfici Caesarem voluisse crimen est, vide quaeso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem et Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est, et ob eius consilii societatem, quum interficeretur Caesar, tum te a Trebonio vidimus seuocari: ne scil. interesset neci Caesaris, et ipse quoque a Coniuratis occideretur, quod eorum multi facere volebant. Alii quidam aliam rei allegare causam videntur, quasi ea ex consilio et voluntate coniuratorum fuisset a Trebonio facta, ne Antonius Consul, Consulari auctoritate et potentia destinatae Caesaris caedi esset impedimento. Cicero illam potissimum allegat, eaque Antonio exprobrat, quid et quantum debeat Trebonio. Nam et Philipp. XIII. 10. *Sceleratum Trebonium? quo scelere, nisi quod te (alloquitur Antonium) Idibus Martiis a debita tibi peste seduxit. Sed et ipsi Trebonio idem obiicit Famil. Epist. X. 28. ad eum scribens; Quod vero a te Viro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc viuit haec pestis, (Antonius) interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor.* At in epistolis ad D. Brutum lib. XI. quamuis et in iis semper de Antonio agat, nunquam tamen tale quid Bruto exprobrat, aequae facturus haud dubie, si is vel soius, vel etiam vna cum Trebonio, suo sermone Antonium, ne caedi interesset, extra curiam seduxisset ac detinuisset. An decipit Plutarchum, quod quum Antonium quidam ex coniuratis, et in primis C. Cassius simul interimendum censuissent, repugnauisse praecipue Brutus fertur, non tamen Decimus, sed Marcus, dictitans, nihil amplius ciuibus praeter tyranni petendum*

dum esse sanguinem, vt tradit Paterculus, et ipse Plutarchus in Antonio. Qui si maxime vtrumque simul Brutum et Trebonium has retinendi Antonii partes vel vltro vel ex consilio sociorum sibi sumfisse vere sensisset, quod tamen non puto, quamuis in Antonii vita, ἐνίοις τῶν ἐκ τῆς συνωμοσίας, nemine nominato datum hoc negotium scribat: non debuisset tamen vel sic, ita separatim, atque alium loco seorsim nominasse, ne saltem inconstantiae speciem praeberet, et lectorum animis in hac historia densam offunderet caliginem.

Appianus quoque dormitans ex se ipso et certius refutari potest, quum Εμφυλ. Β. η. 520. exposita eiusdem Caesaris caede, de plebe Urbis Romae ait: Ὁ δῆμος ἐν παραλόγῳ ποικίμενος, τὸ πάντας αὐτῶν τὰς σφαγέας, χωρὶς μόνου Δέκιμου, αἰχμαλώτους ἐκ τῆς Πομπηϊκῆς μάχης γενομένους ἀντὶ κολάσεων ἐπὶ ἀρχαῖς καὶ ἡγεμονίας ἑθνῶν στρατοπέδῳ προαχθέντας ἐπιβουλεύσασιν. *Plebs absurdum reputans, omnes eius (Caesaris) percussores excepto solo Decimo ex Pompeii partibus bello captos, loco supplicii, ad imperia et praefecturas Prouinciarum atque exercituum ab ipso productos, in eum tamen conspirasse.* Quid audio? Omnes Caesaris percussores in bello ciuili Pompeianas partes fuerant secuti? An ergo non meministi, Appiane, C. Trebonii, qui legatus Caesaris bello Gallico, postea bello ciuili ab eo in Hispaniam contra Afranium et Petreium tendente, ad Massiliam interea oppugnanda fuit relictus, deinde bello adhuc durante Praetor Urbanus a Caesare est factus, vt ex ipsius Caesaris Commentariis constat? Rectius itaque Velleius II. 56. Caesarem interemtum ait, *coniurationis auctoribus Bruto et Cassio, adiectis etiam consiliariis caedis familiarissimis omnium, et fortuna partium eius (Caesaris) in summum euectis fastigium*

D.

D. Bruto, et C. Trebonio. Quamobrem et Cicero hunc ait *Libertatem Populi Rom. vnus amicitiae praeposuisse, depulsoremque dominatus, quam participem esse maluisse:* Philipp. II. c. 11. Qua ille in oratione etiam Tillium Cimbrum eodem loco habere videtur, quippe *quem magis fecisse illam rem admiratum se dicit, quam facturum putauisse; admiratum autem ob eam causam, quod immemor beneficiorum, memor patriae fuisset.* Beneficiorum autem, non quod ex acie Pompeiana superstes a Caesare non veniam modo, sed et honores postea impetraverit, (nam illud non magis in eum, quam in M. Brutum, C. Cassium, Cn. Domitium et alios, quos ibidem nominat Cicero, dici potuisset, adeoque nullam omnino admirationis causam de eo praecipue praebuisset) sed haud dubie, quod a Caesare, tanquam acerrimus partium eius defensor multis beneficiis fuerit affectus. Audi Senecam de Ira. III. 30. *Diuum Iulium plures amici confecerunt, quam inimici, quorum non expleuerat spes inexplebiles. Vidit itaque strictis circa sellam suam gladiis COMMILITONES suos, Cimbrum Tillium acerrimum paulo ante suarum partium defensorem, aliosque post Pompeium demum Pompeianos.* Sed a nemine longius recedit Appianus, quam a se ipso, oblitus paulo ante (n. 499.) a se traditum auctores coniurationis adsciuisse ἐκ τῶν αὐτῆ Φίλων Καίσαρος Δεκίμωντε, καὶ Γάιον Κάισαν, καὶ Τρεβώνιον, καὶ Ἀτίλιον καὶ Κλέβριον, καὶ Μινάκιον, καὶ Βάσιδον. Amici hi Caesaris intelliguntur, non noui et post bellum ex castris Pompeianis, in amicitiam adsciti, (nam id erant etiam ipsi coniurationis auctores Brutus et Cassius) sed veteres, quibus Seneca opponit *inimicos* hoc est, Pompeianos, sed eos, quos idem interpretatur fuisse antea *Commilitones* Caesaris,

faris, et post Pompeium demum Pompeianos. Ex hoc autem hominum genere inter coniuratos referri hic vides ab Appiano, non vnum Decimum Brutum, praeter quem solum ceteros omnes aliarum fuisse in bello civili partium tam diserte postea affirmat, sed sex praeterea alios: Verum tamen, ut dicam quod res est, non tot homines his in verbis intellexit aut significauit ipse Appianus, sed quatuor tantum supra Brutum, etiam sic satis refutans, quod n. 520. de eo solo scribit: Maiorem hocce numerum debemus infrunitis librariis, qui duplex vnus hominis nomen identidem in duorum nomina inculcato τῶ καὶ diuiserunt. Et recte fecit interpres, quod vnus copulae nullam habuit rationem, reddendo hunc locum: *Ex Caesarianis amicis Decimum, C. Cascam, Trebonium, Tullium Cimbrum, Minucium, et Basillum.* Debuisset etiam postremam spreuisse. Nec enim diuersi sunt *Minucius*, et *Basillus*, sed reuera vnus idemque, ut ex ipso Appiano cognosse poterat, quando is Ευφ. Γ. extr. mortem illius referens ait, τῶ δ' αὐτῶ χρόνῳ καὶ Μινέκιος Βασίλλος, σφαγεὶς καὶ ὄδε Καίσαρος, ὑπὸ τῶν Προκίοντων ἀνηρέθη. Fuit autem Min. Basillus ille etiam ante civile bellum Caesaris comes et legatus in bello Gallico. Vide Caes. lib. VI. cap. 29.

Porro *Tullium Cimbrum* vocat interpres, quem Graeci codices hoc loco Ἀτίλιον Κίμβριον; ego semper *Tillium Cimbrum* appellauit. Fateor equidem in nouissimis quibusque Auctorum edd. *Tullium* vocari, sed haud dubie, quia nomen hoc celebrius est altero, ex quo ipso etiam nullus dubito, sicubi in Manuscriptis occurrit, positum esse a librariis pro vero et genuino, sed sibi prorsus ignoto. Quae enim alia dari potest causa, quamobrem hic, si *Tullius* vere fuisset, magis quam quisquam alius

ex

ex ea gente, immo vnus et solus, in omnium pene Auctorum codd. inusitato *Tillii* nomine, vel huic propinquo saepius appelletur? Apud Appianum hoc in libro bis est *Ατίλιος*, at lib. IV. et V. *Τύλλιος* pro *Τίλλιος*, apud Plutarch. in Caes. *Μετίλλιος*, at in Bruto recte *Τίλλιος*. Apud Dionem quidem *Τίλλιος*, sed opera Xylandri, qui ibi *Τίλλιος* edidit, vt nec in Suetonio Casaubonus et Torrentius, a Pulmanno, qui illud e suis codd. protulerat, ea in re dissentientes. Apud Senecam ep. 83. et de ira recte itidem *Tillius* dederunt Muretus et Gruterus, cuius variantes lectiones posteriore in loco, si tanti haec tibi, videas velim. Sic porro Manutius apud Ciceronem Famil. Epist. VI. 12. et XII. 13. licet Gruterus ibi *Tullius*. Quod eo magis mirandum, quoniam idem Philipp. II. 11. *Tillium* edidit, et similiter in Epist. 6. ad Brutum in aliquot Palatinis inuenit. Sed imprimis *Tullium* nomen in hoc homine plane reiicit Nummus a Tristano vulgatus Tomo I. pag. 43. cum inscriptione ATILIVS CIMBER. Sed ille ex eo in Auctore vbiq. *Atilium*, non *Tillium* vel *Tullium* vocandum censet. At ego quidem vix dubito, Tristano idem hic accidisse, quod aliis, qui pro *T. Ampio* in nummis legerunt *Tampium*, praenomen nomini gentilitio iungentes, non animaduersa distinctione. Nec enim vnquam, vel certe rarissime in illorum temporum nummis posito nomine et cognomine praenomen omissum reperietur. Vt adeo si omnes hae litterae clare satis in isto Tristani nummo conspiciantur, et hic ipse Cimber Tillius in eo designetur, corrigendus potius ex eo sit vnus Cicero Philipp. II. 11. pro *L. Tillius Cimber* vt ibi editur, reposito *A. Tillius Cimber*. Praeterea fuisse Romae gentem isto no-

mine a doctis hodie adeo reiectam ex lapidum inscriptionibus satis certum est, ad eamque pertinet inter alios *Q. Tillius*, quem tempore Neronis inter Fratres Aruales, Viros utique illustres ponit vetus eorum tabula apud Gruterum p. 120. Grauius autem peccat *Tristanus*, suoque more audacissime in Auctores grassatur, quum etiam apud *Quintil.* et *Sueton.* in Augusto pro *Annius Cimber* legi vult itidem *Atilius Cimber*, quasi nulli fuerint Cimbri, nisi *Atilii*, vel *Tillii*, aut vnum cognomen in diuersis gentibus nunquam fuerit vsitatum. Sed, ne amplius dubitetur fuisse et *Annios Cimbras*, ecce alium locum, vbi forte hic ipse *Graeculus Rhetor*, Graeci certe hominis filius, et *Antonii a Rep.* tunc iterum *Pompeiana*, dissidentis focus nominatur. *Cicero Philipp. XI. 6. Lumen et decus illius exercitus pene praeterii, T. Annium Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum Graeco verbo, quoniam omnia iura dissoluit, nisi forte iure germanum Cimber occidit.* Sed iam plus satis de his nominibus. In *Appiano* legendum: *Καὶ Τίττιον Κίμβρον, καὶ Μενέκιον Βάσιδρον.* Atque ita praeter *D. Brutum* non quidem sex, sed tamen quatuor, vt ostendi, inter *Caesaris* percussores ex ipsius isto in loco sententia fuerunt, qui non *αὐχμάλωτοι ἐκ τῆς Πομπήης σάσεως γινόμενοι*, *Caesari* iam victori suam salutem loco supplicii, acceptam tulerunt, quod tamen deinde de omnibus, excepto vno *Decimo Bruto*, manifesta nimis inconstantia diferrissime affirmat.

Sed et in ordinanda acie, referendoque proelio Romanorum, duce *L. Scipione* contra *Antiochum* prope *Magnesium* ad *Sipylum* commisso, obscurus idem, intricatus, et parum sibi consentaneus ab attento lectore deprehendetur. *Cn. Domitium* in dextro Romanorum cornu, *Eumenem* in sinistro,

Confu-

Consulem L. Scipionem in media acie locat. Sinistrum vero cornu pedites tenuisse dicit prope flumen, atque eius fiducia equitatu ceterisque subsidiis nec eguisse, nec fuisse instructum, at dextrum habuisse equites Romanos, Latinos atque Eumelianos, et insuper circa ipsum Domitium fuisse quatuor turmas equitum, quas tamen Liuius in laeuo cornu iuxta flumen ponit. In contraria acie Appianus, et id quidem vna cum Liuius Antiochum in dextro cornu, filium eius, Seleucum in sinistro, Philippum Elephantarcham in medio statuit. Erant ergo oppositi sibi inuicem Antiochus et Eumenes, tum Domitius et Seleucus, denique Consul et Philippus. At mox, et quidem in ipso statim concursu, videbis ex Romanis Domitium et Eumenum, ex hostibus ipsum Antiochum, quemque sua parte sibi oppositos vincere, remque ita geri, tanquam si Domitius in media acie, Eumenes in dextro, Consul in sinistro cornu esset. Primo enim Eumenes, quem Auctor antea in sinistro Romanorum cornu, vbi pedites erant sine equitibus, locauerat, cum Equitibus tamen, tum suis, tum Latinorum, Romanorumque quos apud se habuisse hic dicitur, proelium committit, inuehiturque cum iis in Galatas, et Cappadocas, ceteramque peregrinorum multitudinem. Quibus profligatis, etiam contiguos illis Equites Cataphractos in fugam vertit. Hos autem omnes Appianus paulo ante laeuum Antiochi cornu obtinere dixerat. Immo et hic, Eumenis victoriam postquam exposuisset, subiicit, *Et haec quidem gesta sunt in laeua cornu phalangis Macedonicae: In dextro vero, vbi Antiochus ipse erat, concidit ille aciem phalangis Romanae, seu legionum Romanarum, et a cetero exercitu abstraxit, longoque spatio est persecutus.* Mox iterum legiones

nes Rom. persecutum ait vsque ad ipsa castra, quia nullum illis, equitatus, nec leuis armaturae subsidium addiderat Domitius, existimans non egerere, quod satis munitae essent flumine. Domitius porro contra ipsam hostium phalangem, quae media erat Antiochi acies, pugnat, eamque in fugam vertit. Manifestum hinc ergo, Eumenem, qui cum Equitibus rem gessit, iisque laeuum Antiochi cornu fudit et fugauit, necessario praefuisse, dextro Romanorum cornu, quod et ex Liuiο facile colligas, Domitium vero, cuius praecipuae erant in hoc proelio partes, mediae aciei, at legionibus in sinistro cornu, quod solum loco suo cessit, a dextro hostium in fugam compulsus, Consulem L. Scipionem, qui vnus superest, non Eumenem, qui sua parte erat victor. Quae omnia maxime tamen contraria sunt iis, quae superius praemiserat, quum singulis ducibus suum, sed plane diuersum in acie locum assignaret. Et profecto magna haec est illius inconstantia, et incogitantia. Neque culpam haec in corruptos hodie codices deriuare licet. Verba enim sunt, quae nulla verisimili emendatione cum sequentibus in consensum redigi possunt *Ἐπεσάτα δὲ τῆ μὲν δεξιᾷ Δομίτιος αὐτὸς, καὶ ἐς τὸ μέσον αὐτῶν ἴση τὸν ὑπατον, τὸ δὲ λαίον ἔδωκεν Εὐμενεῖ.* Debuisset scripsisse, vt recte omnia haberent, *ἐπεσάτα δὲ τῆ μὲν μέσῃ Δομίτιος αὐτὸς καὶ ἐς τὸ λαίον ἴση τὸν ὑπατον, vel potius, καὶ τὸ λαίον τῷ ὑπάτῳ, τὸ δὲ δεξιὸν ἔδωκεν Εὐμενεῖ.*

Sed ne inclementius hoc nomine cum Appiano agamus, eodem modo turbandis confundendisque cornibus etiam T. Liuium plus semel peccasse animaduertit facile diligens Lector. Nam neque in eo librariorum hac parte vel audaciam vel oscitantiam potius, quam ipsius Auctoris ex nimia forte

forte festinatione ortam incogitantiam increpari posse vel debere censeam. Nec enim illos verifimile est, prudentes volentesque contra ipsam historiam *dextrum* cornu pro *sinistro* aut vice versa posuisse, neque etiam casu villo adeo aberrasse imprudentes, vt tam diuersa vocabula alterum pro altero scriberent. Ne longe abeamus in hoc ipso bello, sed nauali pugna Rhodiae (nam et Rhodii cum Romanis stabant contra Antiochum) classis cum Antiochina, huius Duces, Hannibalem in alto mari sinistro cornu, dextro propius terram Apollodorum praefuisse tradit Liuius XXXVII. 23. Alterius ergo *Eudamus in altum et ipse euectus*, vt Hannibali occurreret, *dextrum tenuit, sinistrum ii*, qui secundum littus Apollodoro oppositi erant. Hi vero antequam cum hoste concurrere possent, *iam in dextro cornu* (suorum, Rhodiorum) *aduersus Hannibalem pugnabatur*. Sed tamen tanto celerius hostem et ipsi magno impetu aggressi, terrorem statim incusserunt. *Itaque* (ait Liuius cap. 24.) *iam haud dubie DEXTRVM cornu hostium in fugam inclinabat. Eudamum in alto, multitudine nauium maxime Hannibal vrgebat, et circumuenisset; ni signo sublato ex praetoria naue, omnes quae in DEXTRO Cornu vicerant, naues ad opem ferendam suis concurrissent. Tum et Hannibal, quaeque circa eum erant naues, capessunt fugam*. Immo vero ab Rhodiis *dextrum cornu*, quippe in quo Eudamus, multitudine nauium contrariae partis vrgebatur et laborabat quam maxime. Et si *dextrum cornu hostium in fugam inclinauit* tunc adhuc solum, *vicerant* omnino Rhodii non in *dextro suo cornu*, sed sinistro, id quod nec a Glareano nec a Sigonio, talia maxime annotare solitis, animaduersum miror. Huic simile prorsus est, quod lib. XXXIII. 9. in

proelio ad Cynoscephalas inter T. Quinctium Flaminium et Philippum Macedonem obseruauit πόνυ Gronouius. Dextrum ibi Romanorum cornu elephantis ante signa instructis, in subsidiis primo relinquebatur, laeuum cum omni leui armatura in hostem a Quinctio ducebatur. Et dein proelio iam commisso *dextrum* hostium *cornu*, in quo ipse Rex erat, *loci maxime auxilio vincebat*. Quos quaeso? nisi Romanos sinistri cornu sibi seu dextro suo oppositos. Regio vero *sinistro* in cornu, eius phalange tum maxime appropinquante, ideoque itineri, quam pugnae aptiore, *sine ullo ordine trepidabatur*. Ergo *in hos incompósitos Quinctius, quanquam, ut ait Liuius, pedem referentes in dextro cornu suos cernebat, elephantis prius in hostem actis, impetum facit, ratus partem prosligatam cetera traeturam*. At vero Quinctius tum maxime *dextro suo cornu*, quod elephantos ante se habebat instructos, aduersus hostem, eiusque laeuum cornu est usus. Pedem autem referebant Romani illo in cornu, quod contra dextrum hostium erat constitutum, hoc est, *in sinistro cornu*. Atque ita proinde *in sinistro*, vel *in laeuo cornu* rescribendum censet Vir summus, qui istam hoc in loco discrepantiam primus protulit. Propius vulgatam accederet, et hic quidem non ineptum forte esset, *in exteriori cornu*. Nam qua ratione diuinus Lipsius in Electis *exteriorem* pro sinistro acceptum olim docuit, ea ipsa in hac Romanorum acie deprehenditur. Nempe sicuti illum, qui dignitate inferior alteri latus tegebat, ideo *exteriorem* dici existimabat, quod modice et parte quadam corporis praeiuerit, tanquam si viam faceret honestiori illi; sic heic laeua Romanorum acies praegressa, et extrorsus posita, prima in hostem inuasit. Sed tamen

hanc

hanc coniecturam superior certe locus de Rhodia classe respuit. Iſtic enim, quia ſiniſtrum cornu introrſus propius terram erat inſtructum, dextrum vero in altum mare porrectum, hoc commodius, quam illud *exterius* vocari potuiſſet. Si quid ergo in his mutandum, mallem utrobique, *in altero cornu*. Eudamus quum laboraret pene circumuentus ab Hannibale, ſignum ſuis ex praetoria naue dedit, eoque viſo, omnes, *quae in altero cornu vicerant naues*, ad opem ferendam concurrerunt. Quinctius item, vbi incompoſitos aduenire vidit Macedonas laeui cornu, ſpem victoriae illa potiſſimum in parte naſtus, impetum in eos facit, dextro ſcil. ſuorum cornu, *quanquam pedem referentes in altero cornu ſuos cernebat*. Et ſic plane hac ipſa de re Plutarch. in Flamin. Ὁ Τίτος τὸ μὲν ἠπτόμενον ἀπογνῶς, πρὸς δὲ ἰσχυρότερον ὀξείως περιελάσας, προσέβαλε τοῖς Μακεδόσι; hoc eſt, *Titus*. Quinctius, quum pedem referentes ſuos vno in cornu cerneret, *deſperato eo cornu, quod iam vincebatur, ad alterum celeriter peruectus, inuaſit Macedonas*. Verumtamen non auſim temere receptam conſtanter e Manuſcriptis lectionem ſollicitare. Videntur enim ipſi Auſtores cornua iſthaec, quia pariter in utroque exercitu erant, dextra et ſiniſtra, ſed diuerſo ſitu confuſiſſe aliquando. Ex Appiano certe rem manifeſtam modo dedi.

Apud Liuium vero non his modo in locis, ſed et in Bello Punico ſecundo, longe emendatiſſima et ſinceritiſſima eius parte ex antiquiſſimis et fide- liſſimis membranis deſcripta, turbatum in iſtis eſt, et quidem ita, vt ſi coniecturis noſtris ſuccurrere ei tentemus, nihil ſuperſit, niſi vt pro vocabulo *ſiniſtrum* reponamus *dextrum*: quam tam longe a fide et auctoritate Putcanei, aliorumque praetan- tiſſimorum

tissimorum codd. recedentem emendationem facere ego quidem non velim. Locus est lib. XXVII. cap. 48. vbi proelium Claudii Neronis, et Liuii Salinatoris cum Hasdrubale, Hannibalis fratre exponitur. In eo Nero dextrum tuetur cornu, Salinator sinistrum. Ex aduersa parte Galli in laeuo cornu oppositi Neroni, Salinatori autem Hispani in dextro, in mediam aciem receperant Ligures. Collis autem inter Claudium Neronem et Gallos interiectus, dextrum Romanorum cornu arcebat, *ne aut a fronte, aut ab LATERE* (intellige, sinistro hostium) *aggrederentur* hostem. Ergo *Claudius quum in aduersum collem frustra signa erigere conatus esset, postquam ea regione penetrari ad hostem non videbat posse, cohortes aliquot subductas e dextro cornu, post aciem* (eam scil. cuius erat dextrum illud cornu, hoc est suam, Romanam) *circumducit et in sinistrum hostium latus incurrit.* Ita trucidatis primo Hispanis, dein Liguribus, ordine tandem ad Gallos caedem peruenisse ait Auctor. Nemo non per se, opinor, facile videat, scribere eum debuisse, *in dextrum hostium latus.* Cohortes enim Romanorum in dextro cornu vna cum Claudio locatae, oppositum sibi hostem in sinistro latere et cornu *neque a fronte neque ab latere* vacuo scil. hoc est, sinistro aggredi poterant, sed post aciem suam circumductae, necessario incurere in dextrum hostium latus. Et praeterea Hispani, quos primos ab latere inuaserunt, dextri erant in tota hostium acie, adeoque caedes ab iis ad Ligures medios et Gallos sinistros ordine perueniens, necessario a dextro etiam latere hostium coepisse debuit. Mouit hanc difficultatem etiam Glareanus, at Sigonius, qui alioquin obiectiones illius contra Liuii historiam diligenter excutit,

heic

heic tamen de ea ne γῶν quidem: haud dubie, quia non facile se expediebat, neque tamen tantam in Liuiο incogitantiam agnoscere, aut *dextrum* pro *sinistro* ex coniectura reponere audebat, quorum alterutrum vt facias, omnino est necesse.

Haud scio, an aliis in rebus similiter hocce libro peccauerit Auct̄or. Capite enim 12. scribit, pugnatum amplius duabus horis inter Marcellum et Hannibalem, *cedere inde ab Romanis, dextram alam, et extraordinarios coepisse. Quod vbi Marcellus viderit, duodeuicesimam legionem in primam aciem induxisset. Sed dum alii trepidi cederent, alii segniter subirent, turbatam totam aciem, dein prorsus fusam.* Cap. 13. Marcellum repetita postero die pugna pronunciaſſe, *a quibus orta pridie fuga esset* (hoc est, dextram alam, *prima quae fugit*, sic enim cap. 12. et sic ibi distinguendum) *cohortesque quae signa amiserant, se in primam aciem inducturum.* Iam vero cap. 14. ait, *Sinistra ala ab Romanis et cohortes quae amiserant signa, in prima acie pugnabant, et legio vicesima* (legerim, *duodeuicesima*, nam eius amissa fuerant duo signa, sicuti alae, quae prima fugerat, quatuor) *ab dextro cornu instructa.* At ala Romanorum quae pridie fugam prima ceperat, ideoque in prima nunc acie pugnare debebat, *dextra* fuit, non *sinistra*. Quod si voluisset Auct̄or alam hanc, quae pridie steterat dextra, tunc stetitſſe sinistram in illo exercitu, id vel verbo monuisset, vel dixisset haud dubie, *sinistra ab Romanis ala, et cohortes etc.* maxime quum sequatur, pugnabant. Sed per me, viderint id alii.

Manifestius arbitror oblitum sui Liuium XXVI. 21. vbi Merico Hispano, qui cum aliis mercenariorum militum praefectis tuebatur Syracusas, quod

quod *Nasum*, quae urbis pars fuit, quodque ibi praesidii erat, prodidisset Marcello, ciuitatem a Romanis ait datam. At lib. XXV. cap. 30. quo loco de captis Syraculis agit, tradiderat, prodidisse eum *Achradinam*. *Nasum* autem, quia dum *Achradina* proderetur, ad eam defendendam, plurimi inde, relictis suis stationibus concurrerant, vi a Marcello captam. Eodem loco libri XXVI. Söldi Syraculano quoque, ciuitatem datam ait, quod eo Duce nocturno Syraculas primum introitum esset a Romanis, de qua re nullum in superioribus, quum ex professo expugnationem istius urbis exposuit, fecit verbum, vt recte monuit Glareanus, qui tamen, quod de Merico hic notauimus, rem multo maioris momenti non animaduertit. Lib. XLI. cap. 15. refert idem Liuius, P. Crassum Praetorem, cui citerior Hispania obuennerat, ne in prouinciam iret, sacrificiis se impediri solemnibus excusasse. Ceterum aut ire iussum, aut iurare pro concione, solemnem se sacrificio prohiberi. Id vero vbi in P. Crasso fuerat statutum, etiam M. Cornelium Maluginensem, cui vltior Hispania obtigerat, ne in eam iret, ab se quoque vti iusiurandum acciperent postulasse. Ergo Praetores ambo in eadem verba iurasse, atque in M. Titinium, et T. Fonteium Procos. manere cum eodem imperii iure in Hispania iussos. At cap. 27. M. Cornelio Malugin. e Senatu a Censoribus eiectione, additur hoc elogium, *qui biennio ante Praetor in Hispania fuerat*. Quod falsum vtique, si in superioribus sua fides Liuius constitit. Sed forte ortum ex glossmate τὸ in Hispania. Id enim si absit, recte omnia habent. Lib. XXX. 2. *Huic classi* (XL. nauium, qua Siciliae maritima ora custodiretur) *M. Pomponius prioris anni Praetor prorogato imperio*

imperio praepositus. Parem nauium numerum Cn. Octauio Praetori item prioris anni cum pari iure imperii ad tuendam Sardiniae oram Patres decreuerunt. Pomponius Praetor priore anno fuerat, non item Octauius, sed hic quidem biennio ante, Sardiniam tunc sortitus lib. XXVIII. c. 38. Post praeturam vero, proximo superiore scilicet anno, nauibus XL. maritimam oram quibus finibus Senatus censuisset, tutari iussus est, lib. XXIX. c. 13.

Mirifice etiam turbatum lib. XXIII. Nam cap. 32. M. Valerius Praetor in Apuliam mittitur, ut cum legionibus, quae ex Sicilia veniebant, ei regioni esse praesidio. Adduntur XXV. naues, quibus eam oram maritimam, maxime inter Brundisium ac Tarentum, tutaretur. Legionibus autem et Apuliae ipse per se praecerat, et castra circa *Luceriam*, ut recte Glareanus et Sigonius monuerant, non *Nuceriam* habebat, cap. 33. Classi quae praesidio erat Apuliae et maxime Calabriae littoribus inter modo nominatas Vrbes, praefecit P. Valerium Flaccum, quod clare satis colligitur ex cap. 34. In eam inciderunt Philippi Regis Legati ad Hannibalem missi, quos P. Val. Flaccus cum quinque nauibus ex sua classe Romam misit, eod. cap. Retinuit ergo XX. naues, quinque Romam missis de XXV. nauium classe. Eae autem quinque naues quum Romam cum captiuis Philippi legatis venissent, grauis cura Patres incescit, ne ad Punicum etiam Macedonicum accederet bellum. Itaque, ut ait Liuius cap. 38. *Ad naues XXV. P. Val. Flaccus praefectus praecerat, XX. paratas alias decernunt. His comparatis deductisque et additis quinque nauibus, quae aduexerant captiuos legatos, quinquaginta naues ab Ostia Tarentum profectae, iussusque P. Valerius quinquaginta nauium classe non*
tueri

tuveri modo Italiae oram etc. Primum in ista quinquaginta nauium classe, quinque illae naues a P. Val. Flacco Romam cum legatis missae bis hic numerantur; Flaccus enim cum iis habuerat XXV. dimissis vero, XX. tantum, vt adeo si ea adhibeantur denuo ad posteriorum XXV. nauium numerum explendum, tota classis reuera fuerit tantum XLV. nauium. Alterum in his absurdum est, et superioribus contrarium, quod classis P. Val. Flacci, quae ad tuendam Calabriae oram circa Tarentum manserat, et ex qua tantum quinque naues Romam erant missae, hic tamen ab Roma seu Ostia Tarentum cum nouis nauibus, adeoque iam L. nauium, dicitur profecta, quasi tota classis XXV. nauium legatos Romam deduxisset. Vehementer in his laborauit diligentissimus Glareanus, eoque magis, quod tunc pro P. Valerio Flacco pessime profecto plerisque in locis huius Historiae apud Liuium Q. Fuluius Flaccus legebatur. Sed recte praeferendum ille vidit alterum nomen, et porro XXV. naues ab Ostia profectas, non quinquaginta, sed eas tum primum, postquam Tarentum venerant, ceterisque se ibi coniunxerant, quinquaginta factas censuit. Sigonius vero praecipuam hanc a Glareano motam difficultatem silentio praeterit, et tantum P. Valerius Flaccus pro Q. Fuluius Flaccus legendum post illum monet, si conciliari haec, quae de nauibus memorantur, possunt ac debent, emendandum erit: *Ad naues XXV. quibus P. Val. Flaccus Praefectus praeerat* (nam praeerat vere tot nauibus, quamuis tunc non omnes penes se haberet, nempe quinque ex illo numero Romam missis, quae tamen ad eius classem, et istum numerum a Senatu antea decretum pertinebant) *XXV. paratas alias decernunt. His comparatis,*

paratis, deductisque, et additis quinque nauibus, quae aduexerant captiuos legatos, triginta naues ab Ostia Tarentum profectae, iussusque P. Valerius quinquaginta nauium classe etc. Ita leui et in numeris tantum facta mutatione, omnis difficultas erit sublata, vt vix dubitem ita scripsisse Liuium.

Sed nulla ille ratione iuuari potest lib. V. cap. 12. vbi P. Licinium Caluum primum et solum plebeium dicit creatum tunc fuisse Tribunum militum caeteris eius collegis omnibus patriciis, qui tamen omnes, cum eo, excepto vno, fuerunt plebeii. *Inter has iras plebis, inquit, in patres, quum Tribuni plebis nunc illud tempus esse dicerent ad plebeios viros transferendi summi honoris, non tamen ultra processum est, quam vt VNVS ex plebe vsurpandi iuris causa P. Licinius Caluus tribunus militum consulari potestate crearetur. Ceteri Patricii creati P. Maenius, L. Titinius, P. Maelius, L. Furius Medullinus, L. Publilius Volscus. Ita plebes mirabatur se tantam rem obtinuisse, non is modo, qui creatus erat. Nec satis constat, cur primas ac potissimus ad delibandum nouum honorem sit habitus etc.* Vide quamdiu in eo moretur, et quam multis affirmet, eum vnum, primum et potissimum ex plebe inter istius anni militares Tribunos fuisse, ceteros patricios creatos, quod tamen nec Sigonio, nec Onufrio, nec Pighio, immo nemini persuadere potuit. Quis enim ignoret Maeniam, Titiniam, Maeliam et Publiliam fuisse gentes plebeias? Et ipse Liuius ex his omnibus antea Tribunos plebis, ad quem Magistratum vtique homines patriciarum gentium non admittebantur, per occasionem in Historiis suis memorauit. Sp. Maelius Tribunus pl. diem dicens L. Minucio, et Seruilio Ahalae occurrit IV. 21. M. Maenius seditiosus Legis agrariae

Z

lator,

lator, IV. 53. M. Titinius III. 54. Sex. Titinius item, de Sp. Maelii caede conquerens IV. 16. denique omnium clarissimus Volero Publilius, qui legem pertulit, vt, tributis comitiis Tribuni pl. crearentur, II. 56. Et huius haud dubie nepos fuit, vt ex Fastis Capitolinis patet, hic ipse Collega Licinii Calui in militari Tribunatu, L. Publilius Volscus, frater patruelis eius Voleronis Publilii, quem ipse Liuius anno et capite sequente *plebeium* Tribunum militum fuisse dicit. Ceterum causam et originem huius Liuianae incogitantiae satis intelligere me reor. Nempe solent Romani diligenter annotare, cui quidque *primo* euenerit, et quid quisque *primus* fecerit. Seneca de Breu. vitae cap. 13. *His diebus audiui quendam sapientem referentem, quae primus quisque ex Romanis Ducibus fecisset. Primus nauali proelio Duilius vicit. Primus Carius Dentatus in triumpho duxit elephantos. etc.* nam plura ibi referuntur. Atque hinc in ipsis Capitolinis Magistratum Fastis C. Licinio *primum e plebe* Magistrum Equitum, L. Sextio *primum e plebe* Consulem fuisse, Q. Publilio Philoni *primum Procos.* triumphasse adscribitur. De quo postremo etiam Liuius VIII. 26. *Duo singularia haec ei Viro primum contingere, prorogatio imperii, non ante in villo facta, et acto honore triumphus.* Immo de his omnibus coniunctim in oratione P. Decii lib. X. c. 8. *L. Sextius primus de plebe Consul est factus. C. Licinius Stolo primus Magister Equitum. C. Marcius Rutilus primus et Dictator et Censor.* (Huius Magistratus in fragmentis Capitolinis interciderunt) *Q. Publilius Philo primus Praetor.* Sed et in ipsa Epitome LXVII. Caepionis, cuius temeritate clades accepta erat, *damnati bona publicata sunt, primi post Regem Tarquinium.* Vt recte ibi restituit

tuit Sigonius, ad stipulantibus etiam Gronouii codd. quum ante male legeretur *Primo*. Vnde et apud Velleium II. 48. de Pompeio Magno: *Quo quidem tempore vniuersa Italia vota pro salute eius, primo omnium ciuium suscepit: Malim primi*. O ex sequenti vocabulo adhaesisse videtur. Et sic de Sulla cap. 24. notat idem. Ad eum, *primum omnium Romanorum*, legatos Parthorum venisse, quod vtrumque etiam Plutarchus memoriae mandauit in Pompeii et Sullae vitis. Quin immo video apud Liuium etiam *primos* quid fecisse annotari, ante quos tamen ex eo ipso etiam alii, qui idem fecerint, proferri queant. Sic certe in Epit. LX. *M. Fuluius Flaccus primus omnium Transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus aduersus Saluos Gallos, qui fines Massiliensium populabantur*. At Epit. XLVII. iam diu ante *Q. Opimius Consul Transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida Antipolim et Nicaeam vastabant, subegisse* dicitur. Maius autem est subegisse, quam domuisse. Sic et ab ipso Auctore lib. VI. *M. Manlius Capitolinus*, quod cap. 11. *primus omnium* (vt recte ibi Faber) *ex Patribus popularis factus*: Cap. 20. *consensu opprimi vir popularis, quod primus a Patribus ad plebem defecisset*, scribitur, non omni ex parte vero id est consentaneum, quum etiam dudum ante Sp. Cassius Vir patricius, Triumphalis, et ter Consul plebis voluntatem contra Patres lege agraria aliisque largitionibus sibi conciliare nimis populariter studuerit. Vide supra II. 41. similiter ergo P. Licinii Calui nomini in Annalibus, Fastis, et imaginis titulo adscriptum haud dubie fuit, *primum eum de plebe Tribunum mil. conf. pot. fuisse*. Vnde et ipse Licinius filium commendans populo lib. V. cap. 18. *En effigiem*

atque imaginem eius, quem vos antea Tribunum militum ex plebe primum fecistis: Et Tribunus plebis de illo lib. VI. c. 37. *P. Licinii Calui tribunatum, qui Primus ex plebe creatus sit.* Hoc vero Liuius, non attendens ad ipsas Collegarum familias, quam cum antea, tum postea plebeias ipse semper facit, ita accepit, tanquam, si eo anno, quo Licinius *primus ex plebe* tribunus militum dicitur creatus, plebeius ille vnus et solus inter Tribunos fuerit, ceteri omnes patricii; quum non aliter intelligendum id esset, quam illum primum ex plebeis eo anno, quo ad Tribunatum hunc Consularem homines de plebe primum fuerunt admissi, designatum fuisse, atque eius primi designatione gradum factum ad alios quoque e plebe designandos. Nec enim ista locutio excludebat eiusdem generis Collegas, sed tantum ordine designationis Licinium et hos et omnes alios praecessisse significabat. Sicuti quum *L. Brutus primus Consul* a Valerio Max. V. 8. 1. aliisque dicitur, non quod, quum primus Consul fuit, etiam solus fuerit sed quod primo anno designatus fuerit prior ante collegam, quem quidem eo tempore et die, sed tamen post Brutum, Consulem creauit populus.

In his plerisque Liuiana incuria vel obliuio culpam sola sustinet. In sequentibus vetustiorum Annalium discrepantia eum abduxisse videtur, ita vt de vna re aliud alio loco, priorum itidem oblitus, memoriae prodiderit. Manifestum id ex *Q. Pleminii* imprimis Historia. Eum ab Locrensis accusatum ob multa in se admissa crudelitatis, auaritiae ac sacrilegii facinora, idcirco Romanam in catenis missum, et ex templo in carcerem conditum, in eoque *mortuum*, priusquam iudicium de eo populi perficeretur, tradit lib. XXIX.

cap.

cap. 22. Vnde et postea lib. XXXI. cap. 12. quum iterum pecunia ex Proserpinae templo Locris nocte clam sublata nunciaretur, *indigne passus dicitur Senatus, non cessari ab sacrilegiis, et ne Pleminium quidem, tam clarum recensque noxae simul ac P. O. E. N. A. E. exemplum homines deterrere.* At lib. XXXIV. cap. 44. Scipione Africano II. et Sempronio Longo Coss. decem annis post, quum *ludos votiuos, quos vouerat Ser. Sulpicius Galba Consul (lege Pub. Sulpicius Galba: nam plus seculo ante nullus Ser. Sulpicius Consul fuit, et hos ludos vouerat is, qui bellum Macedonicum inchoauit. Vide lib. XXXI. cap. 9. Is autem Publii praenomen habuit, non Seruii) factos dixisset, addit: Quum spectaculo eorum occupati animi omnium essent, Q. Pleminius, qui propter multa in Deos hominesque Locris admissa, in carcerem coniectus fuerat, comparauerat homines, qui pluribus simul locis Urbis nocte incendia facerent, ut in consternata nocturno tumultu ciuitate refringi carcer posset. Ea res indicio consciorum palam facta, delataque ad Senatum est, Pleminius in inferiorem demissus carcerem est, necatusque.* Quanta per Deum! et quam indigna tanti nominis Historico haec est inconstantia vel, si pateris, oscitantia! Quem antea accusatum ad populum, et sua morte functum, antequam iudicium de eo perficeretur, Iectoribus ex sua sententia tanquam verissimum affirmauerat, eum hic sine vlla mentione prioris sententiae, tanto tempore post adhuc vixisse, et tunc demum, quod homines, qui in Vrbe incendia facerent, comparasset, necatum in carcere, tanquam ex recepta ab omnibus et communi sententia, tradit. Verum habuit hic prae manibus Annales rerum Romanarum Clodii Licini, eosque sine vlla haesitatione secutus est, oblitus iam ante

alteram tanquam veriolem et receptiolem de Pleminii extremis sententiam se potissimum probasse, atque eodem in loco hanc quoque, sed tanquam Clodii singularem retulisse et prae altera spreuisse. Quum enim Pleminium in vinculis mortuum dixisset lib. XXIX. subiungit continuo: *Hunc Pleminium Clodius Licinius (lego Licinus) in libro tertio rerum Romanarum refert, ludis votiuus, quos Romae Africanus iterum Consul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio corruerat, aliquot locis Urbem incendere, ut frangendi carceris fugiendique haberet occasionem. Patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum ex Scto.* Vides, quod postea lib. XXXIV. tanquam omnino ita accidisset, et ex communi omnium sententia. nullo nominato Auctore narrat, ex vno tamen Clodio, hac in rea ceteris scriptoribus discrepante, eum hausisse. Non animaduertit hoc Ioh. Vorstius quum ad Valerium Max. qui Pleminium *in carcere ante, vel inter causae dictionem teterrimo genere morbi consumitum* ait, contra codices, etiam suos ipsius, ex margine Pighiano accipit *mortis*, idque ex Liuii lib. XXXIV. probare conatur, quum Valerii vulgata et sincera lectio communem Auctorum opinionem manifeste sequatur, a Liuiio lib. XXIX. propositam et alteri praelatam.

Vorstii huius mentio ad alium ipsius errorem, et aliud Liuianae inconstantiae exemplum proferendum me deducit. Etenim Liuius lib. IV. cap. 29. vbi de A. Postumio Tuberto dictatore agit, et argumenta conquirat, quibus euertat opinionem illorum, qui etiam hunc securi percussisse tradunt filium victorem, quod occasione bene pugnandi captus, iniussu patris et Imperatoris, decesserit praesidio, inter alia hoc quoque ponit: *Imperioso*
Manlio

Manlio cognomen inditum: Postumius nulla tristi nota est insignitus. Cuius argumenti vis. Quum T. Manlius, qui postea filium ea causa securi percussit, *Imperiosus* cognomen illa ex re acceperit, Postumius autem Manlio tanto antiquior nullum cognomen, quod tam tristis et saevi exempli esset nota, tulerit, non verisimile est, hunc eadem plus quam paterna seueritate vel crudelitate imperium suum contaminasse, quum haud dubie, qui prior Auctor tam saevi et tristis exempli fuerit, occupaturus etiam fuisset tam insignem titulum crudelitatis, nec sine nota abiturus, quae posterioris utique memoriae et nomini ex eo est iniusta. At vero falsum est ex ipsius Liuii historia, T. Manlium ea ex re *Imperiosus* accepisse cognomen. Immo nusquam, quum de illo, rerum narrandarum serie ad eum et hoc ipsum seueritatis in filio exemplum perductus, iam loquitur lib. VIII. isto cognomine eum notat, vel ab vlllo vnquam propterea notatum scribit, quamuis *Manliana imperia* itidem vt hoc loco, in prouerbum isto ex facto abiisse tradat. Patrem vero huius T. Manlii, L. Manlium cognomen illud, sed ex alia causa, saeuitiae nempe in dilectu acerbissime in ciues exercito, accepisse memorat lib. VII. cap. 4. Cum quo et reliqui scriptores conueniunt, omnes iam Lucium illum cognominantes *Imperiosum*. Habuit ergo Titus cognomen hoc non ex se, aut ista filii sui caede, sed iam a patre patrisque facto, et moribus. Sigonius quidem et Onufrius in Fastis patri Lucio primo impositum, in filio hoc Tito dein confirmatum suspicantur. Quod nihil prorsus est, certe non sensit is de cuius sententia nunc quaeritur, T. Liuius, quippe qui de ista confirmatione, immo et de isto Titi cognomine nusquam omnino ne *γρὸ*

quidem. Et quid opus erat confirmatione, vel noua ac repetita istius cognominis impositione, quod iam ante inter cetera eius nomina numerabatur, et a patre suo non modo ipse, sed et frater eius *Cn. Manlius L. F. Capitolinus Imperiosus* bis istis temporibus Consul, de quo nihil tale, nullumue tam acerbi imperii exemplum refertur, acceperat. Si, quia ipse aliud sibi proprie et nouum pepererat in iuuenta cognomen *Torquati*, in senectute hoc *Imperiosi* cognomen denuo illi, et quidem tam celebri ex causa seruatae disciplinae fuisset inditum, transmissum etiam hoc potissimum fuisset ad posteros, vt ipse et frater eius idem illud a patre suo, quamuis ei inuidiosum vel inuidiosa ex causa datum acceperant. At vero post hunc T. Manlium prorsus oblitteratum fuit Manlia in gente, inque ea maxime deinde obtinuit et inualuit alterum *Torquati* cognomen, quod hic ipse Titus in iuuentute sua sibi comparauerat; certo pene indicio, hoc non prius, sed serius altero fuisse. Porro Fasti Capitolini Consulares et Triumphales, quorum Auctori, quia diligentissime in iis omnia Consularium et Triumphalium virorum nomina collegit, fides maxime est habenda, fatis declarant, *Imperiosi* cognomen ei non in senectute fuisse denuo inditum, vt nota esset tam tristis exempli, quod tunc publice in filium statuit, sed a patre haereditarium accepisse. Ideo enim prius *Imperiosum*, et dein demum *Torquatium* cognominant, vt ita constaret illud in eo viro fuisse antiquius, et a patre eius, non ab ipso, sicut alterum quod tamen iam iuuenis adhuc suo ipsius merito habuit, exortum. Grauiissime autem in his lapsus est Valerius Max. patrem et filium confundendo, seu patrem L. Manlium filii nouo cognomine

mine *Torquatium* vocitando. Nam *L. Manlio Torquato diem a Pomponio Tribuno pl. dictam* ait V. 4. 3. quod legitimum obtinendi imperii tempus excessisset, filiumque optimae indolis rustico opere attereret, atque ista feueritate Reip. subtraheret. Filii autem opera, quamvis feuerissime a patre habiti, effectum, *ne Torquatus causam diceret*. Sumit ille hoc exemplum ex Cicer. de Offic. lib. III. qui patrem *L. Manlium A. F.* praetermissio cognomine, ex antiquo appellandorum illustrium hominum more appellat. Valerius vero ex sui temporis more cognomen ei adiungere voluit, et quidem clarissimum Manliae gentis, non animaduertens a filio demum huius Lucii, et eius singulari ac nobilissima contra Gallum, cui occiso torquem detraxit, pugna originem illud et initium cepisse. Hunc lapsus in suo Auctore Pighius, quum ferre non posset; nec agnoscere vellent, et sciret patrem *L. Manlium* proprium *Imperiosi* habuisse cognomen, ab omnibus ante se editis et scriptis codicibus recessit, et pro *Torquato* in utroque huius exempli loco *Imperiosum* edidit. Quod et deinceps ab omnibus aliis secure fuit receptum, donec nuper Ioh. Vorstius maluit ea in re *μνημονικὸν ἀνέστημι* Auctoris fateri, et antiquam lectionem optimo iure restituit. Sed quod idem in Notis ait, mirum esse, quod hic Pighius de Torquati nomine dubitare potuerit, cum infra V. 8. 3. retinuerit *Imperiosi illius Torquati*, atque ita illi ipsi Manlio Imperioso Torquati quoque nomen a Valerio tribui rulerit, in eo insigne suae ἀνισοροσίας prodit documentum. Quod et illo ipso capite octauo repetit, addito mirum et illud esse, quod Auctor eidem Manlio, cui *Imperiosi* nomen, et recte, dedit, etiam *Torquati* nomen adscribat,

quum hoc cognomen filius Imperiosi demum acceperit. Censet ergo *Torquati* nomen etiam illic omnino inter *πυροράματα* Auctoris esse numerandum. At ὡς γὰρ ἐπὶ, dum iterum Valerium in eodem nomine et homine cespitasse arguis, ipse deprehenderis grauissime lapsus, et incassum miraris, hunc a te excogitatum, Valerii errorem a Pighio non esse obseruatum. Manifeste enim illic Auctor non de patre L. Manlio Imperioso, sed de filio T. Manlio Torquato agit. Eius enim imago seueritate conspicua filium fortissimum et victoriam consecutum, tamen quod iniussu suo pugnasset, supplicio et morte adficiens, incitauit diu post alium eiusdem gentis T. Manl. Torquatum, vt et ipse filium a Macedonia prouincia, cui praefuerat, per legatos accusatum, et peractum reum tristissima sententia damnaret abdicaretque, immo neque eius funus voluntaria idcirco morte extincti comitaretur. Quod autem Titum illum, Lucii filium, *Imperiosum illum Torquatum* vocat, declarat eo Auctor aequae significationem vocabuli, (reuera enim *Imperiosus* erat, qui tam seuerè et atrociter imperio utebatur) ac transitum paterni cognominis ad hunc filium Torquatum. Significatio cognominis, si illud ex hominis ingenio, corporis aut animi virtute vel vitio fuit ortum, lubenter et de industria hoc modo ab Auctoribus argui solet. Ita Cicero de Finibus II. 28. *Frugi ille Piso* de homine clarissimo, qui frugalitate sua illud cognomen meruerat. Immo in hoc ipso cognomine et his ipsis Manliis Seneca de Benef. III. 37. *Vicit patrem, Imperiosum quidem, T. Manlius* scil. pietate sua quod Tribunum, qui diem patri dixerat, de quo supra, accusationem remittere coegit. Paternum vero hoc *Imperiosi* cognomen ad filios, et speciatim

tim etiam Titum hunc transiisse, ex Fastorum Con-
 sularium constat fragmentis, in quibus ille, vt
 modo dixi, simul *Imperiosus Torquatus*, aequae ac
 in Valerio cognominatur. Immo sunt, qui solo
Imperiosi cognomine, tanquam ipsi proprio, eum
 delignant, quasi existimauerint, id illi praecipue
 et primo fuisse inditum ex cognita tam tristis sup-
 plicii in filium victorem acerbitate; eamque siue
 sententiam, si ex antiquioribus est Annalibus pe-
 tita, siue errorem etiam Liius lib. IV. contra
 suam ipsius Historiam, vt in sequentibus eam ex-
 posuit, et nos modo ostendimus, videtur secutus.
 Plinius certe Nat. Hist. XXII. 5. *Hic Decius postea*
se Consul, Imperioso Collega, pro victoria deuouit.
 Collega iste Decii est T. Manlius, Lucii Fil. qui
 cum Decio Consulatum gessit an. V. C. 413. in
 eoque filium suum securi percussit. Manifestius
 etiam, vere id existimasse Frontinum, ex eius
 Strateg. IV. 1. 40. apparet. Nam ibi, *Manlius*,
 ait, *cui Imperioso postea cognomen fuit, filium, quod*
is contra edictum patris cum hoste pugnauerat, quam-
uis victorem, in conspectu exercitus virgis caesum,
securi percussit. Si postea demum, necessario cogno-
 men hoc ab illo facto accepisset, certe non a pa-
 tre habuisset haereditarium. Similiter Plutarchus
 de hac ipsa re agens in Parall. cap. 12. Torqua-
 tum hunc appellat *Μάλλιον τὸν ἐπιτάκτην ἐπικληθέντα*
 hoc est, *Manlium Imperiosum cognominatum.* Hic
 vero ibidem etiam in eo siue ipse seu potius Ari-
 stides Milesius, vnde haec adfert, errat, quod ait
 Manlium Romam ad comitia consularia profectum
 edixisse filio, ne se absente cum hoste pugnaret,
 cum ex Liuio VIII. 6. 7. constet Coss. tam Decium,
 quam Manlium praesentes in castris edixisse gene-
 ratim, ne quis ex toto exercitu extra ordinem,
 hoc

hoc est, singulari pugna in hostem pugnaret, id quod fecit postea filius oblitus edicti Consulum in castris agentium, quum exploratum ad castra hostium missus, et ibi a Geminio Mettio Tusculano esset prouocatus. Grauius etiam erratur eodem in loco, quum factum hoc traditur Romanis contra Samnitas bellantibus, pro quibus tunc contra Latinos Campanosque illi pugnabant, vt iam supra cap. II. docui.

Ex eadem porro Annalium veterum discrepantia ortum censeo, quod, quum Liu. lib. XXXI. L. Furium Purpureonem Praetorem in pugna contra Gallos aedem Ioui vouisse dicit, si eo die hostes fudisset, ipsa ea aedes bis postea apud eundem diuersis annis et diuersis vrbis in locis et denique a diuersis duumuiris dicata legitur. Nam lib. XXXIV. cap. 53. *In insula Iouis aedem C. Seruius Duumuir dedicauit, Vota erat sex annis ante, Gallico bello ab L. Furio Purpureone Praetore.* Deinde lib. XXXV. cap. 41. *Aedes duae Ioui eo anno in Capitolio dedicatae sunt. Vouerat L. Furius Purpureo Praetor Gallico bello vnam, alteram Consul. Dedicauit Q. Murcius Ralla Duumuir.* Existimem occasione dedicatae in Capitolio aedis, quam Furius Consul vouerat, male in nonnullis Annalibus adiectam mentionem aedis, quam Praetor vouerat, quasi tunc demum simul cum illa dedicatae: atque inde factum vt vna haec aedes tam diuersimode apud Liuium, prout alio anno et loco alios subinde secutus est Auctores, dicata occurrat.

Similiter quum M. Valerium Laeuinum *bis Consulem fuisse* dicit lib. XXIX. cap. 11. et lib. XXX. cap. 23. et tamen alter illius Consulatus in ipsa Liuii Historia nusquam reperiatur, etiam istis in locis videtur alios, quam antea, ad manum habuisse

buisse Annales. Pighius quidem primum anno 533. Consulem, sed suffectum, fuisse putat. Livi-
 us vero anno 543. quo anno omnium consensu Con-
 sul fuit, tantum abest, ut tunc Consulem H. vo-
 cet, sicuti debuisset, si iam ante Consulatum ob-
 tinuisset, ut contra *nouum Consulem* appellet, hoc
 est, qui antea Consul non fuerat, eaque causa
 opponat Q. Fabio et M. Marcello, quos *pleno
 honorum* dicit. Ex quo manifestum, prioris Con-
 sulatus ipsum certe nullam in Historia sua habuisse
 rationem, quamuis postea duobus in locis eum
 agnoscat.

Nusquam vero foedius, quippe proximis inter
 se locis, *ἀόυσαρα* plane scripsit ex illo veterum
 Annalium dissensu, quam libro IX. Capite enim
 26. C. Maenium Dictatorem dicit exercendis quaes-
 tionibus creatum, quod nunciatum esset, Capuae
 occultas principum coniurationes factas contra
 Remp. Romanam. Mox vero cap. 34. quarto an-
 no post P. Sempronium Tribunum pl. in oratione
 aduersus Appium Censorem hac de re ita loquen-
 tem inducit: *Quid ego antiqua repetam? Nuper in-
 tra decem annos C. Maenius dictator, quia, quum
 quaestiones seuerius, quam quibusdam potentibus tu-
 tum erat, exerceret, contagio eius quod quaerebat,
 criminis ipsi obiectata ab inimicis est, ut priuatus
 obuiam iret crimini, dictatura se abdicauit.* Lau-
 datur Maenius, quod ultro, nulla cogente neces-
 sitate, necdum tempore Dictaturae retinendae ela-
 pso, tantum ut priuatus accusari et defendi posset,
 Dictatura se abdicauerit. Et recte. Nam ita res
 gesta est; postquam quaestiones de coniuratione
 Campana in Vrbe finitae, etiam Romae de coitio-
 nibus potentium ad obtinendos Magistratus ab eo
 exerceri sunt coeptae. At quod dicitur *intra de-*

cem

cem annos, quum quarto abhinc anno id omne factum sit, quis ferat? Glareanus ergo locum haud dubie corruptum clamat, id quod Sigonius tamen contra suam consuetudinem tacitum praetermittit, fatis eo declarans, nullam se difficultatis huius expediendae rationem inuenire. Nuper vero Tanaquillus Faber aliter, quam oportebat, haec accipiens: *Hem annos?* ait, *immo dies*, et, quasi re certissima, *rationes non addere* restatur. Verum ut taceam e capite 26. abunde posse colligi, non videri intra tam paucos dies Dictaturam depositam, in qua primum Capuae sunt exercitae quaestiones, et quidem tamdiu, donec *materia*, quae magna sane ibi fuit, *decessit*, et inde postea versae Romam aduersus coitiones, honorum adipiscendorum causa factas, *latiusque* ibi *et re et personis* extensae, censente Dictatore, *sine vlllo sine quaestionis suae ius esse*, vsque dum postulatis nobilibus aliquot, iisque frustra appellantibus tribunos pl. ab iis ipsi Dictatori criminis, quod quaerebat, contagio obiecta est. Haec omnia intra decem dies gesta, quis verisimile ducat? Verum inanis est haec coniectura, nulla vti membranarum, ita nec Historiarum auctoritate fundata, immo omni earum cognitione destituta, cuiusmodi quae sunt, pessime plerumque de Historicis merentur, licet aliquando vim ingenii speciose praeferant. Etenim iam diu est, quod doctiss. Pighius in Annalibus ad ann. 433. erudite ostendit, vnde orta fuerit haec in Liuiio a prioribus discrepantia. Nempe alium secutus ille est Auctorem in ista P. Sempronii oratione exprimenda, alium in superioribus. Nam in quem annum ipse G. Maenii Dictaturam *quaestionum exercendarum causa*, Magistro Equitum M. Fossio, refert cap. 26. eo Fasti Capitolini C. hunc
Maenium

Maenium Dictatorem, et M. Fossium Magistrum Eq. sed vtrumque II. hoc est, iterum, secunda vice, faciunt, et quidem *rei gerendae causa*. Fuerat ergo et antea secundum nonnullos Dictator. Verum hanc priorem Dictaturam Liuius omnino praeterit. At ex Fastorum Capitolinorum fragmentis eruerunt eam simul cum M. Fossii priore Equitum Magisterio viri docti Sigonius, Onufrius et Pighius, et quidem ipso decimo abhinc anno. Quamobrem censeam ego C. Maenium et M. Fossium vere, et tantum, *quaestionum exercendarum causa* creatos: sed eam rem ab aliis ad annum Urbis 433. ab aliis ad annum 439. relatam: atque inde Verrium Flaccum, cum Fastos ordinaret, vtroque anno Maenii Dictaturam cum eodem Magistro Equitum posuisse, prius quaestionum exercendarum, dein rei gerendae causa. De quo vtrumque sit, manifestum certe iam est, illud *intra decem annos* non esse in Liuiio mutandum, eumque hoc loco illos sequi Auctores, ex quibus etiam Fasti Capitolini istam Maenii Dictaturam, et exercitas in ea quaestiones in decimum abhinc annum conferunt, quamuis in superioribus illo anno Dictaturam Maenii prorsus ignoret, et eorum receperit sententiam, qui eam quarto abhinc anno assignant. Plane vti libro VII. XXV. annos ab Vrbe capta et restituta ad mortem Camilli cum plerisque aliis Auctoribus statuit, licet in historica rerum et annorum serie vigesimi quinti nullam omnino habeat rationem, eos videlicet secutus, qui id spatium vno anno arctius fecerunt, vt prolixè contra Pighium infra cap. X. docemus.

CAPUT IX.

Incuriam quandam ac negligentiam etiam in Veteres Historiarum aliarumue rerum Scriptores cecidisse, certosque errores seu *αμαρτήματα μνημονικά* in illorum quoque operibus occurrere satis iam superque, ni fallor, probauimus. Sed tamen longe adhuc manifestius id declarant, neque vlllo amplius modo ambigere nos sinunt illa apud eos loca, quibus antiquiores alios Auctores aperte, iis etiam laudatis aliquando, sequuntur, et tamen non satis recte et fideliter, quod in illis legerant, et legisse se ipsi quandoque profitentur, repetunt aut interpretantur, indubitatum memoriae suae aut iudicii vitium, nimia ista, et oscitantiae cuiusdam affini festinatione, prodentes. Tale est, quod me primum obseruasse existimabam, quum euoluarem Macrobius, et quae ad illum obseruata sunt a Viris eruditis. Nempe ait Saturn. II. III. *M. Varro in libro de Agricultura refert, M. Catonem, qui post Vticae periit, cum heres testamento Lucilii esset relictus, pisces de piscina eius XL. millibus vendidisse.* Primo legendum et hic et paulo ante nomen *Luculli*, non *Lucilii*. Loquitur enim de L. Lucullo, nobilissimo Imperatore, Viro villis suis et piscinis deditissimo. Deinde si conferatur Varro de re rustica, quod ille opus *librum de Agricultura* vocat, quia de ea incipit, seu quia librorum de re rustica primus de Agricultura speciatim agit, patebit liquido, perperam haec et loco non inspecto a Macrobio e Varrone adferri. Dicit enim ille lib. III. c. 2. *Age non M. Cato nuper, cum Luculli accepit tutelam, e piscinis eius XL. millibus HS. vendidit pisces.* Pisces e piscina Luculli vendidit Cato secundum

cundum Varronem, non tanquam heres Luculli, ut tamen ex Varrone refert Macrobius, sed tanquam tutor filii et heredis eius: quomodo et Columella VIII. 16. Attamen iisdem temporibus, quibus hanc memorabat Varro luxuriam, maxime laudabatur severitas Catonis qui nihilominus et ipse, tutor Luculli, grandi aere HS. millium quadringentorum (Varronis et Macrobi codd. quadraginta, utrum rectius? Certe illud grandius) piscinas pupilli sui venditabat. Etenim L. Lucullus ille piscinarius filium habuit ex Catonis sorore vterina genitum, eique tutorem praecipuum dedit testamento M. hunc Catonem pueri auunculum, ut non modo ex Plutarcho constat, sed et ex Cic. de Finibus III. 2. potest colligi. Verum hunc Macrobi error, notavit iam Popma ad Varronem, sed et ante eum Ob. Gifanius in vita Lucretii, immo et ante hunc vir doctissimus sui seculi Ferdin. Pintianus in Notis ad Plin. Nat. Hist. IX. 54. cuius tamen illi memoriam dissimulant, quamvis Pliniani tamen loci alter certe meminerit.

Similiter autem hic ipse Plinius XV. 15. Virgilium quae dicere ait, in iis et ipse memoriae vitio peccasse deprehenditur. Agit de variis arborum insitionibus, et *expertos cuncta homines* ait. *Quippe cum Virgilius insitam nucibus arbutum, malis platanum, cerasis ulmum dicat.* Quibus verbis respicit haud dubie locum Georg. II. v. 69.

Inferitur vero ex foetu nucis arbutus horrida;

Et steriles platani malos gessere valentes,

Castaneae fagos; ornusque incanuit albo

Flore pyri, glandemque sues fregere sub ulmis.

Franc. Floridus Sabinus subsec. Lect. I. 12. loca haec iam olim contulit, et notata, quae in iis erat,

discrepantia vehementer haesitans, maluisse tamen potissimum videtur, apud Virgilium ex Plinio legendum esse *cerasumque suos fregere sub ulnis*. Sed profecto manifestus est error Plinii, qui quum haec scripsit, non adhibuit, ut oportebat, Virgilii exemplaria, sed nimis memoriae suae confusus, quod ea parum fideliter suggererat, ex illo retulit.

Plane sicuti ex altero Poetarum item, sed Graecorum, Principe Homero ipse Cicero de Gloria lib. II. perperam itidem retulit Aiacem cum Hectore congressurum egisse ut sepeliatur, si fuerit forte victus, et declarasse, velle se ut etiam multis post seculis tumulum suum praetereuntes sic loquantur:

*Hic situs est vitae iam pridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo percussus concidit ense;
Fabitur haec aliquis, mea semper gloria viuet.*

Quum huius sententiae versus, quos Cicero obiter, ut apparet, et perfunctorie prorsus inspecto libro in Linguam Latinam vertit, non *Ajax apud Homerum dixerit, neque Ajax egerit, ut sepeliatur, sed Hector* utrumque, ut ex Homeri τὸν H. monuit Gellius Noct. Att. XV. 6. Simillima alia ex eodem Poeta in Aristotele aliquot locis obseruarunt iam Eruditi. Tanto autem grauior est iste Tullii error, quod postremus utique versus non ita commode dici potuerit ab eo, qui de se ipso, si victus sit, loqueretur, quodque istis, quae superioribus versibus continentur, dicendis non tam Aiaceis victi, quam Hectoris victoris gloria semper erat victura. Certe ita Poeta ipse sensit, apud quem Tullius Aiacem haec omnia, si victus sit, pepigisse et dixisse falso scribit. Apud eum enim Hector fortissimum Graecorum ad singulare certamen

men prouocans, paciscitur quidem, si victus sit, vt suis ad sepulturam reddatur, sed et ipse vicissim vltro promittit, se, si Victor sit, occisum in pugna aduersarium Graecis redditurum, vt et eum illi sepeliant, et ita demum posteri tumulum illius a se victi et occisi, praetereuntes dicant, situm istic esse, qui quondam Hectorea manu et ense ceciderit. Quibus ille dictis, suam (victoris scilicet Hectoris) gloriam semper victuram vere auguratur.

Ceterum qua in alienis referendis incuria vsus est illic Cicero, Aiaci Graeco Orationem ab Homero dari scribens, quam ille Hectori Troiano prouocatori, et Aiacis Antagonistae dederat; eandem prorsus in suis passus est a Pomponio Icto, quum is §. 41. de Orig. iuris L. Crasso elogium tribui a Cicerone ait, quod ille Q. Mucio Scaeuolae perpetuo pene et ideo saepe simul commemorato eius in togata militia aduersario tribuerat. Sed quoniam Ictus ibidem simul grauissime in historiam impingit, a doctis autem et inprimis Rupto studiosissime defenditur, mutando etiam et transponendo omnia, quae minus congrua videntur, res paulo altius est repetenda. Superiore §. de tribus egerat Ictis, P. Mucio, tum Manilio, et Bruto, quorum hic Praetorius, illi Consulares Mucius vero etiam Pontifex Max. fuerit. Iam §. 41. *Ab his profectos* dicit Rutilium, Virginium et Tuberonem, hoc est, vt recte Cuiacius, horum fuisse discipulos: vixisse etiam eodem tempore, quo scil. tres posteriores Sex. Pompeium, Gnaei patrum, et Caelium Antipatrum ac denique L. Crassum. Quibus deinde §. seq. statim subiungit Q. Mucium P. F. Pontificem Maximum. Sed quae ad describendum et ornandum L. Cras-

fum addit, ea partim in P. Crassum ex Mucia familia in Liciniam Crassorum adoptatum, partim in Q. Mucium proxime sequentem conueniunt: *Etiam L. Crassus*, inquit, *frater P. Mucii*, qui *Mucianus dictus est*, scil. eodem tempore vixit. *Hunc Cicero ait Ictorum disertissimum*. At vero falsissimum illud, L. Crassum fuisse P. Mucii fratrem. Reponit ergo Rupertus, *P. Crassus*. Scilicet ne errasse Pomponius videatur, qui tamen vel sic erroris penitus absolui nequiquam posset. Qua enim ratione excusari queat, quod, si ita legas, tam longo interuallo P. hic Crassus a fratre P. Mucio separaretur, et inter huius discipulos et sectatores, eorumque aequales ultimo referretur loco, quum his omnibus natu longe maior, et ante fratrem suum mortuus fuerit, immo eum in Pontificatu Max. habuerit successorem. Sed clarissime tum horum, tum ceterorum omnium, qui in hoc, et seq. §. nominantur, aetas vt *P. Crassi* nomen et mentionem respuit, ita *L. Crassi* tuetur, vt ad quem recto ordine post illos modo memoratos P. Mucii discipulos et horum aequales proceditur et quidem proxime post Coelium Antipatrum, qui teste Cic. in Bruto cap. 26. *L. Crassi* fuit *Magister*. Commodissime item eidem subiungitur continuo Q. Mucius, qui L. Crassi in omnibus pene honoribus fuit collega, vt ibid. Cicero cap. 43. Quum igitur aetas ipsa horum Ictorum Pomponium deduxisset ad L. Crassum clarissimum et disertissimum causarum actorem, et tamen, vt videtur, non omnino ille ignoraret, fuisse etiam celeberrimum Ictum, P. Mucii fratrem, a Crasso quodam adoptatum, et inde *Crassum Mucianum* dictum, ea ego causa factum opinor, vt, quod P. Crassi erat proprium, per insignem errorem,

re non inquisita, ille L. Crasso adscripserit, eosque duos nobilissimos Crassos ita inter se confuderit. Satis enim certum est, non raro etiam alibi, quicquid contra nitatur Rupertus, huius generi *ἀντιστοιχίᾳ* eum cespitasse, immo in hoc ipso § quando Tuberonem illum Stoicum Consulem fuisse dicit, quod iam cap. II. abunde refutauimus, sed vel maxime, quando L. Crassum elogio *Ικτορῶν* *disertissimi* a Cicerone ornari addit. Tribuit enim illud Cicero, non L. Crasso, sed Q. Mucio: Verum tamen in eodem loco non modo de L. Crasso, quoque agit, sed et eum ex professo cum Q. Mucio in omnibus comparat, ac simili prorsus encomio extollit, *Eloquentium Iuris peritissimum*, et iterum *disertorum consultissimum* vocans in Bruto cap. 39. et 40. Debitam fidem, et solitam in Ruperto industriam desidero, quum ad §. seq. ex priore Ciceronis loco quasi de vno et solo Mucio dictum adfert, *Eloquentium iurisperitissimus et iurisperorum eloquentissimus*. In quo idem patitur vir ceteroqui diligentissimus, quod veteres quidam hoc capite a me notati. Laudes enim illas isto loco diuisit Cicero in vtrumque, Crassum et Scaeuolam, seu L. Licinium Crassum et Q. Mucium Scaeuolam. Verba sunt: *Ita tum ab his patronis aequalibus causa illa dicta est, cum vterque ex contraria parte ius ciuile defenderet, vt Eloquentium iurisperitissimus Crassus iurisperorum Eloquentissimus Scaeuola putaretur*. Et cap. seq. de iisdem: *Vt paulo ante dixi, Consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum Consultissimum fuisse*. Nam quae idem Rupertus ex lib. I. de Oratore adfert, vbi vtrumque vni Scaeuolae tribuitur, sciendum est, Ciceronem ibi pro more dialogorum non ex sua, sed ex ipsius L. Crassi persona loqui, qui solenni

humanitate etiam alterum sibi debitum et conueniens elogium in praesentem et audientem Scaeuolam liberaliter confert. Patet autem ex his, non Mucianum illud elogium, *Iuris Consultorum disertissimi*, sed aliud *Disertorum Consultissimi*, L. Crasso a Cicerone fuisse datum, facillimo autem memoriae lapsu illud huic, minime autem P. Crasso, tanquam ex Cicerone potuisse a Pomponio adscribi, vel quia illud non multum, quod ad tum verba, tum sensum, mutata tantum eorundem nominum flexione, discrepabat ab eo, quod vere L. Crasso adiunxerat Tullius, vel quia ille vtrumque et hominem et elogium eodem in loco simul commemorauerat. Multo certe hoc mihi verisimilius videretur, quam, quod volunt Cuiacius et Ruperus, librarios adeo hic peccasse, vt quod Pomponius sequenti §. attexuerat, illi inde repetitum incredibili pene oscitantia vel audacia huic adiecissent. Nam si vsquam, certe hic non ita temere vulgatae lectionis fides tam remotis et operosis coniecturis sollicitari debet, quippe quum subnixata sit omnium antiquissimis Etruscis Pandectarum membranis.

Adde his scriptoribus Plutarchum, qui in Camilli Vita Liuii auctoritatem laudans de translatione Iunonis Reginae ex Veientana Romanam in Urbem parum accurate et ipse ea in re versatur. Dicit Camillum cum iam vellet Iunonis statuam deportare Romam, sacrificasse ei prius, ac supplicasse, vt beneuole acciperet propensam suam voluntatem, et propitia fieret *σύννοικος* Diis, qui Urbem Romam tenebant, eam vero ipsam respondisse, se et id velle et consentire eius voluntati. Subiicit iam *Λίβιος δὲ φησιν, εὐχεσθαι μὲν τὸν Κάμιλλον ἀπτόμενον τῆς θεᾶς, καὶ παρακαλεῖν, ἀποκρινασθαι δὲ*

τινας

τινος τῶν παρόντων ὅτι καὶ βέλεται, καὶ συγκαταίνῃ,
 καὶ συνακολεῖται προθύμως. Recte hoc vnum ex Liuiο
 retinuit, nihil ex eius sententia ipsam respondisse
 Deam vel statuam Deae, quod alii tradiderant.
 De cetero longe recedit ab eo, in his ipsis, quae
 tamen eum dicere ait. Etenim si Graeca haec le-
 gamus, neque Liuium hac Historiarum parte ha-
 beremus superflitem, existimarem omnino, tra-
 didisse eum, precante Camillo, adstantes boni
 ominis causa adclamasse, Velle Deam Veis mi-
 grare, et Camilli precibus, suaeque deportationi
 in Urbem Romam consentire, Camillumque ac
 Romanos lubenti animo secuturam. At longe
 aliter Titus lib. V. cap. 22. nullam omnino in his
 Camilli mentionem faciens, quem ex eius verbis
 colligas, rei in templo Iunonis gestae, atque aliis
 mandatae non interfuisse. *Delectos* enim scribit
ex omni exercitu iuuenes quibus deportanda Romam
Regina Iuno adsignata erat, venerabundos templum
inisse, religiose manus statuae admouentes. Deinde
quum, non Camillus, sed alius, haud dubie ex
illis iuuenibus QUIDAM, seu spiritu diuino ta-
ctus, seu IUVENILI ioco, Visne Romam ire,
Iuno? dixisset, annuisse Deam ceteros conclamasse:
atque inde fabulae adiectum, Vocem quoque dicen-
tis, VELLE, auditam. Vides nullas in his dari
 partes Camillo, quamvis Plutarchus diserte tradat,
 Liuium dicere, Camillum veneratum seu preca-
 tum, et quidem tacto Deae signo, atque adhorta-
 tum Deam, vt migraret scil. Romam. Deinde
 ex Liuii sententia adstantes non ita temere, nec
 proprio instinctu, tanquam respondentes Camillo,
 nihil videntes, nihil audientes de Deae voluntate
 et consensu pronunciaffe, vt Plutarchus ex Liuiο
 refert, sed, eam interrogationi Iuuenili annuisse

fibi visam, conclamasse, atque inde ortam illam fabulam, quae Deam non solum nutu, sed etiam voce, *Velle* dicendo, voluntatem suam significasse tradat. Manifestum hinc Plutarchum ad istam Liuii sententiam de translata Iunone Regina ex eius Historiis in suam Camilli vitam, licet expresso eius nomine, includendam, non tamen aduocasse, ut oportuerat, ipsos Auctoris codices, sed solam suam memoriam, qua fretus dicere eum ait, quod tamen ille non dicit.

Idem in Marcello multis refert necopinam eius caedem, in insidiis a Poenis interfecti, Hannibalem porro annulum ei abstulisse, quo in suam rem vteretur, ceteroqui corpus decenti ornatu cultum, et pretiosis vestimentis indutum cremasse, et ossa in urnam argenteam collecta, atque aurea corona honorata ad filium eius misisse: Quosdam vero Numidas incidisse in eos, qui urnam deportabant, eamque illis vi abstulisse, ut argento potirentur, atque ita ossa dissipasse. Hannibalem denique re cognita, praesentibus dixisse: Nihil omnino fieri posse inuito Deorum Numine, et idcirco, punitis tantum Numidis, nullam amplius adhibuisse curam, ut colligerentur denuo Marcelli ossa, ac ad filium perferrentur, tanquam si Marcello, diuino prorsus Numine, obuenisset, tam inopinato casu et vita et sepultura carere. Ταῦτα μὲν ἔν (subdit) ὁς περὶ Κορνήλιον Νέπωτα, καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἐσορήκοισι. Δίβιος δὲ καὶ Καῖσαρ ὁ Σεβαστός, κομιδῆνας τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν υἱὸν ἐσθήκασιν, καὶ ἀφῆναι λαμπρῶς. In his utrum recte an secus Auctores, quos nominat, citauerit, eos saltem, qui supersunt, lectorum esto existimatio. Largimur facile, Nepotem in deperditis libris ea forte, quae narrat hic Plutarchus, tradidisse. Nam et Aurel. Victor, *Ossa Romam*

Romam remissa, a praedonibus intercepta periisse dicit. At Valerius Max. qui nihil reliquit, nisi dictorum et factorum memorabilium Libros etiamnum superstites, nusquam in illis tale quid Marcelli ossibus accidisse, immo nihil prorsus de iis memorat.

Tantum ab Annibale Marcellum in agro Bruttio interemtum, ac legitimo funere elatum, *Punicoque sagulo, et corona donatum laurea, rogo impositum* scribit. lib. V. c. 1. Ad quem locum respexisse Plutarchum censent Schottus in Notis ad fragmenta Nepotis et Freinshemius ad Curtium, adeo ut ex eo etiam emendare Valerium audeant, pro *laurea* corona reponentes uterque *aurea*. Quod si ita, certe falso Graecus scriptor ea, quae prodidit de humanissima Hannibalis cura circa reliquias Marcelli, et aduerso earundem casu, in quo solo haeret dubitatio, et discrepantia inter Veteres, a Valerio Max. quoque referri subiicit, quum is nihil utique isto loco de Marcelli extremis tradat, nisi quod omnium consensu constabat, et ideo verbo tantum ac pene praetereundo a Plutarcho significatur, Hannibalem Marcelli corpus pretioso cultu ornatum rogo imposuisse. Sed et quod Liuium dixisse ait, id quoque apud eum si inuestiges, inanem itidem sumes operam. Certe ego nusquam in eo legisse memini, urnam cum ossibus Marcelli ad eius filium ab Hannibale missam et perlatam esse. Immo nihil item ille aliud, nisi Hannibalem *inuentum Marcelli corpus sepeliuisse* lib. XXVII. cap. 28. nulla prorsus de urna vel ossibus facta mentione.

Non leuis sane isthaec animi negligentia, ita temere aduocare antiquiorum Auctorum testimonium, et ex iis non denuo, ut oportebat, inspectis,

quidque, prout fallax memoria calamo suggerit, in operibus posteritati utique et aeternitati conferendis referre, immo ea quae vel apud alios, vel certe non ita apud eos, quos nominas, legeris. Non infrequens tamen id genus errati, cum in huius tum in Veteris aevi scriptis. Ipse Cicero in Oratore suo, quae ex Veteri comoedia de Pericle adfert, *Eupoli* tribuerat, quum *Aristophani deberet*. Sed postea errorem hunc suum correxit, et in vulgatis iam exemplaribus ab Attico corrigi voluit, ut ex lib. XII. ad Att. supra cap. 1. docui. Ita Platonem duobus locis Euripidi adscribere versum Sophoclis in Aiace Locrensi, σοφοὶ τέρωνοι τῶν σοφῶν συγγραφεῖς, notatum ab aliis. Nepotem quoque similis fere peccati arguit ad Excerpta Polybiana doctiss. Valesius, quod in Hannibale tradat, ex Polybii sententia illum obiisse Aem. Paulo, et Baebio Tamphilo Coss. quum Polybius, teste Liuiolib. XXXIX. cuius potior hac in re sit fides, eum interiisse scripserit; Cl. Marcello, et Fabio La-beone Coss. Sed hic quidem id ipsum pene admisit vir doctissimus, cuius Nepotem accusauit. Nusquam enim id Liuius, qui ipse quidem in illorum Consulium annum refert Hannibalis mortem, sed Polybii auctoritatem eam in rem nullus aduocat: Verum ab Hannibale ad Scipionem transiens, de huius obitus anno Polybii sententiam exponit cap. 52. *Hic vitae exitus fuit Hannibalis. Scipionem et Polybius et Rutilius hoc anno mortuum scribunt.* Quae verba Valesium decepisse videntur. Interim tamen, quam sententiam Polybio tribuit Nepos, eam Liuius cap. 56. Valerio Antiati, tanquam peculiarem, certe soli adscribit, nulla neque illic facta Polybii mentione. Ceterum quam diuersitatem citatae a duobus ex vno

Auctore

Auctore vnus rei, quae diuersitatem non capiebat, in Liuiio et Nepote deprehendisse se rebatur Valesius, eam in Licinio Macro et Q. Tuberone obseruauit ipse Liuius IV. 23. *Eosdem Consules, inquit, insequenti anno resecutos Iulium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium inuenio Valerius Antias, et Q. Tubero Marcum Manlium et Q. Sulpicium Consules in eum annum edunt; ceterum in tam discrepanti editione et Tubero, et Macer libros lintheos auctores profitentur.* Erant hi antiquissimi et certissimi Magistratum libri, in aede Monetae olim repositi, ex quibus diuersos vnus anni Consules a diuersis Tuberone et Macro proferri iure miratur, et notandum duxit Liuius. *Causa rei haud dubie est alterius vtrius ἀμείωτη μνημονεύον.*

Maxime vero Grammatici alique id genus, et posterioris praecipue aevi scriptores in eo lapsi reperiuntur, vt alium pro alio Auctorem vel volumen nomen, alia etiam quam quae in istis leguntur, verba ex iis adferant. Quae omnia colligere ac exponere longior esset mora, quam nostri instituti ratio, aut lectorum patientia ferret. Ne tamen sine vllis documentis asseuerare haec videar, Laetantium velim videas, qui lib. I. ex *Lucano* profert quae sunt *Ouidii*: *Gellium* qui libro VII. ex *Aristotele* de Memoria, quae in libro eius de Somno et Vigilia occurrent; *Nonium*, qui V. *Dudeuicesimo* ex *Varone*, siquidem incorrupta sunt illic exemplaria, quae in *Fabio Annalium* conditore, vt infra cap. X. ostendam; *festum* qui V. *Satura* ex *C. Laelii Oratione*, quae in *Sallustio*. Hic vero non raro etiam, quum *Plauti*, quo saepissime vtitur, auctoritate suam confirmat sententiam, modo in ipsis verbis diuersissimi sensus, modo

in

in Fabularum nominibus exprimendis hallucinari deprehenditur. Ut cetera mittam, bis ille *Nervolariam* comoediam pro *Sticho* ponit, tum in *V. Oſculana*, vbi id iam obſervavit Scaliger, tum etiam ante in *v. Naſſiterna*. Vbi quia id animadverſum non fuit a diuino iſto heroe, ceterisue Feſti Interpretibus, grauiffime impegit Dionyſ. Gothofredus; qua cauſa illud quoque hic exponere, quamuis ad Hiſtoriam nullo modo pertineat, fert animus. Naſſiternam, cum dixiſſet Feſtus, genus eſſe vaſis aquarii anſati et patentis, vt quo equi perfundi ſoleant, duo adfert Plauti loca, vnum ex *Bacchidibus*, vbi tamen et iſte hodie non occurrit, alterum ex *Nervolaria*, vt ſcribit, his verbis, *Equis huc adfert naſiternam cum aqua ſine ſuffragio*. Heic Gothofredus *ſuffragium opinatur inſtrumentum eſſe, quo equorum ſuffragines aqua perfuſae curentur*. Verum enim vero documento haec ſint, vt ſunt clariffimo, quam inanis et vana ſaepe ſit opera eorum, qui in iſtis poetarum fragmentis apud Grammaticos hic illic occurrentibus, verum ſemper et integrum eruere conantur ſenſum, immo quam periculoſum ſit et aleae plenum eum coniecturis et emendationibus velle aſſequi, quum Grammatici illi frequentiffime ex Clafſicis Auctoribus verba adferant non integri ſed abrupti ſenſus, ſatis habentes, ſi eam vocem vel dictionem exhibeant Lectori, ad quam probandam iis vtuntur, ſine reſpectu ſententiae totius loci. Certe in hoc Plauti loco duo poſtrema vocabula, quae Gothofredus ita vt ſuperioribus conueniant, et cohaereant, interpretari conatur, adiecta ſunt a Feſto non ad ſupplendam ſententiam, ſed ſolummodo verſum, nihilque pertinent ad ſuperiora, niſi quod vno cum iis contineantur verſu, licet a

diuerſis

diuersis dicantur personis, et quod ad sensum ex sequentibus plane pendeant, a proxime praecedentibus alienissima. Leguntur apud Plautum in Stichō 2. 3. 28. vbi cum Dinacium seruulus multa ad purgandas in aduentum domini aedes comice imperasset; morigerante ei in omnibus Gelasimo parasito, et pergeret porro, postquam vltimo etiam humum scopis conuerri iussisset, *Ecquis huc adfert nasiternam cum aqua?* Reponit tandem Gelasimus, sed apud se, vel ad Auditores conuersus; *sine suffragio Populi tamen aedilitatem hic quidem gerit*, hoc est, quamuis Aedilis minime sit, quod esse non poterat; nisi populi suffragio in comitiis creatus, tamen omnia pro Aedile, seu pro imperio tanquam Aedilis in purgandis his aedibus agit. Errauit ergo planissime Gothofredus, dum non animaduertit versum esse Plauti, qui in superstitiis eius Comoediis occurrit, quamuis male a Festo ex deperditis, inter quas est Neruolaria, producatur; dein dum omnia verba fragmenti necessario inter se cohaerere existimauit, et vnus esse integri sensus, quum tantum sint vnus versus, ceteroquin distinctissimo apud ipsum Comicum, et diuerso atque imperfecto sensu. Neque vero hic solum Festus, sed et alibi in citationibus cum versu simpliciter definit, licet sententia minime expleta. Sic *Ruri esse, non, rure, dicendum testis est Terentius in Phorm.* quum ait: *Ruri se continebat, ibi agrum de nostro patre.* Nisi notissimus esset et Auctor, et locus, haud dubie etiam haec coniecturis tentarentur, aequae ac omnia Enniana, Pacuiana et alia id genus. Sed satis constat integra haec esse et verbis et versu, sed non tamen sensu, qui a Comico in sequenti versu perficitur duobus his verbis; *colendum habebat*, quae Festo tamen addere non

non fuit vifum, vt qui fatis probatum duxit iis quae attulit, *Ruri* a Poeta dictum, *non rure*. Ceterum vt et hoc obiter moneam, minime ego affentior Scaligero, quum Nasiternam cenfer appellatam, quod *tres* habuerit *nasos*, hoc est, anfas, quamuis in ea fententia etiam alios elle videam. Etenim Feflus fimpliciter anfatum fuiffe vas dicit, nec quicquam aliud praefert ipfa vox. Cuius pofterior pars nequaquam fignificat ternum naforum feu anfarum numerum, quod videntur velle, fed mera eft terminatio vocabuli a *nasitus*, feu *nasitus* formati, vt a cifta fit *cifterna*; atque ita *besternus*, *bodiernus*, *Taberna*, *Lucerna* et multa alia. Neque etiam necelle omnino eft, vt cum Illuftri Viro reponamus, licet idem voluerit nuper et Fulgentium Doctiffimus et Amiciffimus mihi, quum viueret, Interpreter, *Nasiterna* pro eo, quod Feflus habet, *Nasiterna*. Nam et *Nassica*, duplici item S. in antiquiffimo nummo fcribitur, quum tamen et hoc vocabulum a naso fuerit deductum.

Referri in hoc caput fummo iure poffunt etiam illi, qui quorum fe Epitomas confeciffie profitentur, eorum tamen Hiftoriam negligenter ac parum bona fide non nunquam expreflerunt, aliena quaequam ex memoria pro genuinis fui Auctoris, obtrudendo, vel alia pro aliis et faepe contraria ponendo. Huius generis funt, quae in Sulpicio Seuero, qui Hiftoriam facram, feu *res a mundi exordio facris literis editas breuiter conftinxit*, vt ait, et *permultis voluminibus per fcripta, duobus libellis concludit*, ab Hiftoricis veteris Teftamenti libris, vnde omnia prioris praecipue libelli, *deriuata* ipfe dicit, difcrepantia notarunt Docti Interpretes. Vt et quae in Triboniani fui fide defiderant et incufant Iuris Ciuilis peritiffimi viri, e

Veterum

Veterum Istorum commentariis parum sincere et accurate descripta, et in Pandectas digesta: Tum etiam quae nos supra cap. II. in Iustini Epitome a Trogo, vnde ille cognitione quaeque dignissima in eam excerptisse se praefatur, perperam tamen recedentia ex Prologis librorum Trogi animaduertimus et probauimus. Pauci sunt horum hominum, quorum fides et industria explorari liquido potest, quoniam plerique praestantissimorum Auctorum, quos illi hunc in modum compilarunt, vel contraxerunt, passi sunt ea re idem, quod Trogus locumque suum in Bibliothecis et vsu hominum cesserunt ieiunis his Epitomis, et *florum*, vt iactant, *corpusculis*. Inter eos tamen, quorum studium et veritas ad vberiora Auctorum suorum monumenta exigi atque examinari potest, praecipuus est Liuianae Epitomes conditor, cuius propterea quaedam incuriae exempla, et aberrationis a Liuii Historia, hic annotare, visum fuit operae pretium. Lib. XLV. *Macedoniam in prouinciae formam redactam* scribit, id quod iure summo reprehendit Gronouius, quandoquidem non tunc, victo Perseo, sed aliquandiu demum post, victo Pseudo-Philippo id factum constat. Verum quia Liuius cap. 29. et 30. Macedonum remp. a L. Paulo victore ordinatam, formula etiam, quae vniuersos teneat, dicta refert, ille ex eo, vt videtur, confestim in prouinciae formam redactam autumat, non cogitans, dici diserte a Liuiio, *Omniium primum liberos esse Macedonas, vtentes legibus suis, annuos creantes Magistratus*, iussisse Paulum. Quae utique cum prouinciae forma, vt inter omnes constat, minime conueniunt. Epitomen libri XLIV. suspectam plane, quasi ab alio quodam concinnatam, habuit Muretus: Haud dubie, quia *Paulus*

ibi

ibi *in concione*, antequam in Macedoniam proficeretur, *precatus* dicitur, *vt quicquid diri Populo R. immineret, supra domum suam conuerteretur*. Id quod erroris iam arguit luculenter Sigonius. In animo habuisse videtur, quicumque huius Epitomes fuit Auctor (neque tamen ego alium credo, quam qui ceteras confecit, et in iis item aliquando dormitavit) quod lib. XLV. Paulus post deictum ac triumphatum Persea, ac funera liberorum, de suo cum omni regia pecunia in Italiam felicissime iam reducis voto istam in sententiam facto, in concione dixit, idque in lib. XLIV. ubi nihil eiusmodi, sed alia prorsus Pauli ad populum oratio occurrit oscitanter profecto transtulisse. Librum XLIII. *res a Perseo Rege in Thracia prospere gestas continere* scribit, *victis Dardanis et Illyrico, cuius Rex fuerit Gentius*. At vide Liuium cap. 18. 19. 20. et deprehendes, quanta negligentia, qui optimos Auctores in ista redegerunt compendia, rem saepe gesserint. Nec enim Gentius omnis Illyrici erat Rex, sed tantum Labeatium Illyriorum, et Perseus, tantum aberat, vt Gentio, aut regioni, cui ille praefuit, bellum intulerit, vt contra nihil sibi maiori habuerit curae, quam eum ad amicitiam et societatem, secum iungendam omni modo perlicere. Atque ideo non Illyricum, cuius Rex fuit Gentius, sed alios Illyrici populos, inter suum et Gentii regnum interiectos vicit ac domuit. Simile negligentiae suae specimen dedit lib. XL. ipso initio, quando ait; *Quum Philippus liberos eorum, quos in vinculis nobilissimorum hominum habebat, conquiri ad mortem iussisset*. Quorum sensus: Philippum interfici curasse priuatim conquisitos vndique liberos eorum, quos in custodiam diuiserat per domos nobilissimorum hominum, seu quos

quos in vinculis tenebat apud nobilissimos sui regni homines. Hoc vero aperte falsum. Forte ergo legendum, alio tantum ordine; *liberos eorum, quos in vinculis habebat, nobilissimorum hominum*, ut saltem dicat, Philippum ad mortem, conquiri iussisse liberos nobilissimorum hominum, quos publice in vinculis et carcere continebat. Verum ne sic quidem cum Liuianae Historiae fide conuenit, quae Philippum refert ad singularum urbium praefectos misisse edictum de comprehendendis eorum, quos olim interfecerat, liberis, ut ita in custodia et vinculis eos liberos haberet, aliumque alio tempore tolleret. Vide Liuium cap. 3. et 4. Et adde Polyb. in Exc. Peires. qui vulgarem hunc versum ab eo adiectum scribit: *Νήπιος ὁς πατέρας κτείνει, οὐκ καταλείπει*. Errat et in eo, quod lib. XXXVIII. Gallo-Graecos Brenno Duce in Asiam transisse tradit. Nam communiter quidem Galli isto duce patriis finibus excesserunt, atque in Dardanos peruenerunt. Verum ibi seditione orta, et secessione a Brenno facta, ad XX. millia hominum cum Leonorio ac Lutatio regulis in Thraciam iter auerterunt, et inde quum peruenissent Byzantium, ac Propontidis oram obtinerent, diuersis locis in Asiam traiecerunt, ut tradit Liuius cap. 16. Brennus autem postquam illi in Dardania eum reliquissent, cum suis in Graeciam se vertit, atque ibi in oppugnatione Delphorum periit. Aequae a Liuiana veritate declinavit in breuissima libri XXXVI. Epitome. *Man. Acilius Glabrio Consul Antiochum apud Thermopylas Philippo Rege adiuuante victum Graecia expulit, idemque Aetolos subegit*. Ita ille, sed erat Philippus tunc quidem in partibus Romanorum, verum tamen quamuis ipse ab eis adiutus Athamaniam Amynandri in suam redegit-

set potestatem, tamen eos contra Antiochum iam proficiscentes vicissim adiuuare non potuit, utpote morbo impeditus. Certe pugnae ad Thermopylas non interfuisse illum atque ea causa se excusasse Consuli aperte scribit Lilius cap. 25. Nempe Philippum expulso iam e Graecia Antiocho *circa Thermopylas cum Consule redeunte ex Boeotia, ut victoriam ipsi Populoque Rom. gratularetur, excusaretque, quod morbo impeditus bello non interfuisset, congressum, atque inde diuersos, ad duas simul (Aetolorum) vrbes profectos.* Rectius omnia se haberent, si hoc ordine in Epitome legerentur, *Man. Ac. Glabrio Cos. Antiochum apud Thermopylas victum Graecia expulit, idemque Philippo Rege adiuuante Aetolos subegit.* Verum ille, quia memoriae eius inhaerebat, Philippum toto hoc contra Antiochum bello Romanis fauisse, inconsulto et inuito suo Lilio, isto quoque in proelio, quo vno Antiochus a Glabrione e Graecia eiectus est, adfuisse Macedonem putauit. Pergit eadem oscitantia contra clarissima Auctoris sui verba affirmare etiam Consulem Nasicam aedem Matris Deorum, quam ille antea in Palatium intulerat, dedicasse, quum diserte Lilius c. 36. a Nalica quidem Deam, quum ex Asia aduecta fuit, in Palatium a mari esse delatam, aedem vero eius tunc a M. Iunio Bruto Praetore Urbano dedicatam referat, quae ut et superiora omnia a Sigonio non animaduersa miror, quum lib. XLIV. Scriptoris huius negligentiam notare et declarare non neglexerit. Ille vero etiam lib. XXXI. a Tito suo dissentit. Nam cum hic c. 14. retulisset causam contracti Atheniensibus cum Philippo Macedone et Acarnanibus belli, quod nempe duo Acarnanes iuuenes templum Cereris per initiorum dies *imprudentes religionis cum cetera*

turba

turba ingressi, et cum absurde quaedam percunctarentur, sermone proditis idcirco, tanquam ob infandum scelus, essent interfecti, quamuis palam esset, *per errorem* ingressos: ille in Epitome ait, eos in sacrarium Cereris tempore initiorum *cum aliis popularibus suis intrauisse*. At nulla omnino apud Liuium mentio popularium, et si illi apud populares suos vel vltos sibi notos fuissent homines tunc, quum sacrarium Cereris intrarunt, non commisissent, vel certe admoniti fuissent, ne committerent errorem, qui quasi summum scelus ex ritu istius religionis morte eorum fuit expiatus. Mens Liuii fuit haud dubie, eos cum cetera turba ignotorum sibi hominum, quos ad templum confluere videbant per errorem ingressos. Sed forte glossema est a sciolis adiectum *τὸ popularibus suis*, quod nunc in Epitome hac editur, vel legendum, *cum aliis pluribus intrauerunt*, quandoquidem in editis ante Sigonium occurrit, *cum aliis pluribus suis intrauerunt*, quod ferri posset, et recte omnino se haberet, modo recidatur *τὸ suis*. Similiter forte lib. XXIII. vbi item discrepant, leui emendatione conciliari possint, scribit Epitome annulos aureos caesorum in Cannensi proelio Romanorum in vestibulo curiae Carthaginienensis effusos tradi excessisse vnus modii mensuram. Contra Liuius cap. 12. quum prodidisset, quosdam esse Auctores, eos annulos dimidium super tres modios expleisse, addit, propius tamen vero esse, quod et fama tenuerit, *haud plus fuisse modio*. Sed forte hic non magna sane mutatione reponendum sit, vt inter se conveniant, *paulo plus fuisse modio*, de quo iudicent Eruditi. Et haec sufficiant ad demonstrandum, quam saepe aberrat Epitomes Auctor a Liuii Historia, quam tamen exprimere in omnibus, quo-

rum faciendam censuit mentionem, fideliter et accurate debuerat. Quae quum considero, pene reuoco impetum, quo nuper Epitomen XXVI. in qua Hannibal vsque *ad ipsam portam Capenam*, vt vrbis situm exploraret, obequitasse dicitur, censeram emendandam legendo potius *portam Collinam*. Nam ita quidem diserte Liuius cap. 10. et praeter eum non modo Plinius, Orosius, Seruiusque tunc iam a me laudati, sed et Iuuenalis Sat. VI. Prudentius contra Symmachum lib. II. tum Sidonius Paneg. ad Auitum Aug. sed tamen quia Valerius Max. *Capenam portam* armis ab Hannibale pulsata, et praeterea Festus V. *Rediculi* locum, vnde Hannibal ad Urbem accedens redierit, *extra portam Capenam* fuisse scribunt, nihil nunc affirmare ausim, quum videam, Auctorem qui has librorum Liuii Epitomas conscripsit, non exegisse singula accurate, vt oportebat, ad Liuii sui codices, sed multa posuisse, prout memoria suppeditabat, quae hic quoque tanquam Liuianum suggestisse ei potuit, quod tamen aliunde ei inhaeserat.

Subiungam nunc etiam nonnulla Veterum loca, quae illi item ex aliis Auctorebus, quamuis iis non nominatis, manifesto tamen expresserunt, verum non sine eiusdem incuriae argumento festinanter nimis et ita, vt quae apud eos legebant vel antea legerant, perperam acceperint, reddiderint atque interpretati fuerint. Plutarchus in Fabio aliquot recenset prodigia initio belli Punici Romanis oblata, quae omnia petita liquet ex Liuii, quem saepe alibi sequitur, libro XXII. cap. 1. *Θυρεὲς τε ἀφ' αὐτῶν αἵματι γενέσθαι διαβροχῆς*: Liuius *scuta duo sanguinem sudasse*: *Καὶ θέρη σαχῶν περὶ Αντίον θίασμα κέρειδας*: et in *Antiati metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse*. *Καὶ λίθους μὲν ἐν τῷ αἵματι διαπύρεσ*

καὶ φλεγόμενος φέρονται. *Ardentes lapides coelo ceci-
disse.* Porro quum Patavinus, *Et Faleriis coelum
findi visum, velut magno hiatu, quaque patuerit,
ingens lumen effulsisse.* Sortes sua sponte attenuatas,
vnamque excidisse ita scriptam: *MAVORS TE-
LVM SVVM CONCVTIT:* ea vero Chae-
ronensis ita accepit, quasi vnum omnibus his ver-
bis traditum fuisset prodigium, et Faleriis ex ipso
coeli hiatu sortes istiusmodi seu tabellae excidif-
sent. Ait enim τῶ δ' ὑπὲρ Φαλερίας ἄραν ἑυγῆνας
δοξάντος ἐπιπέταν, καὶ διασπείρονται πολλαὶ γραμματεῖα,
καὶ τῶτων ἐνὶ γεγραμμένον Φανῆνας κατὰ λέξιν: *APH-
STA EATTOT OPIA ΣΑΛΕΤΕΙ.* Quid
apertius, quam γραμματεῖα ista ex Plutarchi sen-
tentia contra Liuii mentem, coelo ipso super Fa-
letios findi viso excidisse, ἐπιπέταν ἄραν. Lipsius
tamen, vt video, in *Electis* II. 12. negat istis ex
verbis Plutarchi statuendum, coelo ipso eas for-
tes excidisse, quia id pugnet cum Liuiio, sed quum
coelum finderetur, excidisse eas inuolucro suo et
arca. Agnoscit Plutarchum haec omnia ex Liuiio
hausisse, atque ideo vtriusque loca etiam de his
fortium et hiantis coeli prodigiis, debuisse inter
se consentire. Sed tamen vix vlla potest dari vio-
lentior interpretatio, quam qua ad hos Auctores
iis in rebus in consensum redigendos in cassum
plane vtitur. Sed et errat eodem pene errore,
quem in veteribus quibusdam hoc capite exposui,
quando ista ex Plutarchi *Marcello* adfert, quum
legantur, vt dixi, in *Fabio*. Praeterea nihil omni-
no iuuant ea emendationem ipsius *extaeniatas for-
tes* in Liuiio reponentis, quamuis non modice eam
iuuare affirmet. *Attenuatas sortes* doctissime, vt
solet, exposuit Salmasius.

Iam Appianum Parthicorum suorum integrum volumen ex Plutarchi Crasso et Antonio, paucissimis tantum de suo praemisissis, quae tamen ipsa iam ante etiam in Syriacis retulerat, ad verbum descripsisse vel ipsum, vel eius sub nomine quemcunque alium constat. Grauissime tamen hallucinatur, vbi iam Crassianis rebus subiungit Antonianas, quaeque a Plutarcho separatim et diuersis locis in Antonio traduntur, dum ille alia quaedam ibi Parthicis identidem interponere cogitur, coniungit et connectit, ac de Labieno Parthico Imperatore accipit et refert, quae ille de M. Antonio Romanorum duce dixerat. Verba vtriusque adscribam, vt res pateat, et Auctores ab Henr. Stephani coniecturis certius vindicentur. Dicit ergo Plutarchus de Antonio, postquam ille Cleopatram ad se in Ciliciam euocasset, eiusque illecebris captus, abductus et abreptus esset. ἔτω δ' ἔν τὸν Αντώνιον ἤρπασεν, (Cleopatra) ὡσε πολεμίαςης μὲν ἐν Ρώμῃ Καίσαρι Φελβίας τῆς γυναικὸς ὑπὲρ τῶν ἐκείνης πραγμάτων, αἰωραμένης δὲ Παρδικῆς στρατίας περὶ τὴν Μεσοποταμίαν, ἧς Λαβιηνὸν οἱ Βασιλέως στρατηγὸς Παρδικὸν ἀναγορεύσαντες Αὐτοκράτορα Συρίας ἐπιβατεύσαν ἐμελλόν, ὄχιεδαφ φερόμενον ἀπ' αὐτῆς εἰς Αλεξάνδρειαν. Multis deinde de luxu et deliciis, quibus Alexandriae cum Cleopatra sua indulserit Antonius, interiectis, nunciatum ei tandem ita iuueniliter viuenti refert, primo fratrem eius Lucium, et uxorem Fuluiam a Caesare victos ex Italia fugere, deinde Λαβιηνὸν ἐπάγοντα Πάρθους τὴν ἀπ' Εὐφράτης καὶ Συρίας ἄχρι Λυδίας καὶ Ἰωνίας Ἀσίαν καταστρέφουσα. Μόλις ἔν (pergit) ὡσπερ ἐξυπνιδεῖς, καὶ ἀποκραιπαλήσας, ὤρμησε μὲν Πάρθοις ἐνίστασθαι. Prorogum in quibus non Appiani modo, sed et Stephani indicabitur error, sententia Latino sermone expo-

exponenda omnino est. Ita ergo cepit (quod male in Cruserio damnat Stephanus) Antonium Cleopatra, ut quum Romae quidem uxor eius Fulvia pro rebus illius bellum gereret cum Caesare, Parthorum uero exercitus circa Mesopotamiam se moueret (Male Cruserius: Parthorum copiae circa Mesopotamiam essent suspensae; peius etiam, qui illum reprehendit, Stephanus: Parthorum copiae circa Mesopotamiam commorarentur animis suspensae, uel, incertae quid agerent) cum quo exercitu Regii Duces, Labieno Parthico imperatore renunciato, Syriam inuadere cogitabant, abiret tamen ille ablatas ab ea (Cleopatra) Alexandriam. Inconsulte prorsus τὸ ἦς, quod praetermisit Appianus, etiam in Plutarcho superuacaneum censet Stephanus, quum eo sublato totius utique loci connexio collabatur. Iam uero videamus, ut ipse Appianus haec descripsit, quaeque diuersis locis Plutarchus de Parthis Labienoque ut et Antonio tradidit coniunxerit. Postquam itaque quae de Crassi expeditione in Parthos, miserandaque clade retulerat Plutarchus omnia exscripsisset, res Antonii contra eosdem gestas continenter illis ex eodem subiunxit num. 156. hoc modo incipiens; Αἰωραμένης δὲ Παρθικῆς στρατῆος περὶ τὴν Μεσοποταμίαν, Λαβινητῶν δὲ Βασιλέως στρατηγῶν Παρθικῶν ἀναγορευόμενοι Αὐτοκράτορα, Συρίαν ἐπιβατεύου ἐμπεδῶν. οἱ οὐχεδαί φερόμενοι ὑπ' αὐτῶν ἐς Ἀλεξάνδρειαν, ἐπάγοντα δὲ Πάρθους, καὶ τὴν ἀπὸ Ευφράτης καὶ Συρίας ἄχρι Λυδίας καὶ Ἰωνίας Ἀσίαν κατασφραζόμενοι πυθόμενος Ἀντώνιος ὤρμησε μὲν Πάρθοις ἐπίσταται. In his expungi debere particulam οἱ ante οὐχεδαί, Stephanus neminem sibi negaturum opinatur. Ego uero nullam eius causam video, neque, si abesset, magnopere desiderem, neque quum adest, reiiciam. Sed et interpret hic haesit,

dissoluta prorsus constructione et sententia Appiani, quamuis non tam illius haec sit culpa, quam librariorum, quos hic peccasse omnino putem omisso articulo, qui sensum loci connectebat, et facillime intercidisse potuit. Haud dubie enim scripsit Appianus Plutarchi verba paululum hic quidem in suam sententiam, vt patet, mutando *Λαβηνόν, ὃν οἱ Βασ.* vel *ἐμεθ' ὃν δὲ οἱ χ.* Sensus enim huius loci fuisse debuit: *Mouente se Parthorum exercitu circa Mesopotamiam, Labienum, quem Regii Duces Parthicum Imperatorem quum consalutauissent, Syriam inuadere parabant, aduersus se venire, vel simpliciter venire sibi, tendentem ipsorum instinctu ad ipsam Alexandriam, et adducentem Parthos, omnemque ab Euphrate et Syria Asiam, vsque ad Lydiam et Ioniam vastantem, quum comperisset Antonius impetum cepit Parthis se opponendi.* Manifestum satis omnia haec ex Plutarcho transtulisse Appianum, et in vnam contulisse verborum periodum, licet diuersis ab eo locis tradita: grauissime autem in eo errasse, quod nescio qua incogitantia de Labieno accipienda censuit, quae clarissime de Antonio dicuntur. Nam ipsius Appiani hunc esse errorem, non eius, cui Appianus ista ex Plutarcho excerptenda dederit, paulo longius quam ille iusserat, in excerptendo progressi, id quod comminiscitur Stephanus, quasi id si factum esset contra eius sententiam, non facile ipse Auctor postea animaduertisset: sed ipsius, vt dixi, hunc esse errorem, satis liquet ex eo, quod si ista absint, quae censet Stephanus, et in quibus perperam redditis summa controuersiae et discrepantiae vertitur, nequaquam cohaerebit sensus, et hiulca plane erit oratio, tum quod etiam ita haec duabus sunt literis, *αὐτῶν* pro *αὐτῆς* posito, immu-

immutata, vt aliud prorsus praeferant et significant, neque amplius de Antonio, vt apud Plutarchum, possint, sed de Labieno, de quo proxime praecedit, omnino debeant intelligi, quamuis ne sic quidem commodus satis et aptus in his insit sensus. Quam ineptum enim, eodem verborum contextu dici, Labienum, imperatorem a Parthici exercitus ducibus consalutatam, vt Syriam eo Imperatore inuaderent, et tamen confestim ommissa Syria, eorum impulsu tendere ac ferri aduersus Alexandriam et Antonium, nulla addita mutati consilii significatione vel ratione, et continuo iterum simpliciter adducere Parthos ἐπίγειον Πάροδος, scil. in Asiam aduersus Romanos. Sed utcumque haec verses, laborasse omnino Appianus in his connectendis, nec recte percepisse mentem Plutarchi videtur, haud dubie festinanter nimis ab eo et pene dicam oscitanter, hic lecti vel consulti. Plane sicuti nobilis ille et ceteroquin haud indiligens Grammaticus Caesellius Vindex ex his Ennii versibus,

*Hannibal audaci cum pectore de me hortatur,
Ne bellum faciam, quem credidit esse meum cor
Suasorem summum, et studiosum robore belli,*

neglecto ultimo, et prioribus perfunctorie prorsus lectis consideratisque existimauit, et in suis Lectionum antiquarum Commentariis tradidit, Masculino genere cor enunciaisse Ennium, nam in XIII. annali dixisse quem cor, adscriptis duobus tantum prioribus huius loci versibus, quum si modo respexisset tertium ad complendam secundi sententiam vel maxime pertinentem, quippe quae illo demum perficitur, haud dubie non dehonestasset suos commentarios falsa ista obseruatione,

quam atro carbone iure merito notauit iam olim Gellius Noct. Att. VII. 2. recte Enniana illa interpretatus: *quem ego credidi, (hoc enim esse, quem cor meum credidit) fore summum suaforem ad bellandum.* Aequè grauitèr in interpretando eiusdem Ennii alio versu errauit doctissimus ille Augusteae aetatis homo Verrius Flaccus. Nam cum apud Poetam in Iphigenia legeretur, *Procede, gradum proferre pedum nitere, cessas?* Censuit in his *pedum* significare baculum, quasi pastores vtuntur, adeoque esse quarti casus, numeri singularis, quum sit secundi casus, numeri pluraliui a recto *pes*, hac sententia et ordine: *procede, nitere proferre gradum pedum; cessas?* Ita enim malo, quam quomodo is ipse, qui hunc Verrii errorem nobis exposuit, Festus, quum *talem* in his ponit constructionis ordinem: *gradum proferre pedum cessas? Nitere.* Quid enim opus separare, quae iunxit Ennius? Infinitum utique etiam a verbo *Nitor* regi notius est, quam ut probari debeat.

Similia vero in interpretando *παρορμήματα* in nobilissimos quoque et praestantissimos Historiarum Scriptores Romanos cadere, notabili prorsus T. Liuii ostendam loco, ex Polybii libris, ut pleraque alia rerum in Graecia gestarum, expresso in quo etiam ipse aperte se refellit, et lectoribus, si animum attendant, maximam obiicit difficultatem, quamuis a nemine, quod equidem sciam, adhuc animaduersam, aut publice expeditam Philippus Macedonum Rex, quum post grauissimam ad Cynoscephalas acceptam cladem iam serio peteret pacem, ideoque *omnia quae imperata a Romanis, et postulata ab eorum sociis fuerant, se concedere, de ceteris senatui Rom. permissurum dixisset, acerbè ab inimicissimis sibi Aetolis rogatur, an iam tandem*

dem in animum induceret cedere ac reddere iis Pharsalum, et Larissam, Cremastem, et Echinum, et Thebas Phthias, quas vrbes iis ante ademerat, tunc tamen non amplius in sua habebat potestate, Romanis victoribus vel vi, vel voluntate sua iam adiunctas. Quum Philippus, vt ait Liuius XXXIII. 13. nihil morari se diceret, quo minus reciperent, disceptatio inter imperatorem Romanum, et Aetolos orta est de Thebis. Ergo ex Liuii sententia neque Imperator Rom. T. Quinctius quicquam contra dixit, quo minus ceteras Vrbes reciperent Aetoli, tantum vnam et quidem Thebas illas Phthias in disceptationem vocauit, easque solas recte et iure illis negari a se posse censuit, hac ratione: Nam eas Populi Rom. iure belli factas esse Quinctius dicebat, quod integris rebus, exercitu ab se admoto, vocati in amicitiam, quum potestas libera desciscendi ab Rege esset, regiam societatem Romanae praeposuisissent. Quibus si quid video, id dicitur: Vrbes quae sua sponte, quin immo, quae etiam inuitatae, sua tamen voluntate, quum possent, a Rege descuerint ad societatem Romanam restitui Aetolis posse vel debere, non item quae captae, vel vi et armis coactae fuerint Romanorum partes amplecti, nam eas iure belli factas esse populi Romani; sicuti apud Sallust. in Jug. cap. 102. Bocchus quoque eam Numidiae partem, vnde Ingurtham VI. expulerit, IVRE BELLI suam factam dicit, de quo belli iure Grotius de iure B. et P. lib. III. cap. 8. Etenim ortae inter Quinctium et Aetolos de Thebis disceptationis, quo minus sicuti a Philippo, ita et a Romanis eam Urbem reciperent, aequae ac ceteras, de quibus nulla erat disceptatio, vnam hanc a Quinctio redditam causam subiicit Liuius, quod ea non sua voluntate in di-

tionem

tionem Romanorum venerit, aut integris adhuc rebus in amicitiam vocata, quum tuto posset, Romanae societati se applicuerit, sed praelata regia, passa fuerit se vi redigi in ditionem Rom. adeoque iure belli facta fuerit populi Rom. Et sane exercitum huic Vrbi Quinctium paulo ante, quam cum Rege ad Cynoscephalas pugnauit, admouisse, spe eius per prodicionem accipiendae, sed ab erumpentibus atroci certamine ac periculo repulsum, ab eius in praesentia amplius tentandae conatu abstitisse, et inde Regi, qui in Thessaliam iam venerat, obuiam profectum tradiderat Liuius cap. 5. Capta ergo et vi, vel certe metu coacta in ditionem Romanam venisse videtur statim post victum iam Regem; quod tamen, vt multa alia, Liuius suo loco annotare neglexit, vel ex hoc demum intelligi voluit. Contra haec a Quinctio dicta Aetolus *Phaeneas et pro societate belli, quae ante bellum habuissent, restitui Aetolis aequum censebat, et ita in foedere primo cautum esse, vt belli praeda, rerumque quae ferri agique possent, Romanos, ager, vrbesque captae Aetolos sequerentur.* Dicit praecipue *vrbes captae*, vocabulo ad vim in recipiendis vrribus declarandam maxime vsitato, quia istius generis Vrbes, tanquam iure belli factas Romanorum, negabat Aetolis Quinctius. Aequissimum autem ius videtur postulasse Praetor Aetolorum Phaeneas. Nam certe Romanus imperator Valer. Laeuinus, qui primum cum eis foedus percussit, oratione qua ad foedus illud accipiendum Aetolos hortabatur, inter alia promisit; illos Romanis *eo in maiore* scil. quam ceteros socios, *futuros honore, quod gentium trasmarinarum primi in amicitiam venissent, eoque se redacturum Macedonas, vt non his modo vrribus, quas per vim ademissent Aetolis, excedant, sed ipsam Macedoniam infestam habeant.*

habeant. Vidēs quid pro societate belli, difficillimo Romanorum tempore Hannibalem in ceruicibus suis habentium, et simul a Philippo sibi metuentium, primum in Aetolis debeat. Iam vero in foederis istius conditionibus diserte sane et illud cautum fuit, ut *urbium Corcyrae tenus ab Aetolia incipienti solum, tectaue, et muri cum agris, Aetolorum, alia omnis praeda Populi Rom. esset.* Vide lib. XXVI. cap. 24. Perpendamus tamen, quae his reponat Quintus: *Vos, inquit, ipsi societatis istius leges rupistis, quo tempore relictis nobis cum Philippo pacem fecistis.* Verum quidem hoc, sed ex parte, erat. Nam et lib. XXIX. cap. 12. Romanos inuenio dici *iratos, quod sine auctoritate sua aduersus foedus, cum Rege pacem fecissent.* Sed cogitare debuerant, Aetolos a Philippo Rege ad perendam hanc pacem, quibus ille voluit conditionibus, necessitate fuisse subactos, quippe *desertos a Romanis, cui uni fidebant auxilio, res Graeciae eo biennio negligentibus, ut ibidem diserte Lilius.* Ut adeo, quamuis idem ipsis obiectum videam lib. XXXI. c. 29. et 31. non tamen magna in eo fuerit Aetolorum culpa, nec tam Aetoli isto in bello reliquerint Romanos, quam Romani Aetolos, qui per et propter illos bellum sumferant. Sequitur iam, in quo controuersiae vertitur summa, dum Quintus probare conatur, etiam ipsas istius foederis leges secum facere, hoc est, Aetolis negare, quod illi petebant, seu de quo inter se et illos disceptabatur, quamuis minime videam, quomodo haec ratio, et foederis istius interpretatio cum dictis paulo ante a Quinto cohaereat. Pergit enim: *quae societas si maneret, captarum tamen urbium illa lex foret; Thessalicae ciuitates sua voluntate in ditionem nostram venerunt.*

runt. Quorum sententia est, sed si maxime societatem istam non rupissetis, ex ea tamen solas captas vrbes possietis aliqua ratione petere, non vero illas, quae sua voluntate nobis accesserunt, vt fecerunt ciuitates Thessaliae. Atqui de solis vtique Thebis orta erat disceptatio inter Romanum et Aetolos, non item de ceteris vrbibus, Larissa, Pharfalo, Echino, quae quidem in Thessalia sitae, Aetolorum tamen ditionis antea fuerant. Cur ergo nunc communiter *Thessaliae ciuitates* commemorantur, tanquam quae in hac disceptatione a Quintio negatae fuerint Aetolis, et iure etiam atque ex foedere negari possint. Porro disceptabatur tantum de vna, vt dixi, vrbe, et quidem hac causa, quod a Romanis capta, vel, quod idem est, iure belli facta fuisset Populi Romani, omiſſis et concessis ceteris, quarum contraria erat conditio; Qui ergo conuenit, nunc Aetolis ex foedere, quod allegabant, concedi *captas*, de cuius generis vrbe, atque ea ex causa, erat controuersia, quo minus eam reciperent: adimi, quae sua voluntate in ditionem Romanorum peruenierant, de quibus non litigabatur, quodque vnum in Thebis desiderabatur, vt recipere eas possent ac deberent Aetoli. Nisi forte leonina isthaec fuerit societas, vt vrbes, quae antea Aetolorum fuerant, quasque pro societate belli ex foederis legibus restitui illis aequum erat, si captae sint, restituendae negentur tanquam iure belli factae Romanorum; sin sua voluntate deditae, negentur tanquam ex foedere cum ipsis inuito repeti ab eis nequeant. Verum enimvero, si non aliunde, saltem ex hac tam contraria superioribus, et maxime rei, quae in disceptatione fuisse dicitur, oratione Quintii, foederisque interpretatione facile constaret

ret attento lectori lapsum in his vtrunque vel Liuium, vel Liuii librarios. Certe ego in his extricandis vehementer olim laboravi, nescio quae commentus in Aduersariis meis, donec ex Polybio certum didici errasse ipsum Liuium, peruersè interpretantem verba Graeci scriptoris, vel certe indiligenter et perfunctorie prorsus in iis legendis, inque suam linguam transferendis versantem. Polybium enim potissimum in his se sequi, vt *non incertum Auctorem cum omnium Romanarum rerum tum praecipue in Graecia gestarum*, professus est ipse paulo ante cap. 10. idque ita esse, manifeste patebit conferenti excerptam e Polybii Historiis Legationem VI. cum hocce Liuii loco, seu libri XXXIII. cap. 11, 12, 13. quae, seruata eadem prorsus rerum serie, immo et verborum sententia, nisi quod haec strictius nonnunquam et breuius pro consuetudine Latinorum effertur, inde sunt expressa et descripta. Nam quae Vrsinus alia ex Liuiio attulit, vt cum Polybiana ista legatione conferret, alienissima sunt. Sed facilis hac in re et parata debet esse venia Viro doctissimo, quippe cuius tempore nondum inuentum vulgatumue erat initium libri XXXIII. quo Liuius omnia illa retulit quae isto legationum fragmento continentur. Sed excutiamus hic illa solum Polybii verba, quibus hanc inter Romanum et Aetolum ducem ortam disceptationem prodidit, eaque cum Liuiio, vt eius in his vertendis clare appareat hallucinatio, conferamus. Ergo quum Aetolus Phaeneas acerba illa interrogatione de reddendis iam tandem Pharsalo, Larissa, Cremaste, Thebis Phthiis, et Echino Regem Philippum inuasisset, ὁ μὲν ἔν Φίλιππος ἐκέλευε παραλαμβάνειν αὐτὰς. (Liuius; *Quum Philippus nihil morari diceret, quo*

minus

minus recipere) ὁ δὲ Τίτος, τῶν μὲν ἄλλων ἕκ, ἔφη, δὲν ἕδε αἰεὶ. Θήβας δὲ μόνον τὰς Φθίας scil. δὲν παραλαμβάνειν αὐτὰς. Male enim Ursinus, nec vlla subnixus ratione, pro δὲν maluit λαβεῖν, cuius verbi significatio ex superioribus repetitur. Peius etiam, quum horum sententiam ex ipsa Liuii versione patere dicit, qui ita scribat: *Aetolis Pharsalum, Larissamque reddere, Thebas non reddere*, quum haec sint e lib. XXXII. cap. 35. nec vilo modo huc pertineant, quippe quae non a Quintio, sed a Philippo in primo de pace conuentu ante cladem in Thessalia acceptam dicantur, hic vero Polybius tradat, dixisse T. Quintium, *Aetolis Pharsalum Larissamque et Echinum, non reddere, Thebas reddere*, vel vt propius verbis Polybii inhaeream, *aliarum urbium* quae modo nominatae sint, *nullam omnino oportere recipere Aetolos, solas autem Thebas Phthias oportere recipere*. Verum hicce verborum sensus, qui tamen est apertissimus, Liuius quam maxime contrarius est, quamuis Polybius eodem prorsus argumento concessas Aetolis Thebas a Quintio scribat, quo Liuius eis negatas tradit. Nempe Θηβαίους γὰρ ἐγγίσαντος αὐτῷ μετὰ τῆς δυνάμεως, καὶ παρὰκαλῶντος σφῶς εἰς τὴν Ρωμαίων πῖσιν, ἔβληθηθῆναι, διὸ καὶ νῦν κατὰ πόλεμον ὑποχρεῶν ὄντων ἔχειν ἐξουσίαν ἔφη, βυλευέσθαι περὶ αὐτῶν, ὡς ἀν προσαθήται. Vides etiam hic dici, Thebanos *admotō* a Romano duce, *exercitu*, vltro *vocatos in amicitiam*, noluisse eam amplecti, et *praeposuisse regiam societatem Romanae*, atque ideo nunc *iure belli factos Populi Romani* vel, vi bellica, non sua voluntate, in Romanorum nunc esse manu, ac potestate: Verum hinc concludi, non eos solos idcirco a Romanis retineri posse, ac Aetolis negari, sed contra ex isto iure belli in Romanorum esse arbitrio,

arbitrio, de ea vrbe statuere quodcunque libeat, adeoque eam solam in ius et ditionem Aetolorum, quibus ante subiecta fuerat, posse redigi, ceteras autem, quae se vltro et volentes ad Romanorum societatem atque amicitiam applicuissent, ab iis in antiquam libertatem et *αὐτονομίαν* restitui, Romanorum fidei conuenire, tacite eo ipso significari. Origo et causa Liuiani erroris fuisse videtur, quod in Polybio duas negationes, *ἐν ἑδελμίαν*, quae apud Graecos vehementius negant, ille pro adfirmatione more Latinorum imprudenter acceperit, quasi voluisset Polybius *aliarum quidem urbium nullam non recipere Aetolos oportere, Thebas autem solas non oportere*, intellecto ex superiori commate, *ἐ δὲν*. praeterea quod, quum videret Thebas solas a ceteris sciungi, eiusque rei, nulla ceterarum porro facta nominatim mentione, rationem sollicite exponi existimauerit, non satis aduertens animum, de ceteris nullam fuisse inter Aetolos et Quintium controuersiam, sed de Thebis eiusque vnius oppidi restitutionem ab illo in disceptationem vocari; quamuis adiecta et modo exposita ratio ortae disceptationis, vt et quae porro inter eos dicta traduntur, et ab ipso Liuiio fideliter et accurate satis sunt expressa, ab ista sententia omnino eum, si rei et Auctori suo attendisset, demouere debuissent. Agitur enim porro apud Polybium quoque inter Aetolum et Romanum primo de ipsa societate belli, tum de istius societatis legibus, et ita, vt satis pateat, nullam inter eos fuisse controuersiam, disceptationemue ortam de Thebis, vrbe, quae *κατὰ πρότερον ἄλῃσα*, et *κατὰ πόλεμον ὑποχείριος Ρωμαίοις*, *vi capta*, et iure belli facta fuerat Populi Romani, sed de ceteris Thessaliae ciuitatibus, quae sua voluntate Romanorum

fidei se permiserant. Postquam enim Phaeneas Aetolus Quinctio, solas Aetolis Thebas concedenti, respondens, aequum consuisset recipere eos vrbes, quas ante bellum habuissent, primum καὶ ὅτι συνεπώλευσαν pro societate belli, vt ait Liuius, deinde quod per pristinam societatem, seu leges pristinae societatis oportebat eorum quae bello capta essent, praedam, quaeque ferri agique possunt ἐπιπλα, sequi Romanos, vrbes vero et agrum Aetolos, reposuit iterum Quinctius primo societatem istam esse ruptam, quo tempore Aetoli cum Philippo pacem fecerint, relictis Romanis, deinde, si ea maneret, oportere tamen illos recipere vrbes, ἐκ εἰτινες ἐδέλοντῆν σφῶς εἰς τὴν Ῥωμαίων πίστιν ἐνεχθῆσαι (ὅπερ αἱ κατὰ Θεσσαλίαν πόλεις ἅπασαι πεποιήκασι νῦν) ἀλλ' εἰτινες κατὰ κράτος ἐάλωσαν. non si quae sua voluntate in Romanorum fidem se dediderint, (quod iam fecerint omnes Thessaliae ciuitates,) sed si quae vi fuerint captae. Quae omnia et singula cum eodem plane ordine, eademque, quantum fieri potest, sententia, sua lingua reddiderit fideliter Liuius, res profecto mira est, non vidisse eum, aliter proinde superiora ex Polybio fuisse vertenda, neque de Thebis, quippe vi captis, κατὰ πόλεμον ὑποχρησίοις, Quinctium Aetolis mouisse controuersiam, sed ceteris Thessaliae ciuitatibus vltro Romanorum fidem secutis, quas illi item a Philippo repetierant. Maxime quum etiam ex iis, quae ab ipso Liuiio deinceps produntur, non male quis colligat, ex his ciuitatibus solas Thebas Aetolis Quinctium et eius legatos, pace iam cum Philippo facta, restituisse. Nam cap. 34. Thessalorum genti concessisse dicitur libertatem, et addidisse iis Achaeos Phthiotas, exceptis Thebis et Pharsalo; haud dubie quia Thebas potestati ac ditioni Aetolorum

lorum iterum subiecerat, de Pharsalo adhuc dubitabat. Nam sequitur continuo, *Aetolos de Pharsalo et Leucade postulant, ut ex foedere sibi restituerentur, ad Senatum reiectos.* Postulassent haud dubie de Thebis itidem, nisi eas recepissent. Sed et lib. XXXIV. cap. 23. queruntur iisdem *fraudari se a Romanis Echino et Pharsalo.* Ex quo utique errorem suum facile correxisse potuisset Liuius, et didicisse, de hisce urbibus, et quae praererea in eadem fuerunt conditione, non de Thebis, *disceptationem inter Imperatorem Rom. et Aetolos fuisse tunc ortam.*

Similis fere, sed non tanti tamen momenti incuriae exemplum etiam lib. XXXVIII. cap. 18. apud Liuium mihi occurrit. Refert ibi Cn. Manlium aduersus Gallograecos tendentem, misisse legatos ad Epissognatum, qui vnus ex eorum regulis et in Eumenis amicitia manserat, et negauerat Antiocho aduersus Romanos auxilia; recepisse vicissim ab eo alios orantes; *ne Teetosagis bellum inferret, ipsum in eam gentem iturum Epissognatum; persuasurumque ut imperata faciant.* Deinde alios iterum ab Epissognato venisse nunciantes, *profectum eum ad regulos Gallorum, nihil aequi impetrasse: ex campestribus vicis frequentes demigrare, et cum coniugibus ac liberis Olympum montem petere, ut inde sese armis locorumque situ tueantur.* Certiora postea Legatos Oenoandensium attulisse, quia scilicet, non de vna tantum gente, ut Epissognatus, sed de omnibus seu tribus Gallorum gentibus distincte et singillatim nunciabant. Nempe *Tolistoboiorum ciuitatem Olympum montem cepisse; diuersos Teetosagos alium montem, qui Magaba dicitur, petisse. Trocmos coniugibus ac liberis apud Teetosagos depositis, armatorum agmine Tolistobois statuisset auxilium ferre.*

At si superiora repetas, Tectosagorum fuisse gens debuit, quae Olympum montem cepit. Ea enim, ad quam Epistognatus se iturum promiserat, operamque daturum, ut imperata faciat, mox, nihil aequi impetrato, istum montem petiisse legitur. Diserte autem illa Tectosagorum nomine fuerat insignita. Sed etiam haec quae de Epistognato traduntur, ex Polybio haussisse Livium, patebit legenti caput 33. Excerptarum ex illo Legationum. Patebit vero et illud, male Livium atque incogitantia quadam posuisse *Tectosagos* pro *Tolistobois*, quum scribit Epistognati legatos orasse Cn. Manlium, *ne Tectosagis bellum inferret*. Nam ita Polybius: Καὶ ὁ Ἐπιστόγνατος ἔπεμφε πρὸς Γνάϊον πρεσβῆτα, καὶ παρεκάλει τὸν Γνάϊον, μὴ προεξαναστῆναι, μηδ' ἐπιβαλεῖν χεῖρας τοῖς Τολιστοβόγοις Γαλάταις. Confer reliqua, et videbis eadem esse Livianis, ut ostendit iam Vrsinus, qui etiam verbo monuit, *Livium habere, Tectosagis*. Verum et alibi hunc τὴν τῶν Θερμικῶν σύνοδον apud Polybium male et parum docte de conuentu Pylaico totius Graeciae, qui fuerit Thermopylis, accepisse, et ita etiam reddidisse, quum Polybius Panaetolicum Thermis, Aetoliae metropoli, haberi solitum, haud dubie intellexisset, observavit, ac publice docuit eruditissimus Grentesmenilius.

Nepotem quoque eodem modo lapsum in interpretando, et graecum vocabulum, quo *tribulis* significabatur, habuisse pro nomine proprio hominis, qui Phocioni fuerit amicus, observatum primum a Longolio, certatim postea notarunt Interpretes. Nam quod Schottus de *Euippo* comminiscitur, id alienum omnino est, nec solum ab eo quod vulgatur ex membranis, *Emphyletus*, sed et ab ipsa Historia longissime recedit. Ut taceam non solum

solum a Plutarcho, quod ille putat, sed et ab Aeliano vocari istum *Γάδιον*, non *Εύριππον* ita quum Latini solo *fratris* et *sororis* vocabulo non modo germanos, sed etiam patruelles designarent, vt supra cap. III. pluribus docui, id ipsum quoque Graecos scriptores, qui sua ex Latinis hauserunt, et tamen vtrumque diuersis vocabulis ex vsu linguae suae significare solebant et debebant, modo in haesitationem, modo in errorem induxit. Certe Dio manifestam in eo haesitationem prodit, quando de C. Marcello, qui M. Marcello patrueli suo in Consulatu successit, scribit lib. XLI. *Γάδιον Μάρκελλον, Μάρκε ἀνεψιόν, ἢ καὶ ἀδελφόν: λέγγεται γὰρ ἐκείτερον.* Satis liquet cum ex hoc loco, tum aliunde a Graecis solos fratres, eodem patre, vel matre natos vocari *ἀδελφός*, non item patruelles, qui illis *ἀνεψιοί*. At aliter cum apud Latinos se res haberet, idque, vt videtur, vel ignoraret, vel certe hic non cogitaret Dio, putauit de hoc C. Marcello antiquiores inter se dissentire, et ab aliis dici *patruelem Marci*, ab aliis *germanum fratrem*. Quod posterius falsum est. Vocatur quidem a nonnullis simpliciter *Marci frater*, vt a Cicerone orat. pro M. Marcello, tum pluribus locis in lib. IV. Epist. ad Famil. (de hoc enim intelligendus ibi est, quandoquidem alter C. Marcellus, qui vere germanus fuit Marci frater, tunc quum ista Cicero diceret et scriberet, diem suum iam obierat) sed interpretandum illud erat ex vsu linguae Latinae de fratre patruelle, non germano. Nam reuera hunc Consulem Marci patruelem *ἀνεψιόν* fuisse aperte adfirmant tum Suetonius in Caes. cap. 29. *C. Marcello, qui fratri patrueli suo Marco in Consulatu successerat*; tum Appianus *Εμφυλ. Β. cap. 443. ἠρέθησαν ὑπατοὶ Διμίτριος τε*

Παῦλος, καὶ Κλ. Μάρκελλος, ἀνεψιὸς τῆ προτέρᾳ Μαρ-
 κέλλᾳ. Praeterea Marcus fuit Marci Filius, quod
 ex ipsis Dionis Consulibus, Gaius iste
 Gaii, quod ex Cicer. ad Famil. lib. XV. scimus.
 Eadem istius vocabuli apud Latinos ambiguitas
 etiam in errorem eundem Dionem induxit, ut
 sine vlla iam haesitatione ἀδελφόν, diceret, quem
 ἀνεψιόν debuisset, si recte rem, ut erat, intelli-
 gisset ab iis, qui Graeca, ut oportet, secundum
 usitatam vocabulorum in ea lingua significationem
 accipiunt. Nempe lib. LIX. Caligulam interfe-
 cisse ait Tiberium τὸν ἀδελφόν, quem haud dubie
 in Latino quopiam scriptore Caligulae solummodo
fratrem dici legerat, sicuti fit et in Suetonii Ca-
 ligula, ubi et de eiusdem infanda nece agitur.
 Non tamen propterea germanus ille fuit istius mon-
 stri frater, non ἀδελφόν, sed ἀνεψιός, patruelis, et
 quidem per adoptionem Germanici (qui pater Ca-
 ligulae) ab Imperatore Tiberio factam, per quam
 adoptionem Imperator iste, adoptivus fuit avus
 Caligulae, sicuti erat per Drusum naturalem filium
 naturalis avus huius Tiberii a Caligula occisi.
 Quinimmo etiam ipsum Ciceronem et ex eo Va-
 lerium Max. similiter pene eademque ex causa la-
 psum crediderim, quum Metello Macedonico, *tres*
filias nuptas tribuunt. Fuerunt enim reuera eo
 tempore tres Metellae, matres Lucullorum, Sci-
 pionum et Serviliorum, eaeque frequenter nomi-
 nantur *tres sorores*. Verum tamen non omnes
 erant Macedonici filiae, germanae inter se foro-
 res, sed duae tantum, Scipionum et Serviliorum
 matres, tertia vero reliquarum erat patruelis so-
 ror, filia Calui, Macedonici fratris: Verum hoc
 alibi diligentius excutiemus.

Simili in Graeco sermone ambiguitate deceptum et in interpretando lapsum Hyginum fab. 3. obseruauimus, et doctissimo eius Emendatori Thomae Munckero, magno humaniorum literarum malo nuper defuncto, facile probauimus. Dicitur Aetiae Colchorum Regi responsum, ex prodigiis oraculum vel Deos consulenti, *Ab aduena Aeoli filio mortem caueret.* Quo responso vere intelligi voluit *Iasonem* cui a nonnullis mors Aetiae foceri sui adscribitur, et ideo ab ipso Hygino inter eos, qui foceros suos occiderint, refertur; Aetas vero *Phryxum* intelligi traditur credidisse, atque ideo eum interfecisse. Deuisset ergo vterque fuisse *Aeoli filius*. Id vero neuter quum fuerit, sed alter nepos, alter pronepos, valde verisimile est scripsisse ita Hyginum interpretationis vitio, quum in Graeco, ex quo pleraque hausit, retentis saepe etiam in Latino sermone Graecis vocabulis, inuenisset *Αιολίδης*. Quo nomine, vt et ceteris eius formae, non solum filius, sed et omnes etiam posterii significantur, immo ipse *Iason* apud Tzetzen Lycophronis Scholiasten, et *Phryxus*, eiusque filii, etiam apud Latinum Poetam, Valerium Flaccum lib. I. v. 286. et lib. V. v. 461. Similiter Hyacinthum, Spartanum puerum, Amyclae secundum plerosque filium, ab Hygino fab. 271. et aliis quibusdam *Oetali* filium dici suspicabar ad fab. 14. pag. 39. quod eum etiam *Oebalidem* vocari aliquando scirent, licet eo patria illius forte notetur. Nam certe Seruius ad Virgil. Georg. IV. 125. Castorem et Pollucem *Oebalidas fratres* dici a patria *Laconia*, quae et *Oebalia*, censuit, quamuis male, quum auum illi habuerint, *Oebalum* nomine. At Hyacinthi inter maiores nullum istius nominis memorat Pausanias, scriptor

diligentissimus qui eos omnes initio Λακωνικῶν accurate recenset. Denique Ovidius Metamorph. X. quum *Amycliden* eum a patre iam nominasset, paulo post ibidem etiam *Oebaliden* vocat. Sed postea ego in alia ad doctiss. Munkerum Epistola observationem hanc meam ex parte correctam, quod in eius editione tamen est praetermissum, volui, quoniam de Hyacinthi huius, sicuti et de multorum aliorum, patre duae reuera videantur occurrere in fabulis sententiae, quamuis istae diuersitates ex his et similibus causis forsitan primum fuerint ortae; sed maxime, quia Ovidius XII. Metam. etiam Caeneum in vna fabula modo *Elateium* v. 189. et 497. modo *Atraciden* v. 209. appellet, vtrumque itidem a diuerso eius patre, qui secundum plerosque fuit *Elatus*, secundum aliquos *Atrax*.

Ceteroqui tamen Hyginus in his patronymicis sane alibi quidem cespitasse, immo ea aliquando pro ipsis filiorum filiarumue propriis nominibus accepisse viderur. Sic fab. 192. *Atlas ex Pleione, siue Oceanitide XII. filias habuisse* dicitur, quasi Atlanti duae fuerint vxores, altera *Pleione*, altera *Oceanitis* nomine, quum haec ita a Graecis patronymice fuerit cognominata, quod esset vna filiarum Oceani; siue ille Pleionen, quam ipse Astron. II. 21. *Oceani filiam* bis dicit, isto cognomine alicubi significatam, ornatamue legerit, siue Aethram, quae et ipsa Oceani fuit filia, atque vxor Atlantis a quibusdam dicitur. Eius vero nomen hoc loco, quasi deperditum, vt ex coniectura cum Viris doctis inferas, non est necesse, quum haud dubie hic adhaeserit ipse Hyginus, et patronymicum, vt dixi, pro vero et proprio mulieris habuerit nomine. Nam et fab. 14. *Harpyias eodem plane modo et simpliciter item Thaumantis et Oceanines* dicit

dicit *filiis* (Ita enim hunc locum correxi, vbi *Ozomenes* scriptum occurrebat, quum de isto vocabulo inter pauca alia, corruptissima itidem ac desperatissima, per literas me consulisset doctissimus ille Hygini fospitator). Est vero *Oceanine* non magis proprium nomen istius Harpiarum matris, quam *Oceanitis* Pleiones, vel Acthrae, sed itidem plane vt illud, pro vero eius nomine acceptum et vsurpatum. Verum autem erat *Electra*, eaque omnium consensu fuit Oceani filia, id quod significatur a Graecis *Ωκεανίνης* nomine, aequae ac *Ωκεανίδος* Hesiod. *Θεογ.* v. 364. *τοῖς γὰρ χίλιαι εἰσι τανύσφυροι Ωκεανίναι.* Eiusdem figurae nomina etiam apud Latinos inuenies, vt *Nerine Galatea* apud Virgil. in Ecloga VII. Sic Catullus Epithal. Pelei:

Tene Thetys tenuit, pulcherrima Neptunine.

De quo loco minime ego assentior Turnebo existimanti in Aduers. XXIV. 9. τὸ *Neptunine* vocandi esse casum, eoque significari Peleum, quod ex elemento Neptuni et neptibus vxorem petierit. Reuera enim designatur eo ipsa Thetys, quae quidem Nerei erat filia, non Neptuni, ita tamen a Catullo appellata videtur, quod clarissima erat maris Dea, cui Neptunus praest, quodque idcirco apud Poetas ab eo saepissime denominatur. Hinc *Neptunia arua* Virgil. Aen. VIII. 695. *Neptuniaelacunae.* Cornif. ad Heren. IV. 10. Immo ipse *tumidi genitor profundi* vocatur ab Ouid. Metam. XI. 203.

Summam etiam et manifestam in exscribendo incuriam animaduertimus in Hygino fab. 273. vbi ex Virgilii quinto Aeneidos *κατὰ πόδα* retulit certamina, quibus ille fingit Aenean in Sicilia, Manes et memoriam patris sui coluisse, tum praemia, quibus quosque honoratos ab Aenea canit. Ille

vero nauali certamine Cloanthum vicisse, et accepisse praemium talentum argenti, auratamque chlamydem scribit, quum Virgilius Aenean omnibus classiciis militibus communiter talentum illud argenti dedisse tradat, alia vero dona ipsis ductoribus, inque iis Cloantho victori chlamydem auratam. Deinde Eurytionem ex iis, qui sagitta certarant, muneri accepisse galeam ait. At vero Virgilius non exprimit munus, sed e galea fortes eum cum sociis duxisse ponit. Quam galeam Hyginus magna oscitantia ad munus ipsam transtulit seu pro ipso munere Eurytioni tribuit.

Ceterum quod fab. 198. Scyllam Nisi filiam in piscem, Cirin quem vocant, conuersam dicit, quum alii in auem mutatam tradant, in quo reprehendendo Reinesius in variis Lect. modum plane excedit, defendendoque Schefferus in dissert. de aetate et stylo Hygini fatagit, professus non temere quidem alibi repertum iri, habuisse tamen sine dubio Hyginum, quos sequeretur, in eo certe non errauit, sed vere alios est secutus. Fuisse eum inter Veteres quoque, qui illud tradiderint, aperte adfirmat Seruius ad illud Virg. Aen. VI. *Scyllaeque bifformes*, vbi ait, quod necdum animaduersum miror: *Scylla filia Nisi secundum alios in auem conuersa est, secundum alios in piscem*. Atque ea de causa Virgil. in Ciri. V. 484. vtriusque meminisse videtur sententiae: ita scilicet, vt non satis habeat ostendisse vulgarem se praeferre, sed et alteram, quae in piscem eam abiisse dicit, diserte neget.

Sed tamen, inquit, externam squamis vestire puellam,

Infidosque inter teneram committere pisces

Non statuit: nimis est auidum pecus Amphitrites.

Aeriis potius sublimen sustulit alis.

Nec

Nec mirum sane diuersa hic quoque prodidisse mythologos, quum hanc ipsam Scyllam Nisi saepe etiam confuderint cum Scylla Phorci, et huius μεταμόρφωσις illi tribuerint *complures et magni Poetae*, vt multis docuit Virgil. in ead. Ciri v. 54. tum Passerat. ad Propert. IV. 4. et multo accuratius nobiliss. Heinsius ad Sabini Epistolam Vlyssis.

Sed iam plus fatis istius generis de antiquis Auctoribus, quos nequaquam velim ex his. Animaduersionibus, quisquam prae sui aevi hominibus contemnat, aut a me contemni putet, tanquam nobis in scribendo negligentiores. Erenim si quis etiam ex iis, qui nunc scriptis inclaruerunt, forte etiam nobis ipsis, talia studiosè vellet conquirere, quanta nasceretur illi istiusmodi Animaduersionum seges. Leue nunc est et vix vlla mentione dignum, quod tamen in priscis illis hoc capite etiam notauimus, in allegandis Auctoribus, locisue, eorumque verbis et sententiis minus recte referendis aut interpretandis simpliciter errasse. Immo vero videas saepe, contraria plane et prorsus aliena ex illis nunc adferri, atque egregiam inde, si Diis placet, obseruationem cudi, manifestissima aliorum παραρρήματα, scriptis eorum compilatis, secure describi, ac publice idemtidem repeti, veterum Auctorum verba apud alios haud dubie lecta, licet id sedulo dissimuletur, maxime temerariis et vanissimis coniecturis, quas antecedentia vel consequentia, si consideres, vel inspicias, aperitissime respuant, et refutent, vexari. Sed talia proferre infinitae esset operae, tum odiosae atque inuisae, praesertim in viuis. Paucula tamen, sed insignia inprimis oscitantiae cuiusdam exempla, in nostri vel proxime superioris aevi clarissimis hominibus, iam demortuis, a me obseruata, huic capiti

capiti adiacere volui. Onufr. Panuinius Commentario suo in Fastos Capitolinos, quem ex Sigonio, quacunque tandem fide, ita descripsit, ut peruersas etiam Auctorum, rerumque citationes, certissima operarum errata, aliaque suae ipsius sententiae, quam alibi exposuerat, maxime contraria inde transtulerit, adiecit libellum de Nominibus, ex Sigonio itidem, licet nusquam laudato compositum, mutato tantum rerum ordine, ut omnia suae viderentur obseruationis. Neque vero neglexit, quae etiam Ant. Augustinus Emend. III. 8. de veterum nominibus erudite disputauit. Verum dum his quoque alienis plumis suum libellum ornat, incredibilis pene oscitantiae specimen dedit. Etenim Augustinus, quum specialem quandam *Nominis* esse significationem, qua familiae nomen prae ceteris notet, docuisset, addit tandem pag. 160. *Ipsius familiae mentio fit ab Vlpiano sub tit. de Verb. signif.* Primum significatae Legis vocabulum, quod est Pronunciatio §. 195. ut solet, in margine notat. Pergit deinde, suis verbis, quod probare susceperat, repetitione quadam finire et concludere, atque ad Romanos proprie restringere. *Nomen itaque cum speciali hac significatione accipitur, familiae nomen significat Romanis tantum hominibus. Nam Graeci et barbari singulis nominibus vsi, familiae nomine non utebantur. Itaque Demosthenes, Aristoteles, Plato, et illa sacrosancta nomina Iesus, Moyses, Petrus, item cetera aliarum nationum ad familiam non propagantur: erant enim non gentis, sed singulorum hominum vocabula.* Haec ipsius Augustini verba, Onufrius meus vel omnia, vel certe vsque ad primam distinctionem (nam credere vix ausim, eo incogitantiae illum delapsum, ut religionis nostrae, auctorum

auctorum et Antistitum nomina *sacro sancta* ab
 Erhrico homine vocata putauerit) pro Ulpiani
 verbis accepit, suisque Lectoribus obtrusit in dicto
 libello, quum de nomine gentilitio agit, haec
 inter alia scribens: *Idem* (nempe, *Nomen* specia-
 tim sumtum notare nomen gentilitium) *etiam*
clare et egregie explicat sub titulo de Verb. signif.
Ulpianus, CVM AIT: Nomen itaque cum spe-
ciali hac significatione accipitur, familiae etc. Se-
 quuntur enim omnia quae modo ex Augustino
 attuli. At quam facile errorem hunc cauere po-
 tuisset inspecto saltem loco, quo sententiam suam
 tam *clare et egregie explicari* falso affirmat, prae-
 fertim quum eum Augustinus in margine fideliter
 expressisset. Non minus grauiter offendit Steph.
 Pighius, qui acriter satis exagitat in Annalibus
 suis lib. I. cap. 21. Enchiridion Pomponii de Ori-
 gine iuris per causam erroris, quem tamen nun-
 quam et nusquam in eo, sed alibi legerat. *Non*
assentior, inquit, Pomponio Icto, vel illi, qui sub
eius nomine titulum de Origine iuris ex Historia con-
sarcinauit, multis erroribus suffultum. Qui scribit
hoc iuris (loquitur de iure Feacialium) *instituisse*
Numam Pompilium Regem, cum indicendum esset
bellum Fidnatibus. Quid hoc quaeso noui? Aliter
Liuius, Dionysius, Plutarchus et alii, quorum con-
sensu constat a Numa nullum bellum indictum vel
gestum fuisse. At nihil eiusmodi in isto de Origine
 iuris titulo scribi quouis pignore contendere ausim.
 Et grauiter hallucinatur ipse Pighius, dum ICTUM
 erroris arguit, eique temere tribuit, quod in Pom-
 ponii Laeti libello de sacerdotiis olim legerat forte,
 et in Aduersariis suis, vt videretur, solo Pomponii
 nomine notauerat. Is enim vbi de Feacialibus agit,
 ait: *Eos instituisse dicitur Numa, quum indicendum*
esset

esset bellum Fidenatibus. Quo miscuisse videtur res Romuli et Numae. Romulus enim bellum cum Fidenatibus gessit. Numa vero secundum Plutarchum et Dionysium Feciales instituit, ne temere a feroci et bellicoso populo sumerentur bella. Denique silentio praeterire nunc non possum, quod nuper legebam in Clariss. Schefferi Notis ad Obsequentem: ut eadem opera duobus locis huius scriptoris, vel certe tironibus ad eum intelligendum Schefferi Notas adhibentibus succurram. Cap. 105. ait Auctor. *Fugitivi in Sicilia proeliis trucidati.* Ad haec annotat ille: *Inmo in Cilicia.* Vide Sigonium ad Epit. libri LXIX. Intelligit Epitomen Liuvianam, cuius in extremo legimus: *Man. Aquilius Proconsul in Sicilia bellum servile excitatum confecit.* Ea vero pulchre confirmant vulgatam in Obsequente lectionem, planeque refellunt Schaefferi emendationem. *Fugitivi* enim sunt serui, qui bellum hoc in Sicilia tunc temporis concitarunt, et ab isto Proconsule aliquot proeliis sunt trucidati. Neque vero in Notis Sigonii quicquam ibi inuenio, quo istam Schefferi crisin vel tantillum iuuari, existimare quis possit. Immo quam nihil ex Sigonii sententia mutari hic debeat, et vere in Sicilia caesi sint hoc anno fugitivi, satis multis, (nam clarissima est historia) ostendit Vir ille eruditus in Fastis ad Ann. 653. Quid ergo? Unde ad hanc tam indignam suo nomine emendationem, alienissimamque istius confirmationem delatum dicemus doctissimum ceteroqui Schefferum? nempe meminerat hunc Obsequentis locum de fugitiuis in Sicilia trucidatis convenire quam optime cum Liuviana ista Epitome LXIX. bellum servile in Sicilia confectum memorante. Inde factum videtur, ut quod superiore Epitome in No-

tis Sigonii de emendando in *Siciliae* vocabulo Obsequente legerat, nescio quo casu illud ad hoc Obsequentis caput, et tanquam ex Epit. LXIX. transtulerit, quum ad superius caput 104. et ex Epit. LXVIII. debuisset. Legebatur olim in ista Epitome, *M. Antonium Praetorem in Siciliam maritimos praedones persecutum esse*. Hic Sigonius, Vir sane industrius, et optime de Liuiana Historia meritis, recte in *Ciliciam* emendauit, et simul apud Obsequentem, vbi scriptum est: *Piratas a Romanis in Sicilia deletos reponendum esse Cilicia* monuit, id quod sequitur et laudat Pighius in Annalibus ad ann. 650. istam Sigonii obseruationem in eius Notis ad Epitomen, heic quoque Schefferum animo suo respexisse, et significatam voluisse nullus dubito, nihil tamen pertinere ad istum Obsequentis de fugitiuis locum, ad quem illam eam, sed quasi ex conuenientiore, hoc est, LXIX. Epitome, adscripsit, satis probatum existimo. Alius ergo quaerendus Scheffero fuerat, quo eam referret. Neque sane longe abhinc. Capite enim proxime superiore, quod est 104. occurrunt ista a Sigonio laudata, et vere emendata verba. At ibi Schefferus prorsus intentatum reliquit *τὸ Sicilia*, nihil aliud annotans nisi, *Factum hoc Pompeio duce. Vide Florum lib. III. cap. 6.* Quod ipsum non minorem prodit Viri vel incogitantiam, vel *ἀνισοψησίαν*. Eorum enim, isto quae anno et capite refert Obsequens, vt quicquam sit factum Pompeio duce? Qui possit, quum Pompeius tunc vix quatuor annos, quippe natus Serano et Caepione Consulibus, vt ex Velleio constat, habuerit? Vicit ille quidem Piratas, debellauitque, ita vt amplius ne essent, referente Floro, sed diu post, sed et ante eum etiam P. Seruilius,

qui

quī *Isaurici* quoque cognomen ab eorum vrbe, Ciliciae arce, capta reportauit, immo et ante hunc M. Antonius Orator. Eoque duce factum, quod hic tradit Obsequens, et hic reponendum esse *Cilicia* *ἀπὸ τοῦ* *Sicilia* ex Epitome libri LXVIII. et Sigonii ad eam Notis obseruasse debuerat Schefferus. Antonius enim isto anno vicit piratas et *deleuit* non ita quidem, vt ex eo hominum genere nulli omnino amplius superfuerint, aut nulli postea iterum exstiterint, sed ita tamen, vt tunc certe deleti viderentur, et longo etiam tempore post maria non infestauerint, nec potuerint. Quamobrem etiam de illis eum triumphasse obseruarunt Eruditi, sicuti XXVIII. demum annis post Seruius Isauricus fecit, sed ita, vt statim cum iisdem, resumi tunc bellum oportuerit, donec Pompeius eos funditus extirpauit.

Addi his meretur, quod in praecipuo rerum Ecclesiasticarum Historico, et multis dein aliis post eum, magnae item incuriae et Onufrinae prorsus simulis exemplum obseruauit Maimburgius in praefatione ad Historiam *Iconoclastarum*. Dux ille gregis est Card. Baronius ad Ann. 794. n. 41. acriter inuectus in Hincmarum Archi-Episcopum Rhemensem, tanquam hominem *imprudentem* et *temerarium*, quod scripserit aduersus Hincmarum Laudunensem cap. 20. *Auctoritate Synodi Francofordensis nonnihil repressam imaginum venerationem, sed tamen Adrianum et ceteros Pontifices in sua opinione perseuerasse, et mortuo Carolo cultum suarum pupparum vehementius promouisse.* At vero omnia haec, licet ab Hincmari sententia minime aliena, neutiquam tamen ipsius fuerunt verba, sed Centuriatorum Magdeburgensium, qui quum ex illo retulissent, in Concilio Francofordensi damnatum fuisse

fuisse Nicenum II. quo Imaginum cultus fuerat sancitus, ista de suo, hunc locum veluti concludentes, addiderunt. Baronius vero pro ipsis Hincmari accepit, eoque non inspecto, temere non modo in suos Annales transtulit, sed et per hanc occasionem et causam magna verborum acerbitate in eum, vt acriter nimis aduersantem suae sententiae, incurrit. Et sequuntur hunc in ista opinione tum alii, tum imprimis Goldastus, qui cum Synodum Parisiensem sub Ludouico Pio celebratam, Francoforti edi curaret, eius fronti sub nomine Hincmari eadem illa verba praescripsit. Quapropter non iniuria ex hoc exemplo obseruat Maimburgius, quantis erroribus obnoxia sint illorum scripta, qui Auctores ipsos non legunt, sed aliorum citationibus confidunt.

Et simili modo ac iure increpat (To. 2. pag. 6.) etiam eos, qui Auctores non legunt in ea lingua, qua scripsere, quo fit, vt saepe grauiter impingant: subiungens denique, *sed satis est, quod non ipsi sumus accurati, etiamsi nihil conqueramur de iis, qui, quia non legunt antiquos Auctores in ipsis fontibus, id esse nequeunt.* Verum tamen hic ipse Maimburgius, quantumcumque suam praedicet curam et industriam, tamen et ille etiam eo ipso in libro et loco pag. 4. humanae incuriae et incogitantiae manifestum satis dedit documentum; dum Grimoaldum Arengilii filium, cui Carolus M. dedit paternum Beneuenti Principatum, dicit fuisse *auunculum* Principis Atelgisi, qui eiectus a Carolo ex Italia, debellatis Longobardis, quorum vltimi Regis Desiderii, seu Teuterici ille erat filius, ad Graecos se contulerat. Etenim hic ipse Atelgisius Desiderii F. neutiquam auunculum habuit istum Grimoaldum, sed eius ipse erat auunculus, quippe

quum eius soror, Desiderii item filia, mater esset Grimoaldi, id quod ipse Maimburgius non ignoravit. Confer. To. 1. pag. 268. et 281. et To. 2. pag. 2. Similiter in *Historia collabentis Imperii* lib. I. pag. 64. liquido errore Annam seu Theophaniam Othoni II. desponsam, et dein etiam nuptam dicit fuisse filiam defuncti *Imperatoris Romani Argyri et Theophaniae*. Atqui Romanus Argyrus maritus fuit Zoes, et XL. demum annis post mortem Othonis II. factus fuit Imperator Graecorum. Scilicet confudit duos Imperatores, eodem appellatos nomine, sed diuersos cognomine. Ille cuius Otho filiam duxit, fuit *Romanus Puer*, Constantini Porphyrogeniti F. Leonis Philosophi nepos. *Romanus* autem *Argyrus* aliquam multis annis post ad imperium productus est per nuptias mulieris, cuius auus erat Romanus Puer, amita vero Anna ista Othoni nupta: quae et alii et ipse Maimb. accuratius multo tradidit in *Historia Schismatis Graeci* lib. III. p. 259. 262. 273. Vt adeo ex his omnibus pateat clarissime, quam etiam hodie, etiam illi, qui curam quam maximam profitentur, tamen itidem ut nonnulli Antiqui, aliquando memoriae suae nimium confidunt, et Auctoris non inspectis, vnde ea, quae tradunt, haurire debebant, saepe in graues etiam plus minus errores prolabantur.

C A P V T X.

Inciderunt etiam ipsi Veteres aliquando in corrupta exemplaria antiquiorum scriptorum, quos de rebus ante se gestis consulebant, atque ita hauriunt

stum inde errorem ad nos propagarunt. Neque enim nuper demum aut in media barbarie, sed et antiquissimis temporibus librariorum calami, scripturae vitiis fuerunt obnoxii: id quod nemo negare poterit qui ipsum Sacrum codicem cum antiquissima eius Graeca versione diligenter contulerit. In finitis enim ea in locis discrepat ab Hebraeo textu, ut ille ad nos peruenit ipsorum Iudaeorum, quos *Masorethas* vocant, crisi repurgatus tamen et ipse, etiam ex coniectura, quod indicant eorum Notae, in quibus Veteri, et, quia in omnibus reperiebatur codicibus, in verborum ordine relictæ, manifeste tamen corruptæ Lectioni, suam, quam ἀναλογία ipsa exigebat, in margine substituerunt. Illæ vero Graeci et Hebraei codicis, tum in communium, tum praecipue in propriorum nominum vocabulis haerentes discrepantiae, quid aliud arguunt, nisi manifestas iam ante tot secula quorundam librorum corruptelas, quandoquidem ex Variis illis Lectionibus vna modo vera et ab ipso Scriptore potuit esse profecta? Nam quod viri doctissimi Vsserius et Bootius, ut se Capello vehementius opponerent, discrepantias illas non ex Variis Lectionibus, aut librorum vitiis, sed ab ipsorum interpretum vel ἀβλεψία vel consilio profectas censuerunt, id haud scio an aliis, mihi certe nunquam probari potuit. Quo enim consilio, quæ causa interpretes isti cum alia pleraque, tum maxime Hebraica illa nomina propria, nihil in Graeco utique sermone significantia, non expressissent iisdem per omnia literis, quibus in Hebraico suo exemplari expressa tunc temporis inueniebant? Cur ex. gr. Genes. 14. Regem Pamphyliæ vel Gentium תרעל vocare mallet *Θαρογυλ*, quasi in Hebraeo esset תרעל, ר pro ר, Regem

gem Sodomae **בְּרֵעַ** Βαλά, quasi esset **בְּלֵעַ**, **ל** pro **ר**, Regem Adamae **כַּנְחַשׁ** Σεννααρ, quasi **כַּנְחַר** esset **ר** pro **כ**, Immo in his et similibus quam plurimis quis non videat manifestam Hebraicorum exemplarium inter se discrepantiam, a librariis profectam, literas figura conuenientissimas, quales in Hebraea Lingua multae, confundentibus. Atque hinc Zachariae XII. 10. vbi pro vulgato **רָקְרָק**, ἐξεκέντησαν, quomodo Iohannes, in Euang. XIX. 37. id reddidit, Graecos legisse apparet **רָקְרָק**, quia ὠρχήσαντο verterunt, Hieronymus *ob similitudinem literarum errorem esse natum* ait.

Interpretum ἀβλεψίαν in talibus et tali ex causa ortis erroribus semper accusare, hoc est, dicere, eos ne quidem deceptos fuisse variante Lectione, aut vsos exemplari ab aliis plerisque discrepante, sed quum in omnibus eadem esset scriptura, et illi in suo iridem, vt in aliis scriptum haberent, perperam tamen omnia istius generis dormitante oculo vbique legisse, et eadem fœcordia in Versionem suam transtulisse, absurdum profus et inscitum mihi videtur. Nec vnquam ego ausim aut velim maiorem adscribere fidem, curam, et diligentiam librariis, qui indocti plerumque et rudes, singula volumina singulis tantum hominibus vel familiis scribebant, quam interpretibus, qui, quicumque fuerint, seu LXX. seu alii, longe tamen librariis illis haud dubie doctiores, versionem conficiebant per totum terrarum Orbem, vel certe regiones plerasque in exemplaria quam plurima describendam, et mox descriptam, perque eam omnium, tum aequalium suorum, tum posterorum iudiciis censurisque suam fidem, industriam, et doctrinam exponebant. Prouidentiam diuinam ad haec aduocare

câre si oportet et licet, putem sane, et eam non magis adfuisse librariis, quam interpretibus, vel non magis direxisse oculos et manus illorum, qui Hebraica identidem sacri Codicis descripserunt exemplaria, quam qui eum in aliam verterunt Linguam, et quidem illa versione, qua mox non modo Iudaei plerique, sed et omnes Christianorum Ecclesiae, exemplo ipsius Christi et Apostolorum, compluribus seculis praecipue erant vsurae, adeo ut eam non solum publice et priuatim maxime legerent, interpretarentur, atque in dubiis quasi authenticam consulerent, sed et alias plerasque versiones ex ea potissimum, rarissime ex Hebraica scriptura, quae ante duo haec secula inter Christianos pene iacuit oblitterata prorsus et sepulta, exprimerent. Denique non video, cur Iudaeorum librariis et exemplaribus Hebraicis amplio- rem, fidem, curam, et prouidentiae diuinae adiutorium tribui a nobis oporteat, quam Christianorum Graecis, quae tam Noui, quam Veteris Testamenti, multa lectionum varietate, adeoque multis etiam mendis et corruptelis fuerunt iam olim imbuta et onerata. Origenes certe in Matth. Tract. VIII. *Multam differentiam inter exemplaria inueniri con- queritur, siue per negligentiam scribentium, siue ex temeritate quorundam, siue propter eos qui negli- gunt emendare scripturas, vel per eos, qui, quod ipsis videtur, in emendationibus vel adiiciunt, vel subducunt.* Sic Lucianus Martyr, qui sub Diocle- tiano periit, a Suida dicitur sacros Libros emen- dasse et recensuisse, quod *videret eos multum vitii* (*πολύ τὸ νόθον*) *excepisse, cum temporis tractu multa in iis adulterante, tum per continuam ex aliis in alia exemplaria descriptionem.* Atque hinc Sul- picius Seu. de Salomone Rege agens, quum de

quodam annorum numero in libro Regum haesitaret, addit: *Sed non dubito librariorum potius negligentia, praesertim tot iam seculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quam ut propheta errauerit; sicut in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, ut describentium incuria, quae non incuriosè a nobis sunt digesta, vitientur.* Immo vero de ipsis Hebraicis V. T. exemplaribus, audi quaeso, quae dicat inter ipsos Iudaeos doctissimus Grammaticus Elias Leuita in libro Hammasoreth: *Absque dubio, nisi (Masorethae) venissent, iam facta fuisset Lex tanquam duae Leges, ולא היו שני ספרים בכר ספרי המקראה שיו מספמים יחד; nec essent duo libri in omnibus libris Scripturae, qui pariter consentirent, sicut accidit reliquis Scriptorum libris.* Sane Masorethae illi postquam venerunt et admirabili plane ac stupenda diligentia Textui sacro *sepem*, ut dicunt Iudaei, circumdederunt, hoc est, omnia non modo vocabula eius, sed et Literas accurate numerarunt, haud ita facile eum denuo vitari potuisse, lubens agnosco, sed ante illos, quorum summam istam diligentiam haud dubie excitarunt frequentes, quae tunc erant, in Libris sacris corruptelae et incertae Lektionen, hos aequè ac alios Libros habuisse suas discrepantias, et idcirco mendas etiam et naeuulos, atque adeo Graecorum interpretum tempore istis in locis, quae mutationem aut transpositionem vnius et alterius literae arguunt, aliter illos in suo exemplari, aliter nunc nos in nostris legere, si ex animi sententia loquar, vix dubito. Vtra lectio si vna vbique, praefenda sit, non ego nunc decernere velim, nec tantum mihi sumere ausim; hoc solummodo dico, si in omnibus secundum nostra et Masorethica

thica haec exemplaria, contra antiqua illa, ex quibus laudati interpretes Versionem suam concinnarunt, sententiam dari oporteat, longe melius illos posteritati fuisse consulturos, et simul multis controuersis, multisque cauillationibus obuiam ituros, si quum manus tam laudabili et utili ceteroquin instituto admouerent, diligentem prius et nihil omnino praetereuntem adhibuissent Crisin, conquisitis et collatis inter se variis exemplaribus, veraque ex iis lectione rationis et doctrinae ductu eruta, sicuti postea Masorethae fecisse perhibentur.

Et vel hinc patet luce ipsa clarius, quam utile et necessarium sit in re literaria Criticum hoc studium, quot e contrario, si negligatur, exoriantur errores et difficultates. Cuius rei, si operae esset, infinita possent proferri exempla hominum, etiam doctissimorum, mirificas olim obseruationes ex corruptis adhuc Auctorum locis haustas, orbi literato venditantium, et multis inde erroribus sua scripta inquinantium, qui nunc Critica luce clarissimorum virorum cura ac studio purgatis maximam partem Auctoribus praecipuis, depulsi, et tenebris damnati iacent. Quapropter satis pro merito exagitari nequit illorum stupor, qui etiam nunc utilissimum hoc studium contemnunt, fastidiunt, et tantum non penitus explodunt. Malunt, videlicet, ex scribarum et sciolorum, indoctissimorum plerumque hominum, calamis orta mordicus retinere, quam veram ipsorum Scriptorum, qui omnem veterem diuinarum humanarumque rerum sapientiam posteritati prodiderunt, sententiam indagare, vel ab aliis indagatam recipere, et porro pro antiquis illis Legum, Institutorum, Exemplorum atque Historiarum monumentis, ynde

omnis in rebus publicis et priuatis comparatur prudentia, falsa quaedam et nuper nata figmenta pertinaciter amplecti. Hoc illud est, pro Iunone vere nubem fouere, et inuentis frugibus glandes moroso animo praeferre. Verum quia ipsi obiter tantum et perfunctorie, in quaecunq; inciderunt, perlustrant, atque ita nullam alicuius momenti aut bonae frugis obseruationem, quae ex attenta librorum lectione et meditatione nascitur, animo conditam habent, nihilque norunt, nisi forte ab aliis bene iam dicta et excogitata identidem recouere, gloriamque alieno labore partam furtiuus illis repetitionibus in se transmouere, omnem illi Crisim etiam in corruptissimis locis respuunt, increpantes subinde, malle se quaedam ignorare, ut ita ignorantiam suam uelent cuiusdam sapientiae specie ac modestiae praetextu, neu aliorum et maxime aequalium suorum eruditione, studio et industria profligatas quae ueterum scripta insidebant, labes agnoscere cogantur.

Non diffiteor equidem, etiam hic Iliacos intra muros peccari ab iis, qui exigua, uel nulla eruditione subnixi, coniecturis suis temere in Auctores grassantur, uerbis eorum non medicinam sed vim faciunt, quicquid non percipiunt, aut insolens sibi uidetur, quasi omnia uel legissent uel meminissent, corruptum illico clamant, immo ipsis Latinitatis finibus sua sententia palam eiiciunt, constantem membranarum lectionem, minimeque reuiculam suis somniis mutare non uerentur, difficillimi iidem in admittendis alienis, licet optime excogitatis, deque iis, unde nemo uel hilum doctior euadit, neque ipsa Auctoris sententia ulla ex parte mutatur, aut in clariorem lucem e caligine profertur, acerbissimis iurgiis acerrimoque inter se duello,
 tanquam

tanquam de aris et focus, dimicant, qui denique in vere corruptis locis suam semper symbolam volunt conferre, prioribus nihilo certiolem aut verisimiliorem, quum haud dubie, meo quidem iudicio, longe praestet, post varias iam aliorum coniecturas tandem aliquando manum iis abstineri, nisi deprehensam esse veritatem manifestum aut certe valde verisimile sit. Nam ceteroquin ipsa varietate medicina modum excedit, et novis identidem opinionibus et coniecturis lectores distrahit, atque onerat potius quam iuvat, certe incertiores multo reddit, quam ante fuerant. Verum ob haec et similia, si quae sunt, ineptiarum genera, qui omne hoc studium damnant ac reiiciunt, illi vero iniquissimi sunt rerum iudices, quum nulla omnino sit inter humanas disciplina, quae pro vario hominum ingenio ineptiis prorsus vacat, vel in quam non sua secum vitia intulerint et inferant fatui ac peruersi iudicii homines, modum in iis quae agunt, tenere nescii.

Istis verae eruditionis aduersariis non multum absimiles sunt inter ipsos Criticos illi, qui si qua bona sua fortuna, in vetustum alicuius Auctoris inciderunt codicem, quicquid in eo inueniunt, non modo probant, et vulgato praeferunt, sed et neminem deinceps ferre possunt, eidem scriptori quantumuis erudita et speciosa obseruatione aliunde succurrere tentantem, veriti scilicet, ne quicquam ea re decedat pretio codicis, quo reperto et excusso vnice se omni occasione efferunt, quemque idcirco vbique et in omnibus sincerum, nullis vsquam naeuulis aspersum haberi volunt. Sunt quidem vetustissimae membranae infinitis partibus praestantiores recentioribus, nullas tamen credendum est, adeo correctas esse et integras,

vt nihil mendarum contineant; quum etiam antiquissimis illis temporibus scriptae statim ab Auctoris manu degenerauerint, partim librariorum oscitantia, partim sciolorum, quod genus hominum in re literaria semper fuit, audacia. Quo factum, vt et ipsi veteres non raro de his librorum corruptelis fuerint conquesti, et crisin etiam coniectando exercere coacti, vel si negligentiores in eo essent, in errorem, vt initio dicebam, inducti. Certe Cicero ad Q. Fratr. III. 5. *De Latinis; quo se vertat, nescire profiteretur, ita mendose et scribi et venire.* Et quamuis ipse in suis scriptis tam diligens fuerit, vt, antequam ea ederet, *librariorum menda tolleret*, sicuti scribit ad Attic. XIII. 23, tamen non ita multo post, imperante scil. Nerone, variantes iam in eius Orationibus lectiones, aliorumque coniecturas aliquot locis notauit Asconius, et idcirco sua etiam coniectura tentauit, quod in orat. pro C. Cornelio pene in extremo legebatur: *Tanta igitur in illis virtus fuit, vt anno XVI. post Reges exactos propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos Tribunos crearent, etc. itaque auspiciato postero anno decem Tribuni pl. comitiis curiatis creati sunt.* Hic ille eodem modo, quo Sulpicium supra audiuimus loquentem, *Induci se magis*, ait, *librariorum hoc loco esse mendam, quam vt Ciceronem parum proprio verbo usum esse credat; illo enim tempore plebem leges sacratas sibi non restituisse, (nunquam enim antea Tribunos pl. habuisse) sed tunc primum constituisse.* Existimat librariorum culpa iam tunc factum, quod *restituerent* illic legebatur, et reponi debere *constituerent* atque ita Sigonius et Onufrius in Fastis anno 260. et 261. eam Asconii emendationem secuti, allatis his Tul-

Iii verbis non dubitanter scribunt. Ego tamen vix putem faciendam esse mutationem, quam vult Asconius. Etenim sacratae leges non erant proprie, nec solummodo illae, quae tunc temporis de Tribunis pl. creandis sunt latae, vt volunt Sigonius et Onufrius, et sensisse videtur etiam Asconius, vt et illi, qui sacratas leges a Sacro Monte appellatas existimant, sed omnes, teste Festo, quibus sanctio ista addebatur, vt qui quid aduersus eas fecisset, sacer alicui Deorum esset, cum familia pecuniaque. Atque hinc etiam apud alios populos sacratae leges latae reperiuntur. Ab Aequis et Volscis *lege sacrata, quae maxima apud eos vis cogendae militiae erat, delectum habitum* scribit Lilius IV. 26. Qualis iam fuerit illa lex, ex iis, quae de Samnitibus tradit Idem X. 38. facile colligas. Nam et eos delectum habuisse dicit *noua lege, vt qui iuniorum non conuenisset ad Imperatorium edictum, quique iniussu abisset, caput Ioui sacratum esset.* Vides *sacratas leges* non fuisse proprias Romanorum, multo minus Montis sacri, vel ex Monte sacro demum profectas aut nominatas. Immo antiquissimae pleraeque leges, sed maxime Romanorum, erant *sacratae*, hoc est, istiusmodi sanctionibus munitae. Et haud dubie tales fuerunt etiam regiae, comitiis curiatis a Romulo ceterisque latae. Quae quum *Regibus exactis omnes exoleuissent, iterumque coepisset Populus Romanus incerto magis iure et consuetudine* (quae erat nimia illa potentium dominatio, de qua Cicero) *agi ac regi, quam per latam legem, vt ait Pompon. de Or. iuris §. 3. adeoque nullae tunc amplius essent aut ferrentur sacratae leges, non male mea sententia dici potuit populus in Monte sacro illas sibi tunc temporis restituisse, quippe quae post*
longam

longam annorum intercapedinem tunc denuò ferri coeperunt, et porro deinceps etiam sunt latae. Atque hinc postea populus omnem potestatem decemuiris concessisse legitur apud Liu. III. 33. *modo ne lex Icilia de Aventino, aliaeque sacrae leges abrogarentur*, hoc est, non illae proprie, quae de Tribunis pl. sunt latae, (nam hi sub Decemuiris non erant futuri, nec fuerunt) sed quaecunque aliae leges a populo post secessionem in sacrum Montem iussae cum istiusmodi sanctione inter quas etiam Icilia de Aventino fuisse videtur. Certius, ni fallor, vitium est in ultimis Tullii verbis, nisi illum dupliciter lapsum statuere velimus, dum postero statim anno decem Tribunos pl. creatos dicit, et quidem curiatis comitiis. Nam longe demum post, *tricesimo sexto anno a primis Tribunis pl. decem creati sunt* Liu. III. 30. quo tempore, iam quarto decimo anno ante, lege lata constitutum erat, vt Tribuni pl. non amplius curiatis comitiis, sed tributis, in quibus nihil poterant patricii, crearentur. Censeam denarium numerum non a Cicerone, nec Asconico, sed scio Io quopiam verbis illis additum, et voluisse Ciceronem, primo extra Urbem in Monte Sacro per secessionem creatos Tribunos pl. postero vero anno, et deinceps in ipsa Vrbe auspicato, et comitiis curiatis solenni et antiquissimo Magistratum creandorum more. Hoc eodem apud Asconium loco statim post, duos illos primos Tribunos pl. *L. Sici-nium L. F. Velutum, et L. Iunium C. F. Paterculum*, sed posteriorem hunc male ita nominant Editores, secuti scilicet Manutium, qui cum in antiqua ed. legeretur *Lauinius* reposuit *L. Iunius* ex Dionysio, qui certior historiae auctor sit, quam Liuius. At *L. Iunius* a Dionysio cognominatur *Brutus*, non

Pater-

Paterculus, et praeterea Asconius sequitur non Dionysium, sed alios Auctores, quos ibidem nominat, in quibus est Liuius. Hic vero alterum ex duobus primis Tribunis quum vocet *L. Albinium*, vt recte Sigonius pro *Albinum*, nemo non videt apud Pedianum idem nomen Tribuno illi reddendum fuisse ex vestigijs vetustae scripturae, in qua *Lauius* ortum ex *L. Aluinius*, et hoc ex *L. Albinus*, mutato B. solemniter pene more in V. plane sicuti alter non L. sed C. Sicinius male quoque *Velutus* pro *Bellutus* cognominatur. Quod Editores a Sigonio Emend. I. 33. didicisse iam potuissent, disputante contra Robertellum, qui ineptissime ex corrupta a Manutio Asconii lectione *L. Junii*, nomen apud Liuium quoque reponi volebat.

Sed vt ad veterum crisin, omissa nostra, et probandas veterum testimonio etiam antiquissimorum codicum corruptelas reuertar, *magnam* suo tempore *eruditorum concertationem* fuisse scribit Plinius Nat. Hist. XVIII. 10. de eo, *an is versus* quo Plautus in *Aulularia Artoptae* vocabulum vsurpasse creditur, *Poetae sit illius*. Ad quod Critices genus, aliena et supposititia a genuinis discernens et separans, alludit etiam Cicero Famil. IX. 10. quum arbiter sederet inter Niciam et Vidium, qui Niciae duobus versiculis expensum quid ferebat, quod ille acceptum negabat: *Ego tanquam Criticus antiquus iudicaturus sum, vtrum sint τοῦ ποιητῆς, an παρεμβεβλημένοι*: Idem Plinius, sicut illic additum multorum opinione adulterinum Plauto versum significat, sic contra lib. VI. cap. 29. omissam ipse suspicatur *exemplarium vitio* mentionem duarum vrbium apud Iubam, nobilissimum scriptorem: *Iuba*, inquit, *qui videtur diligentissime*

me persecutus haec, 'omisit in hoc tractu, nisi si exemplarium vitium est, Berenicen alteram et tertiam. Non vnum aut alterum, sed communiter, quantum erat exemplarium, vitii suspicione arguit, non facturus, nisi illa etiam isto tempore in corruptelas hoc genus aliquando veluti conspirasse constitisset. Sic Sibyllinos versus festinanter exscribentium vitio corrupte passim legi monuit Iustinus Martyr, et antiquos foederum ac Legum Romanarum libros frequenti transpositione aliquid mutasse notat Victorinus de Orthogr. Gellius Noct. Att. VII. 20. in libros de corruptis exemplaribus factos incidisse ait qui Catullum carm. 27. ebrios aut ebriosos scripsisse putabant.

Similiter in Virgilio iam sub primis Impp. corrupte vulgo legebatur Georg. II. de terra falsa et amara: *et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaro*, pro *amaror*; vt obseruauit et monuit, teste eodem Gell. I. 21. Higinus in commentariis Virgilianis, qui *in libro ex domo et familia* ipsius Poetae ita inuenerat. Neque tamen vel sic persuaderi potuit Fauorino doctissimo Philosopho, scripsisse ita Virgilium. Sed digna sunt Gellii ea de re verba, quae hic exhibeantur et considerentur, quoniam Lud. Carrio Antiq. Lect. III. 12. aliter ea legi iubet, et ex eius haud dubie auctoritate aliter in nouissimis, et praestantissimis edd. nunc leguntur, ac antea, et recte, mea quidem sententia, legebatur. *Sed enim, inquit, quum Fauorinus Higinum commentarium legisset, atque ei statim displicita esset insolentia et insuauitas illius: sensu torquebit amaro: risit, et Iouem lapidem, inquit, paratus sum ego iurare, Virgilium hoc nunquam scripsisse, sed Higinum ego dicere verum arbitror, non enim primus finxit hoc verbum Virgilius insolenter,*

ter, sed in carminibus Lucretii inuentum est. Verba ex quarto Lucretii haec sunt:

*Dilutaque contra
Quum tuimur misceri absyntbia, tangit amaror.*

Ita voluit Carrio, et ita nunc editur, tanquam si omnia haec dixisset Fauorinus, et Higini sententiam vehementer probasset; Gellii contra nullae hic fuerint in iudicando partes, *utrumque contra iudicium, certe praeter opinionem omnium eorum, qui antea Gellium legerunt, aut de illis Virgilii carminibus disseruerunt, ut gloriatur Carrio.* At vero in illis, *sensu torquebit amaro* quaenam, aut qua in voce haeret ista insolentia et insuauitas tanto-pere Fauorino displicita? Omnia utique solita, vlitata, et auribus satis suauia. Deinde quam frigide et insulse ac sine causa subiiciuntur mox: *Non enim primus sinxit hoc verbum (amaror) insolenter, quum in solo hoc Gellii capite, si ex Carrionis voluntate legas, illud quidem verbum nusquam insolentiae fuerit accusatum, adeoque tam studiose et prolixè illius defendendi nulla omnino data causa. Vt cunque sit de vetustioribus libris, quos laudat Carrio, nullus ego dubito, recte habuisse veteres edd. insolentia et insuauitas illius: sensu torquebit amaro.* Et mox scripsisse. *Sed Higinum Ego (Gellius) dicere verum arbitror.* Nam in alia erat Fauorinus sententia, ac Higinus et docti illi, quos in proximis superioribus laudat Gellius, idque manifeste arguunt voculae, per quas ab iis ad Fauorinum digreditur, *sed enim, aliud ac diuersum quid a superioribus propositum iri significantes.* Porro certissimum pene arbitror, illud ipsum insolentiae accusari, quod statim postea tam multis eiusdem vitii nomine defenditur.

Nempe

Nempe Fauorino, qui maxime probabat et commendabat illud Caesaris, *tanquam scopulum, sic fugiendum esse insolens verbum*, de qua eius animi sententia vide supra cap. 10. etiam in his insolens videbatur *τὸ ἀμαρὸν*, atque idcirco Gellius illud verbum *non insolenter fictum* a Virgilio, auctoritate Lucretii asserit. Patet vero hinc, non neglexisse ipsos veteres nec cura docti hominis indignum duxisse, veram Virgiliani istius loci lectionem sedulo indagare; praeterea vulgo iam tunc isto in loco corruptos fuisse libros, denique Fauorinum non modo Higino doctissimo Grammatico, sed neque domestico, vel ex domo et familia ipsius Virgilii allato libro credidisse, quo minus Crisina adhiberet. Macrobius quoque Saturn. III. 8. notat, in vulgatis eiusdem Virgilii, ut et Calui libris male Venerem scribi *Deam*, quum Poetae ipsi altero genere fuerint vsi: Nimirum *ducente Deo*, et *Pollentemque Deum Venerem*. Sed et III. 2. *in eo plerosque falli*, quod apud Virgilium, *Extaque falsos Proiticiam in fluctus* legant, quum verum sit *Porriciam*. Quapropter minime mirandum, quod apud Liuium quoque XXIX. 27. omnes, qui nunc supersunt, codices, etiam optimus ille Puteanus, sed tamen erroribus quoque, ut multis illic a Gronouio probatur, obnoxius pro *porricit* exhibeant *proiecit*, quod recte ὁ πᾶσι prae altero spreuit.

Verum, ne quis mihi in posterum Criticen, etiam quae sola nititur ratione vel ingenio, temere exagitet, ecce locum, vbi et ipse Liuius contra codicum auctoritatem solo rationis ductu in Valerio Antiante eam adhibuit: *Scipio* (inquit XXXVIII. 55.) *et A. Hostilius Legatus et C. Furius damnati: quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem VI.*
M.

M. pondo auri, CCCCLXXX. argenti (ingenti lapsu Pighius An. 566. ex hoc loco adfert, *quadragies et LXXX. argenti pondo*, haud dubie, quia statim post de quadragies sestertio sequitur) *plus accepisse, quam in aerarium retulerit, A. Hostilium LXXX. pondo auri, argenti CDIII. Furium Quaesorem, auri CXXX. argenti CC. pondo.* Addit iam, *Has ego summas auri et argenti relatas apud Antiatem inueni. In L. Scipione malim equidem librarii mendum, quam mendacium scriptoris esse, in summa auri atque argenti. Similius enim veri est, argenti quam auri maius pondus fuisse, et potius quadragies quam ducenties quadragies litem aestimatam: eo magis, quod tantae summae rationem etiam ab ipso P. Scipione requisitam esse in senatu tradunt. Maluit, ut vides, nobilissimus hic scriptor aperte et quasi ex professo Criticum coniectando agere, et quidem in Historiarum libris, argumenti, ut quis forte existimet, eam ad rem minus accommodati, quam istum exemplarium errorem, nostrorum hominum more, sine animaduersione vel praetermittere, vel sequi et amplecti. Verum ut summam in Antiata corrigi voluerit, potius significauit, quam expressit. Et tacent hic interpretes praeter vnum Glareanum, qui ita haec intelligenda censet, quasi voluerit Liuius legi debere: *Scipionem sex millia pondo argenti, quadringenta octoginta auri plus accepisse.* Sed in ceteris auri mentio praecedat constanter argentum, et praeterea isthaec summa excedit *quadragies* scil. sestertium, quo litem Scipionis aestimatam vult Liuius, trecentis et viginti millibus HS. Putem potius erratum a librario in numerorum notis, quod et facilius fieri potuit et saepissime factum, quam transpositis ipsis *auri* et *argenti* vocabulis. Nempe ut*

IIO clo *sex millia* pondo auri dederit pro IO E
sexcentis et CCCC *quater centena* argenti pro
 clo clo clo clo. vel clo IIO *quatuor millibus*,
 quae notae olim paulo conuenientius inter se fue-
 runt scriptae, quam hic exarari et edi possunt.
 V. Petri Seruii Iuu. Fer. c. 4. Et huius senten-
 tiaë summa exacte respondet quadragies sestertio.
 Nam cum auri ad argentum proportio fuerit decu-
 pla, vt ostenderunt Viri Eruditi, et in singulis
 libris pondo argenti sint centum denarii, seu
 quadringenti sestertii, sequitur, vt sexcenta pondo
 auri faciant sex millia pondo argenti, ea vero con-
 iuncta cum aliis quatuor millibus argenti pondo,
 faciant decies centena millia denarium seu quadra-
 gies centena millia sestertium, h. e. *quadragies se-*
stertium. Superant tantum excurrentia illa *octo-*
ginta pondo argenti, quorum in summa per sestert-
 tium enuncianda, vel ad sestertium reducta, ra-
 tionem non habuit Liuius, quoniam in ea rotundo
 numero vel eodem, quo cetera, modo exprimi
 non poterant, quippe quum non vna centena, sed
 tantum duo et triginta millia nummorum exple-
 rent. Plane quemadmodum in altera quoque sum-
 ma, in quam Scipionem damnatum scripserat libra-
 rius, ad *ducenties quadragies* sestertium reducta fe-
 cit, praetermissa illic tota argenti summa, *quadrin-*
gentorum octoginta pondo, seu CXCII. Millium se-
 stertiorum. Nam sola 6000. *pondo auri* faciunt *du-*
centies quadragies HS. Ad hunc vero modum qui
 sibi et lectoribus suis non cauerunt, a mendosis hu-
 iusmodi libris decepti errores inde haustos, indecoro
 nimiae suae securitatis et vsitatae Critices aduer-
 sariis negligentiae documento, posteris prodide-
 runt. Nihil frequentius in Manuscriptis, quam
 confundi duas nobilissimas familias patriciarum gen-
 tium,

tium, Corneliae *Scipiones* et *Seruiliae Caepiones*. Corruptus vehementer etiam tum hinc, tum alio insuper modo Appiani insignis locus Bell. Civ. II. 435. vbi de Caesare. Πομπηίῳ μὲν ἐξέγγυε τὴν θυγατέρα, Καίπερ ὄντι τῷ Σκιπίωνι. Nullus in his sensus, ideoque interpres pro lubitu vertit: *Pompeio collocavit filiam, quamvis iam ante concordii*. At tu lege Καίπερ ἐγγυον τῷ Καίπιωνι, et verte, *quamvis desponsam Coepioni*. τὸ ἐγγυον omnino desideratur, et priore sui parte excidisse videtur propter duas, quae proxime praecedunt, literas figura convenientissimas. Eius contrarium est ἀνέγγυος, quod a Plutarcho in Gracchis de horum matre vsurpatur: ὡς ὑπὲρ τῆς πατρὸς ἀνέκδοτον καὶ ἀνέγγυον ἀπολαφθάσαν. Caepioni vero desponsam fuisse Iuliam Caesaris F. docet nos idem Plut. in Caes. ἦν γὰρ αὐτῷ Ἰουλία θυγάτηρ, ἐγγεγνημένη Σεργιλίῳ Καίπιωνι (sic enim legi debere ex addito gentis *Seruiliae* nomine satis constat, quamvis et hic et in Pompeio, vbi idem refertur, Σκιπίωνι quoque in variis edd. editum occurrat) ταύτην ἐνεγγύησε Πομπηίῳ. Adde Sueton. Caes. cap. 21. *suamque Iuliam Cn. Pompeio collocavit, repudiato priore sponso Seruilio Caepione*. Atque in his nominibus saepissime alibi a librariis erratum, supposito *Scipionum* nomine, quod notius, τῷ *Caepionum*: idque haud dubie in causa fuit, vt Ampelius, quod Caepionum erat Scipioni Aemiliano tribuerit. Certe in capite, quo exposuit, quas gentes, et per quos Duces Populus R. vicerit, ait: *Per Scipionem Aemilianum Celtiberos et Numantiam. Per eundem Scipionem Lusitaniam et ducem Viriathum*. At Lusitania victa per Q. Seruil. Caepionem Proprætozem, eum, qui anno 647. Consul fuit. Eutrop. lib. IV. extr. *a Seruilio Caepione in Hispania Lusitani victi sunt*.

Viriathino vero bello, ipso Viriatho per dolum et proditionem suorum occiso finem tandem imposuit alius Q. Seruilius Caepio Consul an. 613. vt docent Appianus *Ibng.* 296. 297. Liu. Epit. LIV. Vell. II. 1. Val. Max. IX. 6. tum victor et Eutropius. insigniter lapsus aut Florus aut librarii eius, lib. II. cap. 17. vbi hoc *Pompilio* tribuitur: *Tandem (Viriathum) Fabius Maximus Consul oppresserat, sed a successore Pompilio violata victoria est, quippe qui conficiendae rei cupidus fractum Ducem et extrema deditiois agitantem per fraudem, et insidias et domesticos percussores aggressus.* Confer, si videtur, Appianum ac Liuium, et intelliges Fabio Maximo Seruiliano successisse eum, quem dixi, Caepionem, et ab hoc fraude sublatum Viriathum. An ergo dormitasse et hic dicemus Florum? Et sane neque in eo satis fideliter is agit, quod Viriathum a Fabio oppressum scribit, quum ille contra ad pacem aequis conditionibus secum faciendam (v. Appian.) adegerit Fabium, qui ista pace rebus prospere ceteroquin in Hispania gestis labem imposuisse dicitur in Epit. Liuii, sed si maxime in hoc quoque Viriathi interfectore errauerit Florus, non tamen *Pompilio*, vt editur, sed haud dubie *Popilio* scripsit, vt habet vetustissima editio, et Pal. sec. Nulli enim tunc temporis Pompilii erant, ac M. Popilius Laenas anno post Caepionem Consul fuit, et ex Hispaniis quoque alteram prouinciam tenuit. Verum tamen quia is non contra Viriathum, sed Numantinos bellum gessit, neque illud confecit, sed ab iis fufus fugatusque cum sua ignominia successori tradere debuit, et praeterea culpa, quantum eius fieri potest, in librarios potius deriuanda est, quam in ipsos Auctores, consideres omnino velim, mi Lector, annon in his

succef-

successore Pompilio lateat successore Caepione Seruilio, quod ego sane parum abest, quin censeam, maxime quia Florus quum alibi tum in hoc capite plerisque, praesertim si non sint valde celebres, et vno nomine cuilibet satis noti, duobus appellare soleat nominibus, atque isto duorum nominum ordine frequentissime scriptores vtantur, et denique in nominibus propriis incredibilem in modum corruptae sint librariorum culpa historiae. Immo apud Cicer. de offic. I. 11. eodem plane modo *Pompilii* nomen quod bis ibi legitur tanquam Imperatoris, qui bello Persico Macedoniam tenuerit. Langius et Schottus mutatum volunt in *Pauli Aemilii*: quamuis ego, vt vere dicam, istic potius *Hostilii* nomen reposuerim, qui eo bello et in ea Prouincia Imperator fuit et imprimis collapsam in exercitu disciplinam restituit: quam ad rem pertinere queat, quod a Cicerone dicitur vnam dimisisse legionem. Possumus forte et Ampelio ex parte succurrere, si statuamus scripsisse eum, *per Caepionem Lusitaniam etc.* idque solenni scribarum oscitantia transisse primo in notius illud nomen *Scipionis*, ab alio deinde additum *et eundem*, intelligente et a ceteris lectoribus intelligi volente eum Scipionem, de quo proxime praecesserat. Atque ita sane apud Seruium ad Virg. Georg. III. 29. nomen *Duilius* primo, vt saepius alibi factum, mutatum fuit in *Iulius*, atque huic deinde alius adiecit Iuliae gentis cognomen *Caesar*: et ita factum vt isto loco nunc editum occurrat. *Nam rostratas* (columnas) *Iulius Caesar posuit victis Poenis nauali certamine*: quum legi ex historiae veritate debeat, *Nam rostratas Duilius posuit*, idque probet Vaticanus codex, in quo simpliciter reiecto cognomine *Vilius* pro *Bilius* et hoc pro *Duilius* legitur, teste P. Ciac-

conio in Comment. Col. Rostr. Duilii huius. De Ampelio tamen vt dicam, quod sentio, putem eum ipsum, vt passim alibi, etiam hic errasse, sed deceptum a libris, iam tum *Scipionum* nomen pro τῷ *Caepionum* vulgo ingerentibus.

De quo vtcunque sit, certe Priscianus a corruptis codd. qui, vt etiam nunc plerique, prænomen *Tullus* forma gentilitii nominis *Tullius*, et insuper *Seruilius* pro *Seruius* exaratum habebant, abreptus est, vt insigni errore statuerit nonnulla prænomena olim fuisse modo prænomena, modo gentilitia. Ait enim lib. II. *Quae in aliis personis sunt prænomena, haec in aliis loco nominum accipiuntur, vt Tullius Seruilius, hic Tullius prænomen est. M. vero Tullius, hic nomen.* Existimauit, vt vides τὸ *Tullius* etiam prænomen esse, haud dubie quia ita passim in libris minus emendatis, pro *Tullus*, quod verum est prænomen, scriptum illi occurrebat. In exemplo vero, quo sententiam suam confirmare nititur, alia est labes et quidem duplex. Nam quum *Seruium Tullium sextum Romanorum Regem* haud dubie intelligat, quia prænomen eius *Seruius* corrupte scriptum, mutatumque in gentilitium *Seruilius*, quomodo etiam nunc in non paucis membranis adulteratum deprehenditur, alicubi offenderat, ablatum eo videtur, vt Regis illius nomen gentilitium putarit esse *Seruilius*, prænomen *Tullius*, quum hoc illius esset gentilitium, prænomen vero *Seruius*. Ne de tam vetusto in scriptura *Tulli* nominis vitio dubitetur, aliud multo etiam illustrius eius rei documentum ex Fastis Siculis dabo. An. V. C. 720. Caesari Octauiano Consul ab omnibus additur L. Volcatius Tullus, qui, quod antiquissimis temporibus fuerat prænomen, tunc pro cognomine vsurpabat, a maioribus iam accepto.

accepto. At Graecus ille Faſtorum Auſtor, quum ſolemne illi eſſet, Conſules ſingulos ex variis quae habebant, nominibus vno tantum nomine notare, et quidem eo, quod omnium erat ordine vltimum, ſiue illud cognomen, ſiue gentilitium eſſet nomen, ſi cognomen non haberent, ille ex quocunq; Auſtore, quibuſcunq; libris iſthaec Conſulum nomina collegit, certe in iis vltimum Conſulis huius nomen non *Tullus*, vt oportebat, ſed *Tullius* mendose ſcriptum inuenit. Inde enim factum, quum poſtea Faſtos ſuos ordinaret, ederetque, vt, quia non ignorabat *Tullius* nomen eſſe gentilitium, inque ea gente celeberrimum eſſe cognomen *Ciceronis*, cognomen autem, vtpote ordine vltimum, adhibere mallet, nihil moratus nec re amplius inquiſita *Ciceronem* pro *Tullo*, ſeu L. Volcatio Tullo, Caefari collegam dederit, ſtupendo proſus lapſu, cuius cauſam et originem non aliter quis expediet, niſi iſto, quo a me factum eſt, modo. Sed et in denarii Romani pretio cum Graecorum drachma comparando grauiffime imegiſſe eundem Prifcianum et adulterato iam tunc Liuii loco deceptum oſtendit ὁ πόνυ ad Liu. XXXIV. 52. et lib. III. de pec. vet. cap. 4.

Digna porro ſunt Salluſtii e lib. I. Hiſtor. verba, quae hic accuratius examinentur, atque illuſtrentur, quoniam peruerſe proſus et nunc eduntur, et iam olim a Nonio Marcello relata ſunt. *Sertorius*, inquit, *portis turbam morantibus, et nullo, vt in terrore ſolet, generis aut imperii discrimine, per calonum corpora ad medium quaſi, dein ſuper adſtantium manibus in murum attollitur.* Ita omnino legendum, et hoc quidem ſenſu: Sertorius, quum per portas, quae omnem refugientium in Urbem turbam non ſimul recipiebant, intrare non poſſet,

nec in illa fuga et terrore vllum esset generis aut imperii discrimen aut reuerentia, hoc est, Imperatori prae ceteris locus in portis non daretur, attollitur per corpora et humeros calorum ad medium circiter muri, et ex eo deinde loco in ipsum murum manibus eorum, qui superadstabant, vel qui super murum adstabant. *Ad medium quasi*: sic in Iugurtha cap. 48. *Ex eo (monte) medio quasi collis oriebatur*, hoc est, medio ferme totius montis loco. cap. 50. *Praesidio quasi duum millium* i. e. circiter, *superadstare* dicitur vel coniunctim, vt censentur multa alia id genus *superaddere*, *superimpendere*, *superimponere*, *superstare*, vel potius, sicuti ego arbitror, separatim, vt per *ἑκαστῶν* intelligatur id, super quod illi, elato iam ad medium Sertorio adstiterint, nempe murus. Sic Iug. c. 60. *Scalae comminutae, qui super (scalas) steterant, afflicti*. Petronius: *Repositorium rotundum duodecim habebat signa in orbem disposita, superque (singula signa) proprium conuenientemque materiae structos imposuerat cibum: super Arietem cicer arietinum etc.* Idem *Collocauit illa ignem cassis harundinibus collectum, ingestisque super (ignem) pluribus lignis, excusare coepit moram*. Val. Max. V. 5. 6. *factaque ingenti strage, plurimis telis obrutus, super corruit*. Ita vero distinguenda haec Sallustii, atque intelligenda esse, quum sit certissimum, Nonius tamen, vitioso haud dubie codice deceptus, τὸ *super* non modo a sequenti verbo distraxit, sed et praecedenti coniunxit, atque inde aliud nouum formauit vocabulum, *Dein super*, idque ex auctoritate Sallustii, vt putabat, dignum habuit, quo suos de proprietate sermonum libros augetet. Seorsim namque illud et ex professo inter alia refert cap. 12. ac solis his Sallustii verbis probat. Eius vero
Scriptu-

Scripturam sequuntur nunc fragmentorum Sallustii Editores, quamuis illa verus verborum sensus prorsus peruertatur, et dudum iam recte Nonium castigauerit Anonymus Annotator, doctiss. Mercerus.

Immo vero etiam Historiae Augustae Scriptor Aelius Lampridius Herodiani, non ita multo se antiquioris, corrupta tamen et ipse habuit exemplaria, eaque causa aliud, quam ille scripserat, ex eo quamuis diserte citato, sed tamen negligenter satis inspecto refert. Tradit enim in Alex. Seu. cap. 57. *Auctorem esse Herodianum, Imperatorem hunc amisisse exercitum fame, frigore, ac morbo.* At Herodianus Alexandrum scribit VI. 14. exercitum diuisisse in tres partes, earumque vnam in asperis et montosis regionibus hyemis vi et frigoris asperitate attritam paucissimis tantum reliquis interiisse, alteram, in qua ipse fuerit Imperator, morbo, omni pariter illa parte lethaliter aegrotante, grauiter fuisse afflictam, tertiam ab hostibus de improviso occurrentibus circumuentam et occisione occisam, adeoque Imperatorem, subiungit tandem, longe maximam totius exercitus partem amisisse *διαφόροις συμφοραῖς, νόσῳ, πολέμῳ, κρύει, diuersis calamitatibus, morbo, bello, frigore.* Tertiam igitur calamitatem ex Herodiani sententia exercitui inflixit vis ipsa belli et hostium, non fames: sed apparet manifesto, vt iam monuit incomparabilis Casaubonus, cui hanc obseruationem debemus, Lampridium in Codice suo pro *πολέμῳ* legisse *λεμῶ*, ideoque *famis* in sua Alexandri vita, raquam ex Herodiano, fecisse mentionem. Perquam oscitanter profecto: nam si Criticen aduocasset, facile hunc codicis istius errorem ex relata accuratius paulo ante tertiae illius partis et cladis ab Herodiano Historia cognouisset et emendasse, sibi que cauisset,

ne ex Auctore, cuius testimonio utitur, aliud, quam ille memoriae mandauerat, indecora sane Historico negligentia et securitate attulisse argueretur.

Similiter et illud, quod etiamnum apud Dionem lib. LX. celeberrima faeminarum Arria mendose editur vxor *Καικίνας ὑπάτης Caecinnae Consulis*, et viro suo dixisse: *ἰδὲ παῖ, ἔκ ἀλγῶ*, ecce puer, non doleo, magna item inscitia iam olim a Ioh. Zonara in suam quoque Historiam fuit translatum. Nec enim erat illa vxor *Καικίνας ὑπάτης*, sed *Καικίνας Παίτης Caecinnae*, qui cognomen habebat *Pacti*, eo-que cognomine eum appellauerat, quum mori iustum suae necis exemplo confirmauit, addita immortali hac voce *ἰδὲ, Παίτης, ἔκ ἀλγῶ*:

*Si qua fides vulnus, quod feci, non dolet, inquit.
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pacte, dolet.*

Atque istum in modum non ex Martiali modo, sed praecipue ex Plinio Iuniore emendandum Dionem clarissime docuit Vir sane quam Eruditus Paulus Leopardus Emend. I. 17. Quo fere adducor, ut eiusdem Dionis deprauatam item lectionem alio loco censeam, licet eam quoque secutos videam eundem Zonaram et Xiphilinum, quum ex illius lib. XLV. ipso initio, Augustum Caesarem ante adoptionem in Iuliam gentem vocatum tradunt, *C. Octavianum Caepiam*. Etenim nunquam mihi verisimile visum, Augusto vere id cognominis fuisse, et tamen apud neminem alium ex tot pene innumeris scriptoribus, qui illius passim et lubenter mentionem faciunt, nisi demum apud Dionem reperiri. Nuspianne Cicero in Orationibus et maxime in Epistolis ad eum designandum cognomen hoc usurpasset more seculi istius, quo homines praecipue cognominibus, si ea haberent ap-
pellaban-

pellabantur, sed semper potius *Octavianum* gentilitio, seu communi totius paternae gentis nomine vocasset? Non observasset id Suetonius, qui vitam eius diligentissime exposuit, nec cognomina memoriae mandare neglexit, non solum quae adoptatus, sed etiam quod ante adoptionem, et quidem in infantia, *Thurinus* breui tempore appellatus, habuit? Non denique vsquam istius cognominis *Caepias*, quod tamen, si habuisset, maxime peculiare illi fuisset nomen, cum duorum reliquorum alterum esset gentilitium, alterum omnium fere praenominum vulgatissimum, meminissent Livijs, Velleijs, Valerius, Tacitus, Senecae, Plinii, Quintilianus, Gellius, Plutarchus, Appianus, tot alii, ante Dionem aetate plus quam duobus seculis posteriorem? Immo neque ipse Dio vsquam alibi hoc cognomen illi tribuit, sed semper ante adoptionem *Octavianum*, post eam *Caesarem*, vel *Augustum* vocat. Considera sodes, verba eius paucis post: ἔγωγε μὲν ὁ πρότερον Ὀκταβίος, τότε δὲ ἤδη Καῖσαρ, μετὰ δὲ ταῦτο Αὐγούστος ἐπικληθεὶς ἤψατο τῶν πραγμάτων. Cur non sicuti ex adoptivis et novis nominibus, non gentilitio *Iulii*, sed cognomine *Caesaris* et postea *Augusti* eum praecipue ornat, similiter etiam antea cognomine potius *Caepiam* praecipue appellat, et vulgo appellatum scribit, quam gentilitio illo *Octavianum*? Praeterea non video, quale tandem illud fuerit cognomen, quod non modo ex Octavijs, sed ne ex omnibus quidem Romanis, quantum equidem recordor, alius quisquam tulit. Adde nullam prorsus prae se ferre significationem, quamvis si illi ipsi primo vel soli fuit impositum, ut sane statuendum foret, necessario aliquam debeat habuisse causam aut significationem vel originis, vel rei gestae, vel cuiuscunque

que alterius rei et casus. Eruditorum de his fit existimatio, quibus ego lubens meam coniecturam, quam pro certa venditare neutiquam mihi est propositum, subiectam volo. Suspicio enim Dionem, pro eo quod libri nunc praeferunt. Ο δὲ δὴ Γάιος ὁ Οὐτάγιος Καίσιος scripsisse: ὁ δὲ δὴ Γάιος ὁ Οὐτάγιος καὶ Ἀτίας (ἔγω γὰρ ὁ τῆς Ἀτίας, τῆς τοῦ Καίσαρος ἀδελφίδης, vt recte Xylander, υἱὸς ἀνομάζετο) etc. Postquam Auctor, vbi primum accuratius erat agendum de Octauiano Caesare, qui vnus plures, quam quisquam alius, suae Historiae paginas erat impleturus, nomen eius et parentes, vt fit in illustribus Viris, simpliciter exposuisset, in parenthesi matris praecipue mentionem diligentius repetit, vt ostenderet, per eam coniunctum esse, et quam coniunctus esset Caesari, qui illum adoptauerat, et viam ad quod adscendit dignitatis fastigium, ista adoptione aperuerat. Solo autem praenomine hic eum appellat, quasi maxime proprio nomine, quia non aliud ipsi fuit vere proprium et singulare nomen, et diuersimode a patre eum nominare voluit, quem proprie *Octauium* gentili nomine semper appellat, cuiusque hoc ipso in loco simul meminit, et tamen satis declarari censuit etiam ipsum Octauium esse, eo quod Octauii, dicitur filius. Nam υἱὸς in ista locutione, ὁ Οὐτάγιος, et similibus semper intelligitur. Alibi vero, vbi nulla simul patris fit mentio, paterno seu gentilitio nomine ipsum quoque potissimum insignit Dio, antequam *Caesarem* vocat, quia solus tunc supererat, qui isto nomine potissimum poterat ornari, patre dudum mortuo. Et ita deinceps solo quoque praenomine vitur, quia aliud non habebat; quo solo a proximis distingui possent, in nominandis M. Antonii fratribus Lucio
et

et Gaio, tum Sex. Pompeio, Sex. Caesare, Q. Pedio, C. Caesare Agrippae filio; immo etiam ex antiquitate repetito *Spurio*, seu *Cassio*, seu *Maelio*. Verum si quis tamen difficulter hanc meam admittet emendationem, me profecto non difficilem experietur, si quid certius vel etiam speciosius de isto *Caepiae* cognomine nos docuerit.

Ceterum quod Xiphilinus quoque vulgatam Dionis lectionem tueri videtur, non multum id me mouet, quum hoc eodem in loco etiam aliud mendum, quod Dionis infedit codices, a Xiphilino receptum fuerit, ut obseruauit Doctiss. Xylander. Nempe quod Atia Augusti mater, quae Iuliae sororis Caesaris erat filia, ut cum aliunde constat, tum ex alio ipsius Dionis loco, tamen a Xiphilino aequae ac in corruptis Dionis exemplaribus dicitur C. Caesaris ἀδελφῆ pro ἀδελφιδῆ: itidem ut apud Plutarchum in Antonio, ubi similiter facta mentione Octauiani, et eius matris librariorum lapsos idem ostendit. Et sane vix vlla alia in voce frequentius eos peccasse deprehendas. Vnde etiamnum idem Plutarchus in Sulla, ubi de vltima eius vxore loquitur, ista in voce vitiatus visitur. Μεσσαίδικα γὰρ ἦν θυγάτηρ, Ορτησίκα δὲ τοῦ βήτορος ἀδελφῆ, Ουαλερία δὲ τῆνομα. Quae verba Manutium deceperunt adeo ut in Notis ad Cicer. Epist. ad Qu. Fr. III. tradiderit, Hortensium fuisse M. Messallae Consulis cum Cn. Domitio fratrem vterinum, idque colligi ex Plutarcho in Sulla. At vero legendum istic haud dubie est ἀδελφιδῆ. Certe Consulem illum M. Messallam fuisse sororis Hortensii Oratoris filium diserte scribit Val. Max. V. 9. Potuissent autem, fateor, tam Xiphilinum, quam Dionem ac alios corrupisse isto in vocabulo scribae, sed tamen neque illud a verisimilitudine alienum censeretur,

bet, etiam illius tempore vitium hoc in Dionisiam haesisse codicibus, atque inde ab eo in suam Epitomen propagatum. Nam et multi alii scriptores saepe in eo errarunt, ut *fratres* vel *sorores* dixerint, qui fratrum vel sororum erant filii filiaeve, cuius tam frequentis erroris non alia videtur fuisse causa, quam frequens hoc in Graecorum, quos forte legerant, codicibus vitium. Certe et Seruius ad Aen. VI. 791. eodem errore eandem Atiam Caesaris sororem dicit. Editur vulgo: *Nam Octaviae filius fuit* scil. Augustus, quae erat soror Augusti. Sed rectius Manuscript. Dauentriensis: *Nam Acciae (pro Atiae) sororis Caesaris filius fuit.* Nisi forte ex utraque simul scriptura rectius legatur: *Nam Oct.* (hoc est, Octavius, vel Octavianus) *Atiae* etc. id quod mihi certe verisimile videtur. Vnde autem in hunc tam manifestum errorem dicemus delapsum Honoratum hunc Grammaticum, (nam librarii hic certe extra culpam sunt ponendi) nisi quod incidisse videtur in Graeci scriptoris corruptum exemplar, ubi Atia Caesaris ἀδελφή, male pro ἀδελφιδή, vocabatur. Quod item de Isidoro censeam, quum ille Etymol. IX. 2. *Iasonem Peliae Regis fratrem* dicit, cuius et iste non ἀδελφός, sed ἀδελφιδής erat, Aesonis quippe filius, qui Peliae frater. Similiter Iustinus XXXIV. 3. Demetrium Seleuci filium, Antiochi Magni nepotem, *fratrem* vocat Antiochi Epiphaniis, qui Antiochi M. filius, Seleuci frater, Demetrii patruus erat, ut adeo et eum vel Trogum potius, nisi memoria fefellit, fefellerit haud dubie vitium Graeci codicis in quo itidem pro vocabulo ἀδελφιδής scriptum fuerit ἀδελφός.

Plura isthinc haud dubie orta eiusdem generis ἀμαρτήματα apud veteres mediae aetatis occurrunt, quae

quae omnia recensere longum esset. Aliud ex hoc ipso Iustino XIII. 4. vetustissimum item mendum in nomine Macedonis, cui in diuisione victarum gentium Sufiana fuerit assignata, *Scyni* male appellati pro *Coeno*, hausisse ac descriptisse Orosum III. 23. censuit incomparabilis Scaliger ad Eusebium. Qui etiamsi in designando hoc Coeno errauerit, tamen in nomine isto Macedonis illius quicumque fuerit, apud Iustinum reponendo minime aberrauit vt putabat Berneccerus, aliud potius nomen reponendum existimans. Etenim nihil illo Macedonibus fuit vsitatus, vt iam monuit Magnus Gronouius Obseru. IV. 15. tum apertissima est origo et causa corruptionis τοῦ *Coenus* in *Scynus*. Nam sicuti priores Romani OE fere mutarunt in V dicendo *murus* pro *moerus*, *curare* pro *coerare*, *Punicus* a *Poeno* et similia: sic posteriores in Y. Vnde factum arbitror, quod *Mysia* pene vbique scriptum occurrit pro *Moesia*, non tantum ab antiquis iam librariis, sed et ipsis Grammaticis scholiastis, atque aliis eius fere aetatis Scriptoribus non adtendentibus ista scriptura eam confundi cum Mysia Asiatica. Quamobrem neque *Rymetalces* Thraciae et Bospori Regum nomen in Dione et Capitolino cum Doctissimis Viris reiicere ego ausim, quia scilicet in nummis (addo, et inscriptione Lapidis nuper a Sponio vulgata) Ποιμητάλης vocetur. Nam vtrumque ferri potest, vt vere censuit Casaubonus. Exemplum istius literarum mutationis iam olim factae dabo omni exceptione maius. Inter Sulpitiae gentis cognomina fuit *Peticus* vel *Poeticus*. Id vero Neronis iam tempore, vulgo *Pyticus* fuisse pronunciatum ex Xiphilino clarissimum est. Dicit enim Sulpicium Camerinum et filium eius a Neronis liberto Helio interfectos,

quia

quia Πυθικοί iam inde a maioribus cognominati, non cessarent ea appellatione uti, qua impii essent in Neronis *Pythicas* victorias ἐκ τῆς ὀμωνουσίας, h. e. idem illis victoriis circumferendo nomen. Manifestum hinc, eos tunc vulgo *Pyticos* fuisse iam appellatos, non amplius *Poeticos* vel *Peticos*, ut maiores eorum a quibus id nomen acceperunt, sed cum illa usitata iam tunc inter has vocales in pronunciando mutatione. Recte ergo Πυθικοί ἐκ προγόνων ἐπικαλούμενοι dicuntur. Mansit enim idem nomen licet paulo aliter in vna syllaba tempore προγόνων pro usitata tunc et diuersa a Neronis tempore pronunciandi ratione pronunciatum. Nec opus cum Lipsio ad Tacitum Ann. XIII. legere Ποιτικοί; qua emendatione insuper perit ista illis obiecta ὀμωνουσία. Sed non attendit Vir Eximius ad perpetuum pene vulgi morem longo loquendi usu vocabulorum pronunciationem, maxime in vocalibus, identidem mutantis. Per istam ergo in his vocalibus usitam mutationem factum est ex *Coenus* Macedonico nomine *Cynus*, siue a librariis siue ab ipsis scriptoribus. Cui deinde ex superiore vocabulo *gens* litera S. adhaesit, quamuis et absque ea nomen hoc in Iustini exemplaribus iuntrae inuenisse videantur, quum *Cyno* ediderint. Vnde utrum illud Orosius vitiatum iam, an vero integrum adhuc, et ut a Iustino fuerat scriptum, in suam Historiam transtulerit et idem deinde, quod ille, a librariis fuerit passus, in medio equidem relinquam.

Liquidius et certius dixerim, Flori quendam locum, vitii mihi semper suspectum, tamen, ut editur vulgo, ab ipso etiam fuisse lectum et descriptum. Quum exposuisset Florus I. i. matrimonia, quia Romulo et eius ciuibus initio vrbis conditae

conditae negabantur a finitimis, manu fuisse capta, raptaeque virgines: *Et haec*, subiungit, *statim causa bellorum: Pulsi fugatique Veientes: Caeninensium captum ac dirutum est oppidum. Spolia insuper opima de Rege Feretrio Ioui manibus suis Rex reportavit.* Nisi in his quoque errauerit Florus, ablegandi hinc Veientes, cum quibus longe alia de causa, et diu post bella ex ista causa orta, adscitosque in ciuitatem Sabinos, immo cum quibus omnium *ultimis*, vt diserte Plutarchus, extremo vitae tempore hellauit Romulus. Contra vero Caeninense bellum fuit omnium primum, quod ille gessit, testibus Dionysio, Liuio et aliis. Vt adeo vix ego dubitem, omnia haec de Caeninensibus a Floro concisis, vt solet, diuersisque, sed recto ordine procedentibus sententiis esse prolata. Nempe *pulsi fugatique Caeninenses: Captum ac dirutum est oppidum etc.* Posteriori sententiae ad faciliorem eius intellectum adscripsisse olim videntur solenni tunc more *Caeninensium*. Id deinde cum imperitia scribarum tanquam Flori esset, in textum irrepsisset, causam dedit, quamobrem *Caeninenses* in *Veientes* transierit; non magna sane mutatione, si consideres pro *Caeninenses* saepissime in membranis fuisse exaratum *Cenienses*, id quod Salmasius ad Florum, et Schottus ad Victorem testantur, pro *Veientes* vero *Vehientes*, porro in plerisque, certe non ita valde antiquis codicibus inter *ve* et *ce* coniunctis, vt solet, literis scripta, vix ullam esse differentiam. Certe antiquissima editio, quae exhibet, *pulsi fugatique venientes*, istam mihi coniecturam prima elicit. Mos autem ille Flori constantissimus, vt quos semel nominauit, de iis pergat loqui, sine pronomibus ad eos identidem demonstrandos adhibitis. Hoc ipso in loco

spolia optima, quae de Rege reportasse dicitur Rex Romulus, non intelligimus incertum quemcunque Regem, sed eorundem, quorum oppidum captum ac dirutum significauerat, hoc est, Caeninensium. Ceterum plurimorum ista loquendi ratio glossatum per incitiam librariorum in acutissimo scriptore causam praebuit. Infra III. 5. 18. de Mithridate terrestri proelio iam caeso et fugato: *Nec felicior in mari, quam in terra fuga.* Quibus quidem verbis ego prorsus censeo adsumtum esse ab ineptissimo homine *et fuga.* Nec enim ullam in mari fugam Mithridatis narrat deinceps Florus, sed classem eius tempestate disiectam ac laceratam, non fugatam ab hoste, quem illa ne quidem viderat. Sequitur enim continuo: *Quippe centum amplius nauium classem, apparatuque belli grauem, in Pontico mari aggressa tempestas, tam foeda strage lacerauit, ut naualis belli instar efficeret, plane quasi Lucullus quodam cum fluctibus procellisque commercio debellandum tradidisse ventis videretur.* Nullum in his verbum de fuga Regis maritima, sed de ipsius infelicitate, qui tot nauium classem belli apparatu plenam tempestate amisit. Deinde in terra quamuis bello gerendo infelicissimus sane fuerit, fame primum et pestilentia afflictus tum victus, caesus, ac fugatus, tamen ipsa eius fuga minime infelix dici potuit, quippe quum hostem insequentem sparsis callido strategemate sarcinis moratus feliciter euaserit. Audi quaeso Philippum Macedoniae Regem, conquerentem apud Liu. XXVIII. 8. hostes aduenienti sibi semper fuga ereptos: *vix rationem iniri posse, vtrum ab se audacius, an fugacius ab hostibus geratur bellum: sic ab Opunte Attalum, sic Sulpicium a Chalcide, sic eis ipsis diebus Machanidam e manibus suis elapsam.* Sed non semper Fel-

cem esse Fugam. Feliciter enim fugerant, quia
 euaserant, quod item fecit Mithridates, tanto in
 illa fuga felicior, quo propior metum et pericu-
 lum fuerat. Alienum igitur haud dubie est *et*
 fuga, non Flori, qui ex superioribus repeti et
 intelligi voluit Rex, tam mari quam terra diuersis
 cladibus infelix. Praecesserat enim: *Rex callidus,*
Romanaeque auaritiae peritus spargi a fugientibus
sarcinas et pecuniam iussit, qua (vel forte, quo) se-
quentes moraretur. Inde iam ad cladem in mari per
 tempestates acceptam transiturus ait: *Nec felicior*
in mari, quam in terra, scil. Rex, quippe centum etc.
 Sciolus quispiam, quia in proxime superioribus
 fugam Regis retulerat Auctor, inscitissime in his
 ipsam Regis fugam intelligi censuit adscriptoque
 eo vocabulo sententiam peruertit. Similiter IV. 2. 6.
Quippe si duces eius inspicias, totus senatus in parti-
bis etc. si moram belli, quatuor anni, et pro clade
rerum breue tempus. Si locum et spatium ubi con-
missum est, intra Italiam: inde se in Galliam Hispan-
namque deflexit; reuersumque ab Occasu totis viri-
bis in Epiro Thessaliaque consedit: hinc in Aegyptum
subito transfiliit; inde respexit Asiam; inde Africae
incubuit: postremo in Hispaniam regyrauit et ibi ali-
quando defecit. Primum legerim eiecta copula,
quatuor anni, pro clade rerum breue tempus! per
 Epiphonema Auctori vlitatum. Hoc ipso cap. §. 85.
Ex congestis cadaveribus agger effectus est, quae pi-
lis iaculisque confixa inter se tenebantur. Foedum
etiam inter Barbaros! Et sic alibi. Interim tamen
 ego minime spernam, quod Vir Excellentissimus
 Nicol. Heinsius, coniecit: *sed pro clade etc.* Ergo
 hinc ad alterum insigne prorsus librariorum flagi-
 tium conuertar. Omnino enim sentio furcillis ex-
 pellendum *et* *Vbi*, quod statim sequitur, et ex

margine, vbi e regione locorum, in quibus bellum hoc gestum dicitur, ad ea oculis primo intuitu subiicienda fuit notatum, incredibili pene scribarum oscitantia in textum inuasit. Nec enim Florus vnum illum locum, in quo coeptum est bellum et commissum, inspicere seu considerare nos iussit, sed omnia ista, quae in sequentibus nominat, vel omnem locum, et omne spatium, quod peruasit et comprehendit istud bellum, donec tandem in Hispania defecerit. Putem ego, omnes mihi assenturos, Auctoris esse manum: *si locum et spatium scil. belli inspicias; Commissum est intra Italiam: inde se in Galliam etc. Commissum, est initum, coeptum. supra II. 15. si quis trium temporum momenta (male Pighius in Annalibus an. 603. momenta) consideret, primo commissum bellum, prosligatum secundo, tertio vero confectum est. Quod imitatus Ampelius: Appius Claudius bellum in Siculo freto commisit; Manlius et Regulus in ipsa Africa prosligauerunt, Duilius Consul apud Liparas insulas, Lutatius Catulus apud Aegates consummauerunt. Liu. XXXVI. 6. Commiserat nec a paruis, nec dubiis principiis bellum. Simile his glossema Romuli et Caeninensium historiam primo inquinasse videtur, et postea maiorem corruptionem, illata Veientium pro Caeninensium mentione produxisse. Ceterum quomodo Florum istic locutum volo, eodem plane modo et alii et Liuius saepissime. Sic enim ille lib. I. cap. 11. Fusi igitur primo impetu et clamore hostes: oppidum captum scil. hostium Antemnatium, vt in Floro Caeninensium VIII. 1. Haud magno certamine deuicti hostes: oppidum captum, redditumque Priuernatibus, praesidio valido imposita: agri partes ademptae. Et de ipsis Caeninensibus I. 10. Effuse vastantibus fit obuius Romulus: Exercitum videl.*

videl. illorum fundit, fugatque, fusum persequitur: Regem in proelio obtruncat et spoliat: duce hostium occiso urbem primo impetu capit. Iam si vera nostra emendatio, vetustum sane fuit et illud in Floro mendum, quippe quod etiam Orosius, ut dixi recepisse videtur. Certe is eodem ordine Veientium et Caeninensium meminit, sed tamen post Sabinos, et T. Tatii necem: *Cum Veientibus proelium adhuc paruo nomine, iam magnis viribus agitatum est, Caeninensium captum ac dirutum oppidum.*

Et sane vetustissima prorsus in priscis scriptoribus librariorum errata arguunt et illa loca, quibus ipsi Veteres diuersam vnus vocabuli scripturam in diuersis vel exemplaribus vel Auctoribus se reperisse significant, quae diuersitas quum in vna aut altera haeret litera, omnino videtur primitus a scribarum incuria potissimum profecta. Plinius Nat. Hist. VI. 28. *Regio eorum Adra, et in sinu Laeana, vel, ut alii, Aelana. Nam et ipsum nostri Aelaniticum scripsere, alii Aeleniticum, Artemidorus Aleniticum, Iuba Laeniticum.* Hoc tamen e Dialectorum discrepantiis potuit esse ortum. Et fuerit sane. Verum vnde, prima sua origine, nisi e Scripturae mendo, quod Plutarch. in Vitis X. Rhetorum Dinarchum dicit filium Σωκράτης, ἢ Σωσράτης; quod Dio Cassius lib. LIII. de Sex. Pacuio Tribuno pl. sub Augusto; quem ex Plinio et Macrobio nouimus, ille tamen Ἐλέτος τις Παιώνιος, ὡς δ' ἕτεροι λέγουσιν Ἀπάδιος: quod Treb. Pollio in Gallien. cap. 14. *quidam Ceronius, siue Cecropius dux Dalmatarum,* quod Idem in XXX. Tyrannis mulierem nobilissimam, quae se ipsa Castrorum Matrem appellare non verebatur, *Victoriam siue Vitruuianam,* quater, in ista haesitatione mirifice sibi constans, nominat. Sed nihil clarius hanc in rem Frontini loco strateg. IV. 5. 14. qui

perperam etiam editur. *Caelius Praetor Urbanus* cum ei ius dicenti picus in capite infedisset, et aruspices respondissent, necata aue Populum Rom. fore superiorem, ac Caelium cum familia periturum, auem occidit, vel, vt Pighius ex Manuscripto, non dubitauit auem necare. Nostro ergo exercitu vincente, ipse cum XIV. Caeliis ex eadem familia in proelio est occisus. Hunc quidam non Caelium, sed Laelium fuisse, et Laelios, non Caelios periisse credunt. Primum emendanda et explicanda obiter Historia. Responsum haruspicum quum euentu confirmatum sciret Frontinus, oblitus interim, quo proelio ceciderit Praetor iste cum gentilibus, ita illud accepit, tanquam si, vt fides illi constaret, Populus R. eo ipso proelio, quo familia isthaec maximam partem periit, superior esse debuisset, ideoque Praetorem cum suis in proelio occisum scribit, exercitu Romano vincente. At non ea omnino fuit mens haruspicum, sed rem Romanam successu temporis et belli istius summa ac euentu fore superiorem. Nam Praetor ille *Cannensi proelio*, vt disertè Val. Max. V. 6. 4. cum plerisque suae familiae est occisus: isto autem proelio grauius et infelicius quam vnquam alias, profligatus et concisus fuit exercitus Romanus, sed tamen procedente tempore victor hostem Italia expulit, bello vicit et triumphauit. Porro notat hic Keuchenius in libro Parisiensi, quae antiquissima est editio, inepte legi *L. Elius*, et ortum id a correctore ignaro. Sed hoc notare id ipsum est correctoris vere ignari rerum et Historiarum, et qui ad Auctores illustrandos nulla nititur ope, nisi vnica alicuius Manuscripti licet in plerisque corrupti. Etenim ex Annalibus Pighii, qui item Manuscripto Frontini codice ex quo plurima huius exempli emendatius protulit, est usus,

et

et præfereat antiquis Scriptoribus Valerio Max. et Plinio, quos ille laudat, didicisse potuerat minime reiciendam esse illam verustae editionis scripturam, legendumque *L. Aelius*, et insuper ubique in hoc exemplo pro *Caeliis* reponendum esse *Aeliorum* nomen. Adde illis Varronem de Vita Pop. R. apud Nonium V. Picumnus. *Pedius Paetus* (legendum enim hic, *Aelius Paetus*, ex addito gentis *Aeliae* cognomine certo constat, et ita rescribi etiam voluit doctiss. Mercerus, qui item, ut Pighius Frontinum quoque in isto nomine emendandum iam monuit: male autem Vrsinus in Familiis, et Popma: ad Varronem *P. Aelius* cum ex Frontini et Plinio prænomen *Lucii*, non *Publii* eum habuisse patet) cum esset Praetor Urbanus, et sedens in sella curulius diceret populo, picus Martius adolavit, atque in capite eius adsedit. Istam autem discrepantiam quam memorat Frontinus in Praetoris huius et gentilium eius nomine, immo errorem illorum, qui non *Aelium*, sed *Laelium* vocabant, et *Laelios*, non *Aelios* periisse credebant, certissimum et clarissimum esse arbitror documentum vitiosae etiam in antiquissimis illis exemplaribus, quibus ipsi veteres de rebus ante se gestis et memoriae mandatis in errorem induci potuerint, scripturae. Error enim iste fuit, (nam vere *Aelius* erat Praetor ille consensu Varronis, Valerii, Plinii et Frontini, nec tam antiquis temporibus frequens adeo fuisse videtur, certe non ita frequens occurrit gens *Laelia*) nec aliunde is ortus, quam a socordia librariorum, qui pro *L. Aelius* scripserunt olim *Laelius*, ut non ego solus, sed vna cum Pighio existimo. Nihil enim vulgarius in Manuscriptis, quam praenomina, vnica ut plurimum notata littera, cum sequenti nomine, maximè si a vocali inciperet, stabat.

coaluisse culpa non modo scribarum, sed saepe etiam lectorum. Ita in Plinii Nat. Hist. etiamnum *Catinium* legimus pro *C. Atinio*, *Caesium*, et *Caecilius* in Gellio et Macrobio pro *C. Acilio*, *Metellum* in Floro pro *M. Ateio*. Ita *Agellium* fecerunt ipsi eruditi ex *A. Gellio*, *Tampium* ex denariis *T. Ampii*: *Atilium Cimbrum* Tristanus ex *A. Tilio Cimbro*. Immo hoc ipsum *Laelii* nomen in Gellio aliquoties (vide I. 18. III. 3. et alibi) corrupte legebatur pro eo quod nuper reposuit vir doctissimus, *L. Aelius*. Intelligitur enim a Gellio *L. Aelius* stilo Praeconinus. Similiter turbatum in nomine vnus e XXX. Tyrannis tempore Imp. Gallieni, quem Eutropius et alii *LOLLIANVM*, vocant, at Eutropii *Meraphraestēs* *Paeanius* *L. AILIANVM*. Casaubonus ergo ad *Treb. Pollionem*, et *Rupertus* in *Hist. vniuers.* illud ex Eutropii codice in quo ita existerit a *Paeanio* haustum videntur sentire. Quamuis vtrum diuersi fuerint *L. Aelianus*, *Lollianus*que an vnus idemque, incertum vt sit, faciant nummi.

Neque vero sola scribarum incuria vitata olim fuerunt exemplaria, sed non raro etiam imperitorum hominum inscitia et audacia, qui quae non intelligebant, adulterare nihil verebantur. Vnde *Quintil. Instit. Orat. lib. IX.* notanda sibi quaedam et obseruanda duxit, quae in veteribus libris reperta imperiti, vt ait, mutare solent, et dum librariorum inscitiam insectari volunt, suam confitentur, et paulo post etiam *Liuium* praefationis suae initium aliter edidisse, quam quomodo emendetur tradit. Ita *Gellius Noct. Att. IX. 14.* *Munera laetitiamque Dei* apud *Virgilium* pro *Dii*, hoc est, diei, legere imperitiores ab insolentia vocis istius abhorrentes scribit. Immo ipso adhuc adolescentulo ab istis hominibus quodam

quodam in loco corrupta iam fuisse pleraque Sallustii exemplaria, ille a Sulpitio Apollinari, nos ex illius lib. XX. cap. 6. discimus. Nam ita apud eum Sulpicius: *Importunissime fecerunt, qui in plebisque Sallustii exemplaribus scripturam istam sincerissimam corruerunt. Nam quum ita in Catilina scriptum esset, saepe maiores vestrum miseriti plebis Romanae, vestrum obleuerunt, et vestri superscripserunt, ex quo in plures libros mendae istius indoles manauit.* Locus is est apud Sallust. in Catil. cap. 33. vbi illustri cognoscimus exemplo, quam non fidelis sit semper consensus etiam optimorum, qui nunc supersunt, codicum. Nam non solum veteres edd. sed et praestantissimae quaeque Membranae, non *Vestrum*, quod Gellius et Sulpicius genuinum esse affirmant, neque etiam *vestri*, quod illorum tempore multos iam libros occupauerat, sed longius adhuc a genuino recedentes, *nostrum* exhibent, idque, quod iure mireris, spreto Gellii fide, et qui eum sequebatur, Aldi exemplo, edunt et probant Doctissimi interpretes Ciaccorius, Ursinus et Gruterus. Hic enumeratis codd. qui vulgatum tueantur, valere iubet *non vestrum*, idque locum in his commode habere posse negat. Scilicet quia, quod illi dicunt, verba haec sunt et mandata ciuium Romanorum ad Q. Marcium Imperatorem Romanum. Sed profecto recipiendum erat alterutrum certe illorum, quae Gellii tempore, longissime utique omnium nostrorum codicum aetatem post se relinquente, sola hoc loco in exemplaribus Sallustii occurrebant itidem vt in Iug. 93. vbi eidem Gellio et Nonio Marc. veram lectionem omnium consensu debemus, quamuis ab ea illic quoque immane quantum abeant, membranae, quotquot nunc sunt, etiam vetustif-

simae. Ratio autem, qua illi hic nituntur, ea vana est, et nihili prorsus. In Rep. enim Romana populus, vel plebs maxime et Senatus distingui et opponi inter se solent, ideoque sicuti quando qui ex Senatu erant, cum populo agerent, ita, qui ex plebe, si ad Senatum verba facerent, illis secundae personae locutionibus inter se utebantur. Hi vero a C. Manlio ad Q. Marcium missi plebei erant, et proxime quidem Marcium alloquebantur, sed tamen simul quasi totum cum eo Senatum. Vnde mox: *Te atque Senatum obtestamur, consulatis miseris civibus.* Recte ergo etiam hic: *Saepe maiores vestrum* (scil. Senatorum) *miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae eius opitulati sunt.* Atque ita plane apud Liviū XXII. 59. legati captorum ab Hannibale civium Romanorum ad Senatum Romanum: *Maiores* (hoc pertinebat ad omnem communiter civitatem) *quoque acceperamus se a Gallis auro redemisse, et patres Vestros* (hoc proprie ad Senatum) *asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen, captiuorum redimendorum gratia, Tarentum misisse.* Sicuti hi coram Senatu de re olim a Senatu gesta et administrata dixerunt *Patres Vestros*, nec aliter potuerunt: ita et Manliani isti, homines non Senatorii, sed plebei ordinis in oratione ad Senatorem non potuerunt recte dicere: *majores nostri decretis suis inopiae plebis opitulati sunt*, sed debuerunt omnino, *majores vestrum* vel *vestri*: nam a Senatu utique separatim a plebe haec in plebem decreta erant olim profecta. Ut adeo longe importunius atque imperitius fecerint recentiores illi emendatores, qui corruptae iam ab antiquis lectioni, *Vestri*, substituerunt multo corruptiorem *nostri*, et optime his conveniat titulus *falsorum et audacium emendatorum*,

ram, immo hominum nequam et nibili quem antiquis quibusdam tribuit Gellius II. 14.

Sed tamen tam ex recentioribus quam ex antiquis vix quisquam alius falsior, et audacior quam ille, qui olim ipsum pene Gellium ad haesitationem adegit, et de quo singulari capite agit lib. VI. c. 4. Refert ibi, quum forte vna cum Iulio Paulo apud figillaria in libraria taberna confedisset, expositos vidisse *Fabii Annales*, *bonae atque sinceræ vetustatis libros*, quos venditor sine mendis, quibus ceteroquin inquinatos vulgo etiam tunc fuisse libros, hinc quoque recte colligas, esse contendebat. *Grammaticum autem*, et quidem *quempiam de NOBILIORIBVS*, atque eundem ab emtore ad spectandos libros adhibitum, dixisse unum se in libro reperisse mendum, et ostendisse ita scriptum in libro quarto: *Quapropter tum primum ex plebe alter Consul factus est, duo et vicesimo anno, postquam Romanam Galli ceperunt.* Hic vero Grammaticus, non, inquit, *duoeticesimo, sed duodevicesimo scribi oportuit. Quid enim est duoeticesimo?* Turpe profecto Grammatico istius praesertim temporis tam confidenter sollicitasse sinceram vetustissimi libri scripturam. Turpius tam imperite pronunciasse contra analogiam et usum Linguae Latinae, immo ipsius Historiae Romanae veritatem. Nec decorum satis Gellio, post tam accurate et ex professo relatam adeo infulsam et audacem istius, licet de nobilioribus Grammaticis emendationem, nihil tamen aliud subiecisse, nisi *alio quoque loco ita Fabium scripsisse. Nempe, Mortuus est anno duoeticesimo; Rex fuit annos viginti et unum.* Hoc enim exemplum subiunxit Gellius haud dudie ad refutandam Grammatici istius opinionem, ut omnino putem excidisse aduersariam, quam vocant, particulam, legendum-

gendumque, *at alio quoque loco hic ita scripsit.* Certe excusari nequit Sigonius, qui ad Fastos anno 387. *duoetvicefimo* in verbis Fabii, ipsum Gellium interpretari *duodevicefimo*, loco, vt apparet, non diligenter inspecto, adfirmat. Ceterum ipsum illud *duodevicefimus* Grammaticum, si quis in illo fuisset sensus, cohibere poruisset ac debuisset ab in-scita illa emendatione. Etenim qui perspicit quid sit, et qua ratione dicatur *duodeuiginti*, et *duodevicefimus*, eum fane non oportet quaerere, quid sit *duoetviginti* et *duoetvicefimus*, cum vtrorumque eadem profus sit analogia, et in vtrisque τὸ duo sine vlla flexione cum omnibus componatur casibus. Vnde Sulpic. Seu. lib. 1. *duoque de viginti anni sub eorum imperio fuerunt*, eadem locutione qua lib. II. Darium Ochum et Antiochum Soterem *vnum de viginti annos regnasse* ait. Proculus Ictus, *vt alter ex millesima parte, alter ex duo* (pro duobus) *millesimis partibus socius esset.* Sic ergo etiam *duo et viginti* et similia recte fuerunt dicta in omni casu. Cicero in Verr. II. 9. *Horum pater abhinc duo et viginti annis est mortuus*, vt recte ibi Gruterus ex Manuscriptis et olim cufis. Liu. XXIX. 21. *Ad duo et triginta homines*, vt ibi ex optimo Puteaneo Gronouius. Quia vero haec saepissime ita coniungerentur, et ideo coniunctim, quasi vnum esset vocabulum, pronunciarentur, eo factum, vt hinc formaretur vno vocabulo *duoetvicefimus*, eodem vtique iure, quo *duodevicefimus*, et eodem plane modo, quo apud Graecos ex similibus, veluti ex τεσσαρεσκαίδεκα fit vna voce τεσσαρεσκαίδεκατος Ezrae 1. 1. in Apocryphis et alibi alia. Quin immo quae tandem differentia est inter *duoetvicefimus* ac *duodecimus* nisi quod hic copula omititur, istic exprimitur, quod promiscue in compos-

-mibus
fitis

fitis his numerandi vocabulis fieri nemo est, qui ignoret. Atque hinc Nonius multo hac parte eruditior isto emendatore *duoeticesimo*, ita ut *duodecimo*, dici allatis exemplis, ut mox videbimus, docuit. Et sic *duoeticesima legio* apud Tacitum aliquoties occurrit, immo hinc denuo et longius deductum *duoeticesimani* de militibus istius legionis: Histor. libro III. c. 22. *sextadecimanos, duoeticesimanosque laeuum cornu compleffe*. Haec Taciti loca Auf. Popma ad Fabii Annales in collectis a se fragmentis Historicorum veterum primus attulit, et ex eo nuper repetiit Ioh. Vorstius de Latinitate falso susp. cap. 12. ad probandum τὸ *duoeticesimus* et similia. Subiungit tamen, quod valde miror: *Nos propter iudicium veteris illius Grammatici*, de quo Gellius, *ἐπέχομεν*, neque temere hic aliquid *definimus*. Nam illius iudicio quam parum hac in re sit tribuendum, satis superque declarat vel sola ista Taciti, non deprimenda profecto infra hunc Grammaticum, auctoritas, sed et praeter eam Fabii illa *alio quoque loco ita scribentis*, apud Gellium, et Catonis apud Nonium, tum magis etiam ipsa vocabuli analogia, modo ex similibus abunde a me probata. Sed omnium maxime scioli istius (quidni enim ita eum appellem?) iudicium vel crisin conuellit. Historiae veteris auctoritas, in quam ille grauissime et imperitissime incurrit, dum contra omnem Annalium fidem quatuor annos ex eo intervallo eiicit, cui plerique vna cum Fastis Capitolinis vnum insuper addunt, immo duos, ut sentiunt Auf. Popma, et Anton. Riccobonus. Verum hi quidem errant, dum putant Fabium loqui de anno quo primus e plebe Consul fuit, et Consulatum gessit, quam ille loquatur de praecedente anno, quo primum e plebe Consul factus et designatus est, ut solet,

let,

illet, in sequentem annum. Iste vero ex quorundam
 et Fabii sententia erat post annum captae et libera-
 tae iterum Urbis vicesimus secundus, neutiquam de-
 cimus octauus, at plerorumque aliorum vicesimus
 tertius. Plutarchus cum Polyaeo Camilli quintum
 iam Dictatoris felicissimam contra Gallos pugnam
 accidisse scribit tredecim annis postquam Roma fuit
 capta, ἔτεσιν ὕπερβον τρισκαίδεκα τῆς Ρώμης ἀλώσεως.
 Accidit autem eo ipso anno, quo primum plebeio-
 rum in Consularibus comitiis habita est ratio. Ut
 adeo cum Xylandro reponendum videatur τρεῖς καὶ
 ἑκατοῖσι: nisi quis malit etiam hic statuere, ipsos Au-
 ctiores peccasse incuria quadam, temere exprimen-
 tes vitiatas numerorum notas, quas in Latino forte
 codice repererant. Quod tamen non purem, et
 malim ego agnoscere in utroque culpam librario-
 rum, qui ex κα fecerint γ, et inde τρισκαίδεκα. Et
 sic etiam illi Fabiano annorum numero vnum adie-
 cerint; Liusius vero a se ipso diuersus utrumque
 tuetur, vulgarem XXIII, et Fabianum XXII anno-
 rum, quod a Viris doctissimis non animaduersum,
 quia ad varias adegit eos haesitationes, peruersas
 Auctoris interpretationes, falsasque accusationes,
 itanto diligentius a nobis hic exponi et explicari
 meretur. M. Furium Camillum mortuum scribit
 lib. VII. c. 11. Coss. L. Genucio, Q. Seruilio, qui fue-
 runt proximo post primum e plebe Consulem anno.
 Atque ibi porro, *restitutus, inquit, in patriam,*
secum patriam ipsam restituit. Par deinde per quin-
que et viginti annos (tot enim postea vixit) titulo tan-
tae gloriae fuit. Ergo ista ratione primus e plebe
 Consul fuit anno XXIV. post captam et restitutam
 Urbem, designatus est anno vigesimo tertio, ut vo-
 lunt Fasti Capitolini et plerique alii. Sed quanta-
 cunque diligentia Lium verbes, voluas et reuolt-
 uas,

uas, non erues tamen ex eius Historia plus quam
 XXII. annos inter illud Urbis fatum, et annum pri-
 mi plebei Consulis. Et ut in explendo XXIII. an-
 norum numero illo in interuallo in diuersa abeunt
 Viri Eruditi, ita omnes incassum laborant, et ita ut
 ab ipso Lúio conatus eorum abunde refutentur.
 Sigonius in Chronologia sua Liuiana statim post ex-
 pulsos Roma Gallos, integrum annum sine Consuli-
 bus, aut Tribunis Consulari potestate immittit, eo-
 que toto Camillum Dictaturam ex superiori anno re-
 tinuisse ex vnius Liuii sententia, comminiscitur. Ei
 Glareanus, quamuis primo aliter sensisset, certe alio
 anno numerum expleri voluisset, assensisse tamen
 postea videtur. Contra Marlianus minime com-
 mentitium istum annum Fastis Romanis inserendum
 censet; cui se iterum magna contentione opposuit
 Pighius ad Ann. 364. Sed vehementer errant, qui
 ita sentiunt, viri summi, decepti vno male intel-
 lecto, certe non satis considerato Liuii loco. Ni-
 tuntur eo, quod ait ille lib. VI. c. 1. Romanos Ca-
 millum abdicare se Dictatura nisi anno circumacto
 non esse passos. Inde illi insititium hunc cudunt
 annum, quamuis nihil ex istis verbis, si maxime in
 suam rem et aliter quam oportebat, ea interpreten-
 tur, elicere queant, nisi Camillum tunc Dictatorem
 iterum, integro anno, seu XII. mensibus Dictatu-
 ram illam gessisse, non deposuisse eam nisi circum-
 acto integri anni spatio, ex quo eam sumserat.
 Quamobrem cum ille eam inierit anno urbis captæ
 et quidem eius anni initio, neuiquam ista Camilli
 Dictatura alterum excogitatum a se annum implere
 aut solo isto loco, utcunque exposito, probare
 queunt. Vidit id Pighius, et propterea circa Kal-
 Febr. anni istius, anno integro Dictaturæ tunc
 iam circumacto, Camillum eam deposuisse sentit,
 et

et porro reliquum anni ad Interreges deuolutum, non animaduertens, comitia Tribunorum militarium in proximum annum, sed qui exemplo Magistratum inirent, quia scilicet annus iste iam circumactus erat, seu ad exitum iam decurrerat, a secundo statim Interrege ibidem a Liuius dici habita, h. e. post quintum, intra decimum interregni initium, quoniam singuli Interreges quinque tantum diebus Reip. praeerant, ut ex ipso Liuius, Asconio et aliis constat. Ex quo manifestum ante novos hos proximi anni Tribunos, non multos fuisse Interreges, qui reliquum superioris anni a Kalendis Februariis expleuerint, sed duos tantum, nec ultra decem dies. Aliud longe voluit Liuius, quando Camillum non nisi anno circumacto Dictatura se abdicasse scribit. Etenim mos erat Romanorum, ut Dictator non diutius semestri spatio Magistratum hunc obtineret, eoque finito statim se abdicaret quocumque anni tempore, saepe etiam multo citius, simulac perfecisset, rem, cuius gerendae causa erat creatus. Hinc multi paucissimorum dierum Dictatores in historiis P. R. occurrunt, inque iis nobilis ille Dictator ab aratro. Hos sequi cum vellet Camillus patrii moris et legum, si quisquam, obseruantissimus, victisque iam penitus, et occisione occisis Gallis statim post triumphum Dictatura se abdicare, (vide lib. V. c. 49.) *Senatu obsecrante, ne remp. in incerto relinqueret statu*, eam retinere debuit, nec etiam postea, nisi anno illo, quo eam inierat, quoque Vrbs fuerat capta, et in quo exponendo tunc adhuc versabatur Liuius, plene circumacto, deponere potuit. Sed vel maxime exploditur Eruditissimorum hominum opinio eius ipsius loci, quo vtuntur, proxime sequentibus verbis. Postquam enim dixerat non esse passos Camillum se abdicare Dictatura, nisi anno circumacto,

cumacto, subiungit statim, vt manifestum, quis et qualis intelligatur annus: *Comitia in insequentem annum tribunos habere, quorum in Magistratu capta Vrbs esset, non placuit. Res ad interregnum rediit.* Et ita tunc *Q. Fabio*, qui praecipuus erat istorum Tribunorum, *simul primum Magistratu abiit, ab Tribuno pl. dicta dies est, quod legatus in Gallos, ad quos missus erat Orator, contra ius gentium pugnasset.* Tum interregno iam inito secundus ex more Interrex novos Tribunos militum Consulari potestate creat, qui *extemplo Magistratum inierunt.* Quis hinc non perspiciat, novos hos Tribunos fuisse proximo statim anno post illum, quo Vrbs capta, et a Camillo Dictatore restituta fuerat, illorumque, quorum in Magistratu vrbs capta, Tribunatum, quandoquidem ii comitia creandorum insequentis anni Tribunorum habere debuissent, si placuisset Senatui. Quod quia non placuit, comitia sunt dilata ad exitum anni, quo circumacto, illis Magistratu iam abeuntibus Interreges proditi sunt, non ad supplendum reliquum ex Camilli dictaturae anno, vt volebat Pighius, sed ad habenda comitia, quae priores Tribuni habere debuerant, atque ideo iis a secundo, vt solebat, Interrege habitis noui Tribuni creati sunt; qui *extemplo*, secus quam fieri solebat, Magistratum inierunt. Et idcirco etiam *Q. Fabius* non ante illud tempus, quo res ad breue hoc interregnum comitiorum causa redierat, Magistratu abiisse, et tum demum confestim a Tribuno pl. accusatus fuisse legitur. Quod si inter novos hos Tribunos, et superiores illos, quorum in Magistratu capta Vrbs, immittendus ex Liuii sententia est annus, quomodo ferri potest, quod idem dicit, ideo rem ad interregnum hoc rediisse, quod non placuerit Senatui per infelices illos Tribunos haberi comi-

tia ad creandos' novos hos in insequentem annum, quandoquidem ea neutiquam vlla ratione haberi potuissent vel debuissent ab illis, qui anno ante Magistratu iam abierant; sed a proximi seu immissi istius anni Magistratu, nempe Dictatore Camillo, quem illi sine Consulibus aut Tribunis Consularibus eo anno Vrbi praefuisse volunt. Praeterea quum Liuius omnes iam insequentis huius anni res gestas, tria contra Volscos, Aequos, Etruscos bella profligata, ac nouum Camilli tertium tunc Dictatoris triumphum exposuisset, extrema prorsus istius anni, proxime antequam sequentis iterum anni Tribunus mil. refert, his verbis claudit cap. 4. *Intraque annum noua Vrbs stetit* scil. nouis aedificiis. Fuit is haud dubie primus et proximus annus post captam *Vrbem*. At si vera esset Sigonii, Glareani, et Pighii sententia, secundus ille ipsi Liuius fuisset. Obseruauit hunc locum etiam Marlianus, ideoque Pighius eludere est conatus, sed vano prorsus commento, et quidem duplici, quia simplicem veritatem admittere nolebat. Tempus enim, a quo intra annum noua Vrbs steterit, censet primo reuocari posse ex quo Veis reuocati sint Scto ciues, qui eo se contulerant pigritia aedificandi in diruta Vrbe Roma. At vero illud accidit copte hoc anno post modo memorata bella, atque ita demum intra triennium post restitutam Vrbe, redintegrata ea nouis aedificiis fuisset. Quod in illo rudi, ac ab omni fastu alieno populo, festinante praeterea ad effectum operis, ne sub dio cum vxoribus et liberis morari cogeretur, vrgentibus denique Magistratibus, et ex re publica impensas adiuuantibus minime est verisimile. Et quit egissent superiore anno, quem Pighius interponi vult, praesertim a bellis vacuum? Sed adeo vanum hoc est, vt ipse postea fateatur credere se,

Liuii

Liuii verba referenda potissimum esse ad tempus, quo Vrbs communi studio aedificari iterum coepta, nempe ex quo lex de relinquenda ea, et habitandis Veiis a Dictatore Camillo sublata fuit; quod verissimum est. Ea enim lege antiquata promiscue statim Vrbs denuo aedificata, tegula eam in rem publice praebita, saxi materiaeque caedendae; vnde quisque vellet, ius factum, sed praedibus acceptis, *eo anno*, quo aedificare coeperant, aedificia perfecturos. Vide Lib. V. c. 55. Sed negat heic Pighius anno Vrbs captae eam legem antiquatam, vt ita, ea re in alterum seu infiticism illum annum collata, et inde deinceps initio exaedificandae denuo Vrbs ducto, recte secundum eius sententiam hic dixisse potuerit Liuius, *intra annum* ab eo tempore stetisse nouam Urbem. In quibus grauissime errat. Annus enim captae Vrbs licet pro diuersa supputatione Auctorum incertus, tamen ex Liuiana fuit omnium consensu trecentesimus sexagesimus quintus. Eum ipsum vero tunc agi, quum legem istam dissuasit, et vt antiquaretur perfecit, Camillus in longa illa oratione, qua eam in rem est vsus, diserte dicit apud Liu. V. 54. *Trecentesimus sexagesimus quintus annus Vrbs, Quirites, agitur.* Qui locus insuper explodit omnem Doctorem de his annis opinionem, quoniam Camillum hunc annum adhuc commemorantem inducit Liuius, postquam Dictaturam, qua abdicare se volebat, retinuisse illum obsecrante Senatu scripserat; ex quo patet, quem annum intellexerit, quando postea eum non *nisi anno circumacto* dictaturam deposuisse dicit. Sed neque quisquam alius veterum commenticii istius anni, qui Camillum Dictatorem solummodo habuerit, meminit, cum ceteroqui diligenter annotare soleant, vt temporum series pateat, si quis annus sub extraordina-

rio Magistratu fuerit exactus. Nam quod Plutarchum adferunt Sigonius et praecipue Pighius, nihil aliud ille dicit, quam Liuius: Tantummodo Camillum quia noluit Senatus eum *εἰς τὸς ἐνιαυτῶς, intra annum*, nondum circumacto anno, deponere Dictaturam, plus semestri spatio eam retinuisse. Quod vere dici potuit, etiamsi ille Dictatura sua annum captae Urbis, quae ipso anni initio paulo post creatos Tribunos militares (V. Liu. V. c. 36. 37.) capta est, non excesserit. Capitolinam vero suppurationem quum pro se allegat Sigonius, id equidem vehementer miror, quandoquidem eius suppurationis ratio nequaquam illum annum admittat, et ideo etiam ipse Sigonius in sua Capitolinorum Faetorum ordinatione eum prorsus omitrat. Frustra ergo et infeliciter sane, vt cuilibet patere iam arbitror, vtuntur hoc anno ad supplendum in Historia Liuiana XXIII. annorum numerum. Eoque reiecto obtinuisse me iam censeo, quod initio proponebam. Nam neque in sequentibus desideratum hunc annum inuentum iri, vel id ipsum indicio esse potest, quod viri doctissimi non alium commodiorem illi locum assignare potuerint in Chronologia Liuiana, quam hunc alienissimum, inque eam sententiam, quasi omnium verisimillimam, relicta sua, concesserit etiam ipse Sigonii aduersarius, Henr. Glareanus. Omnia deinceps plana sunt vsque ad extremos huius interualli decem annos, quibus C. Licinius et L. Sextius Tribunatum pl. continuarunt. His vero in annis quia Resp. per eorum leges et molitiones adeo fuit perturbata et confusa, vt omnis, quae inter Veteres de controuerso hoc anno est discrepantia, istuc potissimum haereat, et quia apud Liuium quoque obscuritate aliqua est inuolutum, vbi horum X. annorum

rum

rum initium locauerit, inque iis non nihil etiam turbant viri docti, eos quoque diligenter hic excutiemus. Negari nequit, ex Liuii lib. VI. proximos ante Anarchiam Tribunos mil. iam fuisse, vel saltem Consularem potestatem ac Magistratum iam iniisse, antequam C. Licinius et L. Sextius Tribuni pl. crearentur, satis tamen constat, hunc annum ab eo ipso haberi primum eorum, quibus illi plebeium Tribunatum gesserunt: quo probato constabit et illud, nullam omnino Liuium in Historia sua habuisse rationem anni vigesimi tertii, quem plerique Veterum huic spatio adiiciunt, et ipse postea alia occasione in summa annorum conficienda exprimit. Magistratum certe iam inierat Ser. Sulpicius, qui inter proximi ante Anarchiam anni Tribunus mil. fuit, quum in eius aedibus vxoris eius soror virgae licitoriae subito expauesceret insuetum auribus suis sonum, quippe homini plebeio, C. Licinio nupta, eaque res, quum soror a sorore propterea esset irrita, et exagitata tanquam impari et inhonorato Viro iuncta, occasionem demum et causam dederat, C. Licinio Tribunatum pl. petendi, inque eo res novas moliendi. Verum accidisse illa debuerunt initio statim anni, antequam Tribunorum pl. habita essent comitia. Et quo minus tunc acciderint, nihil prorsus obstat. Nam dies, quo Magistratum inire solebant *οι επρωνομοι Αρχοντες*, siue Consules, siue Consulares Tribuni, incertus plane et inconstans fuit, ante annum V. C. 531. ex quo solennes ei rei fuerunt Idus Martiae, vt ab anno 600 Kalendae Ianuariae. Tunc vero iniisse reor vel Kalendis Octobribus, qui dies et olim huic rei status erat, et propter cladem ad Veios acceptam an. 352. repetitus Liu. V. 9. vel forte Idibus Quinctilibus, qui certe anno

Urbis captae obseruatus videtur. Plebeii autem Tribuni Idibus Decembribus semper Magistratum occeperunt, si fides Dionysio Halicarnassensi. Interiecto igitur tempore ab Octobris vel Quintilis initio ad Idus Decembres C. Licinii vxor a sorore irritari, ille ab vxore stimulatus, consilia cum aliis contra patricios et ad plebeios quoque in summis honoribus locandos inire, Tribunatumque pl. ad ea perficienda petere ac obtinere facile potuit. Quo iam facto promulgauit vna cum L. Sextio leges patriciis maxime aduersas, quas inter fuit, ne deinceps Tribunorum consularium comitia fierent, sed Consulum, et horum vtique alter ex plebe crearetur. Aduersus has leges cum patricii subornassent quosdam ex ipsis Licinii et Sextii Collegis, qui, tribubus ad suffragium vocatis, rogationibus istis intercederent, atque ita concilio plebis saepe iam frustra aduocato, non intermittentibus intercessionem suam Collegis, eae pro antiquatis haberentur, Licinius Sextiusque, vt huic incommodo occurrerent, intercesserunt et ipsi Comitibus curulium Magistratum in insequentem annum, neque vlla comitia praeter Aedilium et Tribunorum pl. passi sunt haberi, atque ita ipsi refecti quotannis, Urbem hoc modo per quinquennium in Anarchia, sine vlllo curuli magistratu tenuerunt. V. Liu. VI. c. 35. Fuerunt ergo proximo ante Anarchiam anno, quo haec omnia gesta, leges promulgatae, et post trinundini tempus elapsum, tribubus ad suffragium vocatis rogatae, sed intercessione Collegarum identidem elusae, fuerunt, inquam, omnino C. Licinius, et L. Sextius ex Liuii sententia eo anno primum Tribuni pl. et vltimo Anarchiae, cui Liuius quinque annos tribuit sextum. De quo ne vlllo modo dubitetur, ipse Liuius, quum post Anarchiam

chiam illam quinque annorum Tribuni militares iterum esse coepissent interque eos secundo anno Licinii socer M. Fabius Ambustus, istius anni initio Licinium et Sextium *octauum tribunos pl. resectos* scribit cap. 36. sic tunc octauum, necessario fuerunt primum Tribuni proximo ante Anarchiam anno. Porro locus iste prorsus e Liuii historiis eliminat, XX. tertium illum annum, de quo agitur. Nam si eius habita esset ratio, deberent tres etiamnum superesse, vt supersunt in Fastis Capitolinis, ante primi e plebe Consulis annum. At verum quum Licinius Sextiusque decem continuos annos, vsque dum ipse Sextius omnium primus e plebe Consul fieret, Tribunatum tenuerint, si horum decem annorum primus fuit proximus ante Anarchiam, octauus vero iste quo Fabius Tribunus erat militum, non possunt nunc superesse apud Liuium, nisi duo soli anni ante primi plebei Consulatam. Id quod et ex seqq. est manifestum. Nam de duobus proximis, quos Fasti Capitolini huic Fabiani Tribunatus anno subiungunt, Liuius clarissime vnum facit, neque agnoscit singularem, et separatim a priore, alterum illum, quo nullis Tribunis militaribus Dictatores Camillus prius, et dein Manlius Remp. tenuerint. Quippe prioris anni, in quem Fasti Capit. Tribunos militum solos sine Dictatoribus conferunt, ille ipso *statim principio*, quum Tribuni pl. acrius legibus perferendis incumbere, nec amplius intercessio Collegarum obstaret, Patres trepidos ad vltimum auxilium decurrisse ait cap. 38. Dictatoremque dixisse Camillum; ei deinde post graue cum plebeiis certamen, re tamen neutro inclinata, se abdicanti, quia vitio creatus erat, vt censet potissimum Liuius, suffectum fuisse extemplo P. Manlium, qui rem in

causam plebis aliquantum inclinauerit, Magistro Equitum de plebe assumto. Post haec omnia iam exposita, refert cap. 39. Licinium Sextiumque simulantes nolle sibi *continuari* amplius Tribunatum, questos tunc esse apud plebem, *se iam Nonum Annum velut in acie aduersus optimates stare: primo intercessione Collegarum in leges suas pugnatum esse, deinde ablegatione iuuentutis ad bellum, postremo Dictatorium fulmen in se intentatum. Iam nec Collegas, nec bellum, nec Dictatorem obflare: seipsam plebem et commoda morari sua.* Cum tam ex rerum serie, quam ex his ipsis verbis pateat, ea dici exitu anni istius et post intentatum iam Dictatorium fulmen, debuissent illi utique, siquidem ex Liuii quoque sententia Dictatores hi separatim absque Tribunis militaribus, singulari anno, et quidem secundo, postquam M. Fabius Tribunus mil. fuit, Reip. praefuissent, decimum iam annum tunc in illa acie stare. Nam non interrupta annorum serie, sed perpetua Tribunatum pl. ex quo semel ceperunt continuasse certum est tum ex hac ipsa locutione *Nonum se iam annum stare*, tum ex eo quod Appius illis respondens sequenti oratione, *perpetuam illis potestatem* identidem obiicit, et *L. illum Sextium*, ait cap. 40. *et C. Licinium, perpetuos, si Diis placet, Tribunos tantum licentiae Nouem Annis, quibus regnant, sumfisse, ut etc.* Cum ergo hi Tribuni pl. *octauum* fuisse dicantur eius anni initio, quo Licinii socer Fabius Tribunus erat militum, *nonum* autem eius anni, quo Dictatores fuerunt Camillus et Manlius, extremo, quum iam comitia Tribunorum pl. haberentur, in vltimum annum ante primum a plebeio gestum Consulatum; eoque vltimo anno, quo vltimi fuerunt in Rep. Tribuni militares Consulari potesta-

potestate, quo Camillus, Dictator denuo dictus, Gallos ad Albam vicit, quo denique Licinius Sextiusque victo per ingentia certamina Senatu perfecerunt, vt leges suae tandem acciperentur, Consulumque comitia iterum haberentur, quibus in insequentem annum primus de plebe Consul factus est ipse C. Sextius, eo ergo anno *refecti decimum iidem Tribuni* dicantur cap. 42. ante creatos Tribunos militares istius anni, haud dubie quod eorum comitia propter seditiones et intercessiones, quae Urbem paulo ante per quinque annos in Anarchia tenuerant, fuerint aliquanto ferius habita, quod saepius tunc per eam causam accidisse credibile est. Cum haec omnia ita ab ipso Livio tradantur, nemo non videt, eum quoque annum quem Fasti Capitol. hic interponunt, Dictatoribus separatim assignatum, et quo XXIII. annorum numerum in hoc interuallo explent, a Livio prorsus omitti, Dictatoribus in annum superiorem Tribunorum militarium vna cum iis, relatis. Haec paulo fusius disputare debui, vt liquido ostenderem ex Liuii Historia XXIII. annos erui non posse, atque adeo, occasione se vltro offerente, etiam hoc tam illustri documento constaret, eum sui aliquando oblitum a se ipso in contraria abire, dum ex diuersis antiquiorum Annalibus suas ab Vrbe condita Historias conscribere debuit. Qua de re luculentius et magis ex professo supra cap. VIII. egi, immo huic simile prorsus exemplum, quo in his sententiam meam vehementer confirmari puto, de C. Maenio Dictatore, quem idem Liuius quum quarto tantum anno ante, Dictatorem commemorasset, postea tamen decimo anno ante, quae erat nonnullorum sententia, Dictatorem fuisse dicit, praecunte ipso Pighio, retuli. Quo magis miror eum hanc

ex Liuiο discrepantiam tanto studio vna cum eruditissimo Sigonio, expleto annorum numero tollere laborasse, quanquam vanissimo mehercules, et irritο prorsus conatu. Nam nihilo magis heic, quam istic in concordiam secum redigi ille potest. Etenim exploso primo illo post Urbem captam anno, quo Camillum Dictaturam continuasse volebant Sigonius et Pighius, inter annum Urbis captae, et proximum ante Anarchiam, Liuii, omniumque veterum consensu XII. intercessisse annos certum est. Inde porro initium apud Liuium capere decem illos continuati in Licinio Sextioque Tribunatus, vsque ad creatum iam e plebe primum Consulem, cum satis ex dictis patere putem, debuit utique ille anno XXII. post captam Urbem fuisse designatus, tertio autem et vigesimo, Consulatum gessisse: et porro Camillus, qui sequenti anno mortuus ex manifesta iam hac Liuianae Historiae supputatione necessario, vixisse tantum per XXIV. annos, postquam se in patriam, et patriam secum restituit, non per XXV. vt tamen Liuius citato loco scribit. Superest, vt numerus fuerit corruptus; sed ne illud possimus statuere, faciunt ceterae annorum summae ab V. C. variis locis expressae, quae, vt Sigonius iam ostendit, hunc numerum mutari nequaquam patiuntur, et huic spatio in perpetua Liuii Chronologia XXV. annos tribui iubent. Glareanus ergo cum numerum istum sollicitare non auderet, et tamen ex Liuiana historia eruere non posset, censuit (vide ad lib. VI. c. 36.) eam in his esse mutilatam, atque annum vnum intercidisse, cui duo tribui debeant militares Tribuni apud alios, at nusquam apud Liuium sibi reperti, proxime ante eum, quo Consularis dignitas cum plebeiis est communicata. Sed hanc

eius

eius opinionem Sigonius, ostendendo quibus annis illi duo apud Liuium, ob corrupta eius exemplaria e Glareano non animaduersi, militarem Tribunatum tenuerint, liquido satis refutauit, adeo vt ipse Glareanus postea, vt ex eius miniatulis in scholia Sigonii ad Chronologiam Liuianam colligitur, illius sententiam de singulari Dictaturae Camillianae anno videatur approbasse. Verum et illud male, vt ostendi, ni fallor, clarissime, quamuis eis et Pighius accedat. Qui insuper etiam in decem annis Liuianis Tribunorum pl. Licinii Sextique a vero aberrauit. Recte quidem eos primum facit Tribunos anno ante Anarchiam. Recte etiam, quod Liuium biennii secundum Fastos Capit. Magistratus et res gestas in vnum annum contulisse videri dicit ad Ann. 384. Verum illud minime recte, quod addit, Liuium sibi vix constare, quum Tribunos pl. octauum, nonum et decimum relictos scribit, neque id in Historia eius inueniri, si ratio ducatur ab anno ante Anarchiam, quo primum creatos fuisse idem sit Auctor. Sed obliuiscitur Vir Doctus, se quatuor tantum annos dedisse Anarchiae ex Vopisco, et quibusdam aliis, Liuium vero ab iis dissentire, vt qui diserte Anarchiam quinque annorum fuisse dicit, et ita in his decem annis optime sibi constat. Onufrius denique, vt summa Liuiana XXV. annorum eius historiae consentiat, nulla neque ille emendatione vitur, sed singularem potius annum Dictaturis Camilli et Manlii ad eam supplendam vna cum Fastis Capit. tribuendum censet. Quam ad rem adhibet etiam verba superius a me allata, quibus Tribuni pl. queruntur. *Nonum se annum in acie contra Optimates iam stare*, eumque annum, nisi a Tribunis militari- bus Dictatores in separatum annum remoueamus,

NON

non *nonum*, sed *octauum* fore adfirmat. Sed nunquam eo fuisset prolapsus, si quum haec scripsit, diligentius legisset Liuium, vel saltem meminisset, diserte ab eo *octauum* dici Tribunos, quando Fabius Licinii socer fuit inter Tribunos patricios, quo anno ex hac Onufrii sententia *septimum* fuisse debuissent. Verum existimauit ille, vt video, primum Licinii Sextiique Tribunatus annum in primo Anarchiae locandum, quod Liuianae certe Historiae quam maxime repugnare supra demonstraui. Ego omnibus consideratis censeo, Liuium quum historias Populi R. ad suam aetatem vsque condendas suscepit, ante omnia parasse sibi certam et simplicem ex diuersis Veterum sententiis annorum ab Vrbe condita seriem, ad quam identidem in quibusque summis, vbi opus esset, exprimendis recurreret, et respiceret, atque inde etiam hos XXV. annos post Urbem captam ad mortem Camilli hausisse, non animaduerso, in Historico singulorum annorum ordine se eos securum Auctores, qui illud spatium vno anno minus faciunt. Id enim nonnullos fecisse, inque iis certe Fabium, cuius, *Auctoris longe antiquissimi*, vt eum alibi (II. 40.) vocat, vestigiis libenter ille insistit, ex Gellio didicimus, sicut vicissim ex Liuiio, inscite prorsus istum a Gellio memoratum, quantumuis nobilem, Grammaticum in Fabii Annalibus annum, quo primum e plebe designatus est Consul, post urbem captam *duoeticesimum* mutatum voluisse in *duodeuicesimum*, eaque audacissima crisi quatuor annis contra omnem Historiae veteris fidem minuisse annos istius interualli, quos alii plerique etiam vno augent. Istum autem hominem, qui contra scripturam sinceræ vetustatis, ac librarii adfirmationem, coram emtore, a quo ad spectandum

dum librum erat adhibitus, et aliis doctissimis Viris ita sine vlla dubitatione pronunciabat, quis dubitet tam insulsa emendatione librum, si in sua habuisset potestate, audacter fuisse inquinaturum. Certe quod illum auguramur facturum fuisse, alii apud Nonium ter in eodem hoc vocabulo fecerunt, omnem prorsus Nonii obseruationem peruertentes. Legimus apud illum Capite de *Honestis*, *sed noue veterum dictis: Duodeuicesimo ita vt duodecimo. Varro Humanarum rerum lib. XVI. Mortuus est anno duodeuicesimo. Rex fuit XXI. Cato Originum quarto: Duodeuicesimo anno post dimissum bellum, quod IV. et XX. annos fuit, Carthaginenses sextum de foedere decernere.* Nemo erit, opinor, qui non facile assentietur mihi, idem praestitisse hic sciolos, quod antiquus ille in Fabii Annalibus volebat. Etenim *duodeuicesimo*, non dicitur, vt *duodecimo* sed vt *duodedecimo* h. e. octauo. Hoc vero quia inusitatum prorsus est, liquet scripisse Nonium *duoetuicesimo*, vt quod eodem plane modo dicitur, quo *duodecimo*, immissa tantum istic copula, quae hic intelligitur. Neque vero ego solus aut primus ita sentio, sed Doctissimus etiam Nonii Commentator Anonymus, qui est Mercerus, ex allatis a Nonio exemplis *duoetuicesimo* rescribendum iam censuit. Et profecto res ex iis est manifestissima. Prius exhibet ipsa illa verba, quae Gellius ad refellendam Grammatici sui Crispi ex Fabio attulit, vt mirer, qui fiat, quod a Nonio ea Varro tribuantur, quum magis etiam conueniant Auctori, qui Annales, quam qui Antiquitates rerum Humanarum scripsit. Forte ergo, nisi ipse errauerit Nonius, vt sane multi similes in citandis perperam Auctoribus errores ab ipso, Festo, et aliis id genus scriptoribus commissi reperiuntur,
vel

vel Varro ex Fabii Annalibus ea verba quacun-
 tandem occasione in suos libros transtulerit, vel
 in Nonio tribus testimoniis suam expositionem fir-
 mante, interciderint vera Varronis verba, vna
 cum Fabii nomine, atque ita deinde factum, vt
 quae Fabii erant, Varroni tribuerentur. Vt vt
 fit, legendum certe *duoeticesimo*, idque non modo
 ex Gellio constat, sed et ex ipsa verborum senten-
 tia. Nam qui Rex fuit annos XX. et vnum, is
 vtique mortuus est anno, non decimo octauo, sed
 vigesimo secundo. Quod et contra Auf. Popmam
 diligenter obseruandum est. Ille enim in Notis
 ad Varronem duo diuersa in his verbis statuit
 fragmenta, legendo, *Mortuus est anno duoetice-*
simo. Rex fuit anno duoeticesimo. Nempe vim
 voluit inferre et sententiae et verbis, vt aliquid
 saltem haberet, quod ex Historia coniectando in-
 terpretari posset. Posterius enim ita a se muta-
 tum de Romulo, qui anno aetatis XXII. Rex fue-
 rit factus, accipere se dicit. Sed cui ea ratione
 non accommodari possent istius modi fragmenta?
 Rectum haud dubie est, vt plene habet Gellius,
Rex fuit annos viginti et vnum, non, vt alii etiam
 Varronis Editores, *Rex fuit anno vicesimo primo.*
 Deque vno accipienda omnia, qui cum Rex fuisset
 annos XXI. sequenti est mortuus. Quis autem is
 fuerit, incertum. Nam Romani omnes diutius
 regnarunt. Forte Albanus quispiam, vnde Ro-
 mani orti. Sed hoc misso, posterius exemplum
 quod ex Catone attulit Nonius, certius multo et
 verius ex Historia interpretabimur, inque eo item
duoeticesimo cum Viris Doctissimis legendum affir-
 mamus. Bellum, de quo loquitur Cato, est Pu-
 nicum primum, initum anno V. C. 489. Ap. Clau-
 dio Caudice, M. Fulvio Flacco Coss. desitum

an. 512. Coss. A. Manlio, Q. Lutatio. Ita habes ipsos XXIV. annos, quot annos illud fuisse ait. Ab eo finito et dimisso coeptum est Punicum secundum in Italia geri anno vicesimo tertio, qui erat ab Vrbe condita 535. Priore vero anno caussa eius a Carthaginensibus erat data, violato foedere, de quo tunc statim per legatos suos acriter cum illis, sed frustra exoptularunt Romani, vt multis tradidit Polyb. lib. III. Ergo ipso *duoeticesimo anno post dimissum prius bellum Carthaginenses sextum tunc de foedere*, quod cum Romanis habebant, *decernere*, vel potius, vt Gellius X. 1. *decedere*, pro *decedebant* vel *decessere*. Minime opus cum Mercero et aliis legere *decessere*, quum infinita illa locutio antiquis Historicis sit vltimatissima, inter eos autem, qui nunc supersunt, omnium maxime Sallustio, Catonis vtique Originum studiosissimo. Grauius adhuc peccant Interpretes in exponendo *τὸ Sextum*. Recte Gellius, *id verbum significare*, ait, *quinquies ante eos fecisse contra foedus, et tunc sextum*. Sed male Riccobonus, Rhodiginus et Aufon. Popma ad Fragmenta Historicorum, *Intelligere Catonem post dimissum bellum Punicum primum Carthaginenses quinquies defecisse et tunc sextum*. Immo vero quinquies ante defecerunt, ex quo semel foedus cum Romanis pepigerunt, sextum vero anno duoeticesimo post primum bellum Punicum. Male etiam Mercerus, foedus dimisso illo bello initum a Catone hic *sextum* vocari, a Polybio *quartum* notat. Nusquam vtique illud Cato, Tantum Carthaginenses isto anno sextum tunc de foedere *decessisse*. Id quod ex Polybio accurate ab eo expositum lib. III. cap. 22. . . . 27. clarissime confirmatur. Sex enim ille ante hoc tempus iam ic̄ta inter Romanos et Carthaginenses foede-

ra ibi refert, quae a Carthaginienſibus ſemper violata, vel ſaltem eorum opera irrita facta vult Cato, ſcriptor et Romanus, et praecipuus illorum Aduerſarius. Primum inter illos initum ſub primis Urbis Romae Conſulibus. Secundum incerto tempore; Tertium circa Pyrrhi in Italiam tranſitum; Quartum finito bello Punico primo; Quintum poſt Carthaginienſium cum mercenariis bellum; ſextum in Hiſpania cum Haſdrubale, Hannibalis deceſſore. Ita initio belli Punici ſecundi, quod incidit in annum duodeciſimum poſt dimiſſum primum, recte Carthaginienſes a Catone dici poſſunt ſextum tunc iam de foedere cum Romanis ſexies iam pacto, ter ante, ter poſt bellum primum deceſſiſſe.



INDEX I.
RERVM ET VERBORVM.

A.

A delgisius Desiderii vltimi Longobardorum Regis F. auunculus fuit Grimoaldi, non hic illius. - - - - -	Pag. 417
<i>Ἀδελφός</i> et <i>ἀδελφίδης</i> confusa saepius a librariis, ita vt occasionem erroris aliquando dederint ipsis Veteribus. - - - - -	445. 446
² <i>Ἀδελφός</i> et <i>ἀδελφῆ</i> pro patruelibus vel consobrinis apud Graecos non vsurpatur. - - - - -	112. 405
Adoptare non solebant, qui ipsi filium haberent. - - - - -	129. 130
Adoptatio. - - - - -	52
<i>Aetas</i> . - - - - -	407
Sex. Aelius Paetus cogn. Catus. - - - - -	73
Aeliorum Tuberonum nulli fuerunt Consules in li- bera Republica. - - - - -	63
L. Aemilius Paulus non ter, sed bis tantum trium- phauit. - - - - -	219
- - - - - proscriptus ab Octauiano Cae- sare. - - - - -	144. 145
- - - - - ejus aetas. - - - - -	146. 147
- - - - - nominis ratio. - - - - -	150 seqq.
- - - - - frater fuit M. Lepidi Triumviri, et pater Pauli Lepidi Censorii. - - - - -	125 seqq.
M. Aemilius Lepidus ante Pontificatum Max. fuit tutor Regis Aegypti. - - - - -	320. 321
<i>Aetoli</i> . - - - - -	14. 395. 396 sqq.
<i>Alter ab undecimo</i> pro duodecimus. - - - - -	290. 291
<i>Vnus et alter</i> de paucis incerto numero. - - - - -	291
Hh	<i>Amaror.</i>

<i>Amaror.</i>	-	-	431. 432
Anarchia in republica Romana.	-	470 sq. 475 sqq.	
Ancus Marcius matrem habuit Numae filiam, Romae natam.	-	-	164
Anna Ottonis II. vxor filia fuit Romani Pueri, non Romani Argyri.	-	-	418
Annalium Romanorum fides.	-	-	293
<i>Antullus</i> nomen filii maioris Antonii Triumviri, formatum ab Antone, qui Herculis F. et Antoniorum progenitor traditur.	-	-	155 sqq.
Antonius duos filios, alterum <i>Antullum</i> , alterum Iulum vocauit et quare.	-	-	155 sqq.
Appiani Parthica ex Plutarcho descripta.	-	-	390 sqq.
<i>Arrogatio</i> fiebat comitiis calatis.	-	-	32
Attalus.	-	-	78 sq.
Auctores confunduntur.	-	379 sqq. 388 sqq.	
<i>Audire aliquem aliquid.</i>	-	-	280 sqq.
Augustus quando pater patriae 321. quando Caesar Augustus vocatus fuerit 324 sqq. num Caepias dictus sit.	-	-	442
Augustini Anton. lapsus.	-	-	25. 35
Auri ad argentum proportio.	-	-	434
<i>Auspicium</i> a Scriptoribus tribuitur aliquando etiam iis, qui reuera id non habuere, sed quorum ductu tantum res sunt gestae.	-	-	270 sqq.
<i>Auspicium alienum.</i>	-	-	231

B.

<i>B</i> pro <i>C.</i> in lapidibus.	-	-	305
Bardi	-	-	211
Baronii error.	-	-	416. 417
Bithyniae reges.	-	-	76. 77

C.

C.

C littera olim sonum habuit τ ^o G.	-	305. 306
Caecilius Bassus fuit homo Pompeianarum partium	-	184
<i>Caepiones</i> et <i>Scipiones</i> saepius a librariis confusa	-	435. 436
Caesar gloriatur de sua gente 161. Eius interfectores.	-	338 sqq.
<i>Cains</i> et <i>Cnaeus</i> male scribitur ac legitur, quum <i>Gains</i> et <i>Gnaeus</i> legi deberet.	-	305 etc.
<i>Calatinus</i> ab oppido Calatia est cognominatus.	35	
Camilli dictatura.	-	45. 463 etc. 473 sq.
Cantilenae apud antiquissimos populos vsum habuere historiarum: apud Hebraeos.	-	209 sq.
- " " " " " apud Graecos.	-	210
- " " " " " Hispanos, Gallos, et Germanos	-	211
- " " " " " Romanos.	-	212
Ti. Canutius non fuit Tribunus tempore proscriptionis Triumviralis; nec in ea proscriptione periit.	-	54-56
Carbo Crasso inimicus.	-	100. 101
Carrio notatur.	-	65. 431
<i>Cimber</i> non modo <i>Tillii</i> , sed et <i>Atilii</i> et <i>Annii</i> .	-	340-342
Clauis in pariete fixis annos olim numerare solebant, idque etiam deinceps rusticis in vfu mansit.	-	186. 187
Clientum turba a patronis denominabatur.	202	
P. Clodius tres habuit sorores germanas, quarum prima dicta fuit Tertia Clodia, nupta Q. Marcio Regi.	-	107-121
<i>Coenus</i> et <i>Cynus</i> .	-	448

<i>Cognomen</i> et <i>cognomentum</i> proprie non inueteratum iam familiae nomen, sed nouam ἐπίκλησιν denotat. - - - - -	70 etc.
<i>Cognomen</i> in adoptione mutatum in praenomen probari nequit. - - - - -	135. 136
<i>Cognomen</i> vltimum solet a Scriptoribus vel priori cognomini, vel nomini gentilitio praeponi, si praenomen omittitur. - - - - -	137. 138
<i>Cognomina</i> plura saepe dabantur viris illustribus. 42	
<i>Cognomina</i> gentium iamdudum oblitterata, postea in iisdem familiis reperi coeperunt. - - - - -	150 sqq.
<i>Cognomina</i> in arctiori spatio plene scribebantur, gentilitia concise. - - - - -	308. 309
<i>Comissum bellum.</i> - - - - -	452
<i>Comitia calata.</i> - - - - -	32
<i>Communis existimatio.</i> - - - - -	288
<i>Concordia</i> Dea ad fratrum concordiam denotandam saepe adhibita in typis. - - - - -	157 sqq.
<i>Consules</i> et <i>Praetores</i> saepe adpellantur, qui erant Proconsules et Propraetores. - - - - -	317. 318
<i>Consulum</i> paria confusa. - - - - -	19. 20
<i>Cosul</i> dicebant antiquissimi pro <i>Consul</i> , et hinc <i>Cos.</i> - - - - -	304
<i>Consulis</i> vocabulum in titulis non semper designat annum, quo res in titulis memorata, gesta est; sed honorem viri, qui eum gessit. - - - - -	314
<i>Cn. Cornelius Dolabella</i> accusatus a Scauro et damnatus, alter eiusdem nominis a Caesare accusatus et absolutus. - - - - -	56 etc.
<i>Coruncanius</i> num <i>Tusculanius</i> fuerit. - - - - -	204
<i>Cossus</i> num spolia in consulatu ceperit. 282 sqq.	
	296 sq.
<i>Crassus</i> locuples. - - - - -	69
<i>Critici studii</i> vtilitas et necessitas. - - - - -	423. 424
- - - in eo tamen modus saepe exceditur. 425	
	<i>Crisin</i>

Crisin exercuerunt etiam antiquissimi Scriptores.
 - - - - - 426. sq. 429. 430.
 - - etiam ex ingenio et coniectando. 432

D.

Dare et dedicare in donariis differunt. 315. 316
Dicere saepe ἁλλοτριῶς omittitur. - 280
 Dictator non creabatur a populo, sed dicebatur
 a Consule. - - - - - 23
 Dies C. F. N. NP. EN. in Calendario. - 324
 Discrepans vnius vculae vel nominis scriptura ab
 ipsis auctoribus memorata. - 453
 Diuersa tradunt aliquando Scriptores de eadem re,
 et a se ipsis dissident. - - - 330
 Dolabella. - - - - - 56
 Ducis nomen saepe imponitur toti multitudini.
 - - - - - 202. 203
Ducis vocabulo neutiquam intelligitur semper sum-
 mus Dux aut Imperator, sed saepe etiam mino-
 res praefecti copiarum. - 272. 273
Duo et vicesimus. - - - 459. 460

E.

Epitomae saepe perperam recedunt a suis Auctori-
 bus, quos contraxere. - - - 382-388
 Errores omnium scriptorum communes occurrunt
 aliquando in Historiis. - - - 188. 189
Existimatio vestra, communis. - - - 288. 289

F.

Fabii trecenti sex ad Cremeram caesi, non fuere
 omnes patricii, sed magna parte eorum clien-
 tes. - - - - - 192 sqq. 200 etc.
 Fabii ex nullo municipio fuere orti, sed ex ipsa
 Roma. - - - - - 205

<i>Fabiorum</i> et <i>Fulviorum</i> nomina saepe inter se permutata.	208. 209
Fabius M. primarius iuris ciuilis doctor.	73
In Fabio Cunctatore cognomen <i>Maximi</i> erat simul Vetus et Nouum.	38. 39
Paulus Fabius Maximus frater naturalis Q. Fabii Maximi Africani,	153 sqq.
Q. Fabius Maximus habuit cogn. <i>Africani</i> , et qua causa.	153 sqq.
Fragmenta emendare, tam difficile est, quam periculofum.	380
<i>Fratris</i> et <i>Sororis</i> vocabula ambigua, et saepe in errorem induxere ipsos veteres.	405 sqq. 446
Freinshemius notatur.	105. 106. 129
Fului fuere Tusculani, non Tiburtes.	205 sq.
M. Furius Camillus septies apud Linium ponitur Tribunus milit. conf. pot.	44. 45. 46
- - primus et solus suo tempore habuit <i>Camilli</i> cognomen.	45

G.

G. litera inuenta a Sp. Caruclio liberto.	306
Galli in Asia primum superati sunt, non a Rege Bithyniae, nec ab Eumene, sed ab Attalo Rege Pergameno.	77. 78
<i>Geminus</i> fuit cognomen.	48. 49
Germanici Caesaris nomina.	136. 137. 138
Dion. Gothofredus notatur.	380. 381
Graeci sermonis ambiguitas decepit Latinos.	405.
- - - - -	407. sq.
Graecorum historicorum fides.	9
Grammatici saepe ex Auctoribus fragmenta citant non integri sensus, vt adeo periculofum sit, ea velle emendare.	380 etc.

H.

H.

- Hebraeum inter et Graecum S. S. textum discre-
 pantiae sunt, quae ex scribendi vitio primitus
 ortae - - - - - 419. 420
 Historiarum scriptores perlustrare olim solebant
 regiones, in quibus res gestae, priusquam eas
 memoriae proderent. - - - - - 6
 Historia Rom. multum debet funebribus laudatio-
 nibus, saepe tamen etiam per eas adulterata. 214
 Historici suo quaeque loco non omnia semper
 enarrant, et multa negligunt. - - - - - 165 fqq.
 - - - - - cognomen saepius tantum adhibuerunt,
 vnde confusio orta est. - - - - - 36
 Historici aliquando adulantur Viris illustribus. 216.
 - - - - - 217. 272
 Historicorum fides in rebus suae familiae, atque
 etiam patriae saepe suspecta. - - - - - 215
 Homerum carmina literis non mandasse, tradit Io-
 sephus. - - - - - 210
 Hyacinthus. - - - - - 407

- Inopia*, idem, quod penuria, paucitas. - - - - - 199
 Inscriptiones et tituli statuarum antiquissimis tem-
 poribus vel nulli vel brevissimi erant, et pleri-
 que a posteris demum subiecti sunt. - - - - - 310 fqq.
 Iudicium in arbitrio non erat poena reorum, sed
 tantum damnatio ex illa lege, qua quis accusa-
 tus. - - - - - 59
 Iupiter *Feretrius*, non a *feriendo*, sed a *feretro*
 dictus. - - - - - 255. 256
 Ius Aelianum. - - - - - 74
 - Papirianum. - - - - - 92

L.

Q. Labienus non simpliciter <i>Parthicus</i> est cognominatus, sed <i>Parthici Imperatoris</i> titulum, suis nominibus frequenter additum, habuit.	70
Laudatio funebris. 213. his romana historia non parum vitiata fuit.	214
Leges sacrae.	426. 427
- - regiae.	427
Lepidus germanum habuit fratrem Paullum.	125 sq.
Librarii in nominibus errant.	208
Libri confunduntur.	379. 388 sq.
Licinii Tr. pl. molimina.	470
Lipsius notatus.	226. 389. 448
Litterae vnius et alterius diuersitas a scribarum incuria profecta videtur.	453 sqq.
Literarum vsus antiquis temporibus rarissimus.	180
Liuius eadem saepe repetit.	178

M.

Maenius dictator.	365 &c.
Maimburgi lapsus.	416. 417.
Magister Equitum non suo auspicio gerit rem, sed Dictatoris.	270
L. Manlius <i>Imperiosi</i> cognomen accepit, vt eius filius Titius <i>Torquati</i> , eaque in re hallucinationes veterum ac recentium.	358. 359 sqq.
Manutius promisit librum de mendosa historia	9
M. Marcellus fuit patruelis C. Marcelli.	405
M. Marius Gratidianus adoptatus a C. Marii maioris fratre, et ita frater patruelis C. Marii minoris.	102 sq.
C. Marius minor, naturalis filius C. Marii maioris ex Julia Caesaris amica.	106
Masorethae.	419
	Mendae

Mendae etiam in S. S. exemplaribus.	419. 420 sq.
Mendarum origio.	437
de Mendis antiquissimorum exemplarium conque- runtur etiam ipsi Veteres.	421. vt adeo non semper iis exemplis fit credendum.
<i>Metellae</i> tres.	406
Metellorum familiae.	75
Minucius Basillus.	340
<i>Moesia</i> et <i>Mysia</i> promiscuae, et perperam saepe scriptae occurrunt.	447
Mureti lapsus.	20. 21

N.

<i>Nassiterna</i> non a <i>nasis ternis</i> , sed simpliciter <i>nasutus</i> formatum.	382
Natta.	207
<i>Nigri</i> cognomen in gente Caecilia non modo ex nummis, sed et ex scriptis Veterum probari potest.	309. 310
<i>Neptunine</i> est Thetys.	409
<i>Nomen</i> etiam notat familiam prae ceteris.	412
- - proprium primis tantum literis scriptum, in codd. corruptioni causam saepe dedit.	31
- - commune seu gentis seu familiae saepe vni ex fratribus vel fororibus praecipue, et quasi <i>καὶ ἐξ ὀρχῆν</i> tribuitur.	116. sq.
- - suum in prouecta aetate mutant, saepe tamen a Scriptoribus priore nomine adpellan- tur.	134. 135
Nomina propria saepe corrupta sunt.	208. 419
Nomen qua ratione confundi et turbare rem po- tuerit.	36
Notae discrepabant aliquando ab ipsis vocabu- lis.	305

- Nudus* h. e. inermis. 245
Nullo patre nati, h. e. ignobili. 162
Numae lex. 263. sqq. 265. sqq.
Numerationi Veteres saepissime includebant duo extrema. 290. 291

O.

- Octavia*, C. Marcello et dein Antonio nupta, fuit eadem, qua Augustus, matre nata. 121 sq.
Oe in pronuntiando mutatum in *F*. 447. 448
Onufrii Commentarius in Fastos et libellus de Nominibus ex Sigonio descriptus. 412
Onufrii lapsus. 126. 128. 359. 412. 413.
Opima spolia non ab opere sed ope dicta. 251. 257
 absolute pro opimis spoliis. 257.
 spolia, laxiore sensu etiam pro luculentis et magnificis simpl. ponuntur. 254. 255
 a Cossio capta. 258. 259
 spolia debebant acie instructa capi et prima omnium. 276. 277
 de iis sententia Liuii refutatur. 260. &c.
 contraria Verronis confirmatur. 261. &c.
Numae lex de diuersis generibus spoliiorum loquitur. 263 sqq.
Opis in singulari significat abundantiam omnium rerum, et maxime terrae fructuum, et hinc etiam diuitias ac potentiam, sicut opes in plurali etiam auxilium notat. 251 sqq.
Quatio. 239

P.

- Papirii patricii*. 91
 eorum princeps, qui leges Regias composuit. 92

Papirius

Papirius Censor.	167
- - - Pontifex Maximus.	93
Papirii Carbones.	97. 100
C. Papirius Carbo Praetorius frater patruelis Cn. Carbonis ter Consulis.	94
- - - cur optimatibus contra Marium et suos gentiles se iunxerit.	100 sqq.
<i>Pater nullus.</i>	162
Patris haud celebris nomen reticebatur, et matris aut aui nomen addebatur.	162
Patini error.	308
Patriciorum exiguus numerus post Tarquinium Superbum.	198
<i>Patris patriae</i> titulum quando acceperit Augustus.	321. sqq.
Patronymica saepe deceperunt veteres.	408
Paulus pro praenomine vsurpatum.	135
Pighius inconsulte carpit Pomponium Ictum de eo; quod in Pomponio Laeto legerat.	413. 414
Pighii lapsus.	97. 98. 44. 59. 60. 64. 85. 174. 204. sqq. 463. quomodo in purgando Valerio versatus fuerit.
Pinarii.	207
<i>Pius</i> cognomen.	68
de Q. Pleminii morte diuersae veterum sententiae	356. 357. 358.
<i>Poeticus</i> et <i>Pyticus.</i>	447
Praenomen in libris saepe coaluit cum sequenti nomine, praesertim in eo, quod incipit a vocali.	455
Praenomina num modo praenomina, modo gentilicia fuerint.	438
- - - in antiquis liberae reipubl. nummis semper aliis nominibus fuerunt praemissa.	341

Praenomina mulierum <i>Tertia</i> , <i>Quarta</i> &c. habent naturam verborum praenominum et muliebribus imponebantur sine respectu ordinis aequae ac viris <i>Quintus</i> , <i>Sextus</i> , <i>Decimus</i> . -	115 sq.
quis <i>Primus</i> quid fecerit, adnotari solebat. -	354.
	355
Prodigia eadem diuersis annis saepe nuntiata.	
	332. 333
Pronuntiatio mutabatur. -	447. 448
<i>Propagare</i> eius origo et potestas. -	237
- - - et <i>prorogare</i> confunduntur. -	237
<i>Prorogare</i> de duratione temporis dicitur, non extensione loci. -	237. 238
Prouinciarum permutationes a Liuiio saepe praeteritae, nec annotatae suo loco. -	173. 174

R.

<i>Rabula</i> . -	330
<i>Reges</i> etiam adpellabantur regum liberi. -	274
Reinesius notatus. -	63. 95. 202. 410
<i>Rhoemetalces</i> et <i>Rhymetalces</i> . -	447
Rubenius notatur. -	84
Rupertus laudatur 63. notatur 62. 63. 321. sqq.	
	325. 371 &c.
Rutgerius laudatur et notatur. -	260. 261
P. Rutilius, qui damnatus ab Equitibus, Legatus, non Quaestor fuit Mucii. -	60. 61

S.

Sacratae leges non solae de Tribunis Pl. creandis latae, sed omnes sanctione quadam munitae.	
	427. 428
	Schefferi

- Schefferi lapsus. - - - 77. 333. 414. 415
 Schotti lapsus. - - - 111. 265
 Scioli, qui male emendando auctores corrumpunt,
 fuere etiam antiquissimis temporibus. - 456 &c.
 Scipio Africanus. 51. 52. prior etiam *Magnus* co-
 gnominatus. 40. 41. posterior a prioris filio ad-
 optatus. - - - 51
 Scutum in proelio perdidisse, aut fuga, turpissi-
 mum habebatur apud omnes gentes. 245. 246
 Scylla Nisi etiam in piscem conuersa traditur. 410
 Seldeni lapsus. - - - 318
 de P. Sempronio Sopho. - - - 72
Serranus primus non fuit M. Reguli filius, sed
 forte C. Abilius Cos. anni V. C. 496. 23. 24 &c.
 - - - 34 &c.
Serrani nomen non a *serendo*, nec a *Sarra*, sed a
Sarano oppido Umbriae formatum. 25. 28. 34.
 - - - 35
 Q. Sertorius classem non submisit Mithridati, sed
 ab eo potius accepit. - - - 75
 C. Seruilius Dictator et M. Seruilius Geminus fra-
 tres fuerunt, et vterque, Gaius aequae ac Mar-
 cus, *Gemini* cognomen habuit. - 48. 49. 50
 Si pro *an* positum. - - - 287
 Sigonius notatus. - 44. 45. 48. 463. sq.
 - - 468. 100. 106. 168. 359. 460.
Sorores absolute de patruelibus. - 111. 112. 405
 Spanhemius notatur. - 222. 308
 Spolia victis hostibus solebant detrahi. 243. 244
 Spoliare hostem, saepe notat occidere. - ibidem
 Spolia victores solebant ostentare, circumferre, vel
 certis locis figere. - - - 244. 245
 - - post proelium legere solebant, vel si vota
 alicui deo, in cumulum coniecta incendere.
 - - - 246. 248
 Spolia

Spolia ornabantur iis tropaea, triumphi, aedes
 sacrae, porticus, et priuatorum domus. 247.

- - - - - 248. 249

- - mittebantur etiam ad Amicos et Socios. ib.

- - diis consecrata, si tractu temporis essent
 consumpta, renouari non licebat. 250

Stephani coniecturae notantur. 390

Στασίου a Graecis scriptoribus saepissime adpellan-
 tur Consules Romani. 36. 37

Suburana tribus. 305. 307. 319 &c.

Super simpliciter et absolute vsurpatum. 439. 440

Supplicationes non semper sequebatur triumphus.

- - - - - 226 &c. 234

- - - - rarissime negabantur, negatae tamen
 etiam aliis, quam Albutio. 227

T.

Tanti vel tantae summae, et in tantum damnatus
 differunt. 57. 58

Tertia erat nomen, eaque etiam vocabatur, quae
 non haberet duas sorores natu maiores. 114. 115

Tillius Cimber non Tullius. 340. 342

C. Trebonius detinuit Antonium, cum Caesar oc-
 cideretur. 337

- - - fuit bello ciuili inter Caesarianos. 238

Tribuni. 469. 470 sq. Trib. pleb. quando crea-
 ti sunt. 428. Tribuni militum consulari pote-
 state, fuerunt aliquando etiam octo numero.

- - - - - 47. 48

Tribus multae a gentilibus praecipuis sunt deno-
 minatae. 202

Tristani error. 124. 341. 342

in Triumphis annotandis diligentissimus fuit Fa-
 storum Capitolinorum Auctor. 223. 224

Triumphabant in monte Albano plerumque, quibus
 negatus a Senatū erat triumphus. 228. 234

Triumph-

Triumphabant, coeptus is mos anno. 522. a C. Papi-	
rio Massone, desitus videtur circa an. 610. opera	
Appii-Claudii et ingruente indies ambitione.	
Triumphantes debebant olim res gessisse imperio	
non extraordinario, sed in Magistratu accepto.	
- - - - -	229. 230
- - - - - suis auspiciis et in sua provincia.	
- - - - -	231 sqq.
- - - - - debellasse debebant, et provinciam	
pacasse.	235
- - - - - quod postea non obseruatum, immo	
tunc sufficebat 5000 hostium vno proelio occi-	
disse.	238. 239
- - - - - fines imperii protulisse debebant.	236
Triumphus non concedebatur iis, qui in eodem	
bello magnam cladem acceperant.	233. 234
- - - - -	242
- - - - - nec de bello ciuili.	240
- - - - - facilius postea concessus a Senatu.	
- - - - -	238. 240. 241
- - - - - hinc factum, vt in defuetudinem vene-	
rit in monte Albano, vt et ouatio.	239
- - - - - negatus tamen etiam extremis tempori-	
bus.	239
- - - - - peragi saepius non potuit causis interue-	
nientibus.	241. 242
Tropaea in nummis signum victoriae, non trium-	
phi.	220
- - - - - spoliis ornabatur.	247
Turnebi ἀμάρτημα.	409

V.

Valerii Antiatis historici aetas et fides.	216. 217
Valesius laudatur.	61. notatur.
	378
	Veteres,

Veteres, si quos forte commiserant errores, saepe etiam post editionem ex libris suis tolli curabant.

6. 7

Veteres ab ipsis Veteribus accusati. 8. 9. 10. 11. 12

Videri de omnibus sensibus dicitur. 335. 336

Io. Vorstii error. 52. 89. 358. 362

Vnus et alter. 291

Vrsinus errat in explicanda potestate vsuque voc.

opis. 251. 252. errat in familiis. 129

Zeno Elates a Nearcho Tyranno tortus. 88. 89

INDEX II. AVCTORVM

QVI ILLVSTRANTVR,
EMENDANTVR AVT NOTANTVR.

<i>Aelianus.</i>	-	-	-	Pag. 280
<i>Amnianus Marcellus.</i>	-	-	-	65 etc.
<i>Ampelius.</i>	-	21. 22. 23.	208. 435. 437	
<i>Appianus.</i>	-	51. 52. 54.	103. 104. 105.	
		179. etc.	338 sqq. 342 sqq.	390 etc. 435. 436
<i>Afconius Ped.</i>	-	-	56. 156. 61.	426 etc.
<i>Catullus.</i>	-	-	-	409.
<i>Cicero.</i>	-	227. 370. 371.	405. 406.	426 sqq.
- - <i>pro Ligario.</i>	-	-	-	7
- - <i>pro Sextio.</i>	-	-	-	31. 32
- - <i>ad Atticum.</i>	-	-	-	90
- - <i>ad Familiar.</i>	-	91. 94 sqq.	107. 341	
- - <i>Philipp. II.</i>	-	-	-	341
- - - <i>III.</i>	-	-	-	206
- - - <i>XI.</i>	-	-	-	342
- - - <i>XII.</i>	-	-	-	341. 342
- - - <i>XIII.</i>	-	-	-	146. 147
- - <i>pro Deiotaro.</i>	-	-	-	184. 185
- - - <i>Plancio.</i>	-	-	-	204 etc.
- - - <i>Domo.</i>	-	-	-	206. 207
- - <i>In Verrem. II.</i>	-	-	-	406
- - <i>De Orator.</i>	-	-	-	96
- - - <i>Officiis.</i>	-	-	-	437
<i>Claudianus.</i>	-	-	-	30
<i>Columella.</i>	-	-	-	369
<i>Dio Cassius.</i>	-	51. 126. 127. 139. 148.	sqq. 158. 277.	
		278. 405. 406. 442. 443. 444. 445		
<i>Dionys. Halicar.</i>	-	-	50. 90. 192 etc.	

<i>Emmius.</i>	-	-	-	393. 394
<i>Fasti Capitolini.</i>	-	-	-	48. 50
- - <i>Cuspiniani.</i>	-	-	-	103. 105
- - <i>Siculi.</i>	-	-	-	438. 439
<i>Festus.</i>	21. 24.	199. 263.	305. 306. 321. 329	<i>sq.</i> 379. 380. 381. 394
<i>Florus.</i>	75.	102	<i>sqq.</i> 192. 215	<i>sqq.</i> 257. 274. 275. 327. 436. 448. 449. 451
<i>Frontinus.</i>	82. 83.	327. 328.	363. 453. 454	<i>sqq.</i>
<i>Gellius.</i>	-	43. 74.	379. 430. 431.	459 <i>etc.</i>
<i>Hesiodus.</i>	-	-	-	244
<i>Hyginus.</i>	-	-	-	67. 407-411
<i>Inscriptiones.</i>	-	157.	<i>sqq.</i> 319. 321	<i>sq.</i> 323
<i>Isidorus.</i>	-	-	-	446
<i>Iustinus.</i>	-	-	-	76 <i>sqq.</i> 446. 447
- - <i>Prologi Trogi.</i>	-	-	-	77
<i>Lactantius.</i>	-	-	-	379
<i>Lampridius.</i>	-	-	-	441. 442
<i>Liuius lib. I.</i>	-	163. 164.	175	<i>sqq.</i> 253. 254. 280. 289
- - - - <i>II.</i>	-	-	-	44
- - - - <i>III.</i>	-	-	-	166
- - - - <i>IV.</i>	-	259 <i>etc.</i>	279 <i>etc.</i>	287 <i>etc.</i> 289 <i>etc.</i> 358. 359
- - - - <i>V.</i>	44 <i>etc.</i>	46. 166.	353. 355. 375	
- - - - <i>VI.</i>	-	355. 464.	465. 466 <i>etc.</i>	
- - - - <i>VII.</i>	-	-	45. 462 <i>etc.</i>	
- - - - <i>VIII.</i>	-	-	-	270
- - - - <i>IX.</i>	-	169. 170.	365. 368	
- - - - <i>XXII.</i>	-	-	24. 358. 458.	
- - - - <i>XXIII.</i>	-	171. 172.	288. 351. 387	
- - - - <i>XXVI.</i>	-	-	-	349
- - - - <i>XXVII.</i>	-	-	173. 348.	349
- - - - <i>XXVIII.</i>	-	-	174	<i>sqq.</i> 263. 317
- - - - <i>XXIX.</i>	48.	357. 358.	364. 378. 460	<i>Li-</i>

<i>Liuius lib.</i>	<i>XXX.</i>	-	49. 350. 364	<i>sqq.</i>	432
-	<i>XXXI.</i>	-	-	-	364
-	<i>XXXII.</i>	-	-	-	67
-	<i>XXXIII.</i>	16. 168. 345. 346. 395	<i>sqq.</i>		
-	<i>XXXIV.</i>	-	-	231. 357. 358	
-	<i>XXXV.</i>	-	-	-	109
-	<i>XXXVI.</i>	-	-	178. 179	
-	<i>XXXVII.</i>	-	-	345. 348	
-	<i>XXXVIII.</i>	-	13 etc. 17. 20. 315. 316.		
-	<i>XXXIX.</i>	-	-	403. 404. 432. 433	
-	<i>XXXXI.</i>	-	-	-	350
-	<i>XXXXII.</i>	-	-	237. 281	
-	<i>Epitome.</i>	26.	-	-	388
-	-	31.	-	-	386
-	-	36.	-	-	385. 386
-	-	38.	-	-	385
-	-	40.	-	-	384
-	-	43.	-	-	384
-	-	44.	-	-	383. 384
-	-	45.	-	-	383
-	-	67.	-	-	354
-	-	68.	-	-	415
-	-	114.	-	-	183
<i>Macrobins.</i>	-	-	-	-	368 etc.
<i>Minucius Felix.</i>	-	-	-	-	256
<i>Cornel. Nepos.</i>	-	-	-	378. 379. 404	
<i>Nonius.</i>	-	-	440. 415. 477. 478		
<i>Nunmi.</i>	-	157. <i>sqq.</i>	162. 220. 221. 341		
<i>Obsequens.</i>	-	-	333. 334. 335. 414. 415		
<i>Orosius.</i>	-	196. 215. 216. 242. 332. 443. 447			
<i>Ouidius.</i>	-	-	-	-	201
<i>Pandectae.</i>	-	-	-	-	246
<i>Petronius.</i>	-	-	-	187. 188	
<i>Phaedrus.</i>	-	-	-	-	66
<i>Plautus.</i>	-	-	-	66. 381. 429	
		<i>Ii</i>			<i>Pli-</i>

<i>Plinius.</i>	-	-	-	64. 65. 104. 369
<i>Plutarchus.</i>	50. 107 - 121. 122. 123. 180. 208.			
	209. 251. 255. 266. 267. 299. 306. 320. 329.			
	332. 336. 337. 363. 374 sq. 377. 388. 390.			
	391. 435. 445. 462.			
<i>Polyaenus.</i>	-	-	-	41. 43. 462
<i>Polybius.</i>	-	17. 19. 36. 37. 38. 40. 399. 400.		
<i>Pomponius.</i>	-	47. 61. 63. 72. 92. 371. 372		
<i>Priscianus.</i>	-	-	-	438. 439
<i>Valer. Probi notae.</i>	-	-	-	208
<i>Propertius.</i>	-	-	-	255. 256
<i>Quinctilianus.</i>	-	-	-	307
<i>Sallustius.</i>	-	50. 171. 439. 457. 458. 459		
<i>Scholiasies Perfi.</i>	-	-	-	23 etc.
<i>Seneca Philos.</i>	-	-	124. 125. 140. 141. 163	
<i>Seruius.</i>	-	30. 195. 221. 265. 407. 437. 446		
<i>Silius Italicus.</i>	-	-	-	25. 26
<i>Suetonius.</i>	-	-	-	110. 142. 143
<i>Tacitus Annal.</i>	-	-	-	281
<i>Terentius.</i>	-	-	-	291
<i>Valerius Maximus.</i>	-	56. 63. 68. 69. 85 sqq. 96.		
		119. 235. 268 etc. 320. 358. 360. 377		
<i>Varro.</i>	-	-	108. 119. 120. 368. 369	
<i>Velleius.</i>	53 sq. 96 sqq. 133. 139. 215. 218. 219. 355			
<i>Verrius Flaccus.</i>	-	-	-	394
<i>Victor.</i>	-	-	-	327
<i>Virgilius.</i>	-	-	-	265. 290
<i>Vopiscus.</i>	-	-	-	10
<i>Xiphilinus.</i>	-	-	-	442. 445. 446. 447
<i>Zonaras.</i>	-	-	-	29. 442

**SPHALMATA TYPOGRAPHICA,
QUAE SIC CORRIGENDA SVNT.**

- p. 7. lin. 26. lege *Oratorem*. lin. 33. lege *nunciauit*. p. 9. l. 31. lege ῥωμα. p. 11. lin. 5. lege *incuria*. p. 12. lin. 12. lege *sententiam*. p. 17. lin. 6. post *Titus* pone punctum. lin. 26. lege τῆ. lin. 28. lege ὑπὸ. p. 31. lin. 7. lege *Oleli*. p. 32. lin. 25. lege *Κερίστιον*. p. 37. lin. 14. lege δι. lin. 28. post *scimus* pone punctum. lin. 30. ante *Consulem* pone punctum. p. 40. lin. 4. lege *πράγματα*. p. 42. lin. 33. lege *intelligi*. p. 54. lin. 30. lege *Αντωνίου*. p. 65. lin. 2. lege δ. p. 69. lin. 1. lege ἡμᾶς. p. 73. lin. ultima lege *Aelin'*. p. 90. lin. ultima lege *proauis*. p. 91. lin. 30. lege *Cursorc*. p. 92. lin. 12. lege *Papirianum*. p. 98. lin. 26. lege *vero*. p. 106. lin. 28. lege *πρεσβυτ*. p. 116. lin. 20. lege *Claudii*. p. 139. lin. 12. lege *respondet*. lin. 15. lege τῶ. p. 164. lin. 25. lege *arcefferetur*. p. 179. lin. 24. lege *ἐκδευκτώμενον*. lin. 32. lege ὧδα. lin. 34. lege τὸν. p. 181. lin. 24. lege *πολιουρίαν*. p. 188. lin. 32. lege *partim*. p. 189. lin. 12. lege τῆν. p. 204. lin. 31. lege *refelluntur*. p. 205. lin. 9. lege *consilii*. p. 213. lin. 25. lege *Φίλος*. p. 233. lin. 18. lege *Iam*. p. 244. lin. 12. lege *Ἡρακλέα*. p. 251. lin. 33. lege *terrae*. p. 255. lin. 23. lege *ῥωμαῖοι*. p. 274. lin. 26. lege *encomiis*. p. 276. lin. 10. dele comma post *debitum*. p. 278. lin. penult. lege *temporibus*. p. 304. lin. 8. lege *Consulem*. p. 308. lin. 23. lege *Tubulus*. p. 317. lin. 32. lege *Consul*. p. 333. lin. ultima lege *Priuernatibus*. p. 337. lin. 19. lege *quod*. p. 338. lin. 16. lege *Δελίμυ*. p. 344. lin. 29. lege ὑπάτω. p. 346. lin. 3. lege δ πάνυ. p. 353. lin. 21. lege *primus*. p. 354. lin. 21. lege *Equitum*. p. 376. lin. 11. lege *acc opinatam*. p. 379. lin. 29. lege *Varrone*. lin. 31. lege *Festum*. p. 391. lin. 26. lege *εραυτοῖ*. p. 394. lin. 29. pone punctum post *expeditam*. p. 405. lin. 13. lege *ἀβγεται*. p. 407. lin. 19. lege *Λεολίδης*. p. 414. lin. 18. lege *Schefferi*. p. 435. lin. 9. lege *Caepioni*. lin. 14. lege ὑπὸ. p. 436. lin. 5. lege *Victor*. p. 441. lin. 30. lege *tamquam*. p. 444. lin. 6. lege δ. p. 465. lin. 17. lege *Tribunorum*. p. 466. lin. 33. lege *quid*.

Interpunctionis, et quae alia supersint operarum vitia, L. B. humanitati ignoscet, et ipse facile corrigit.

UNED

UNED



UNED



MINIATURE
THE

F. A.
113

ONED